ENNIUS

1595


MAIOR·VIRTVS·QVAM·SPLENDOR
The Hon.ble George Baillie Esq
one of the Lords of the Treasury
1724.
A Johnston Sculp.

Nil mirari alq ore nihil sapere ex alieno.

B — 0 2
Σ

Q. ENNI,
POETAE CVM PRIMIS CENSENDI, ANNALIVM LIBB. XIIX

Quae apud varios Auctores superant,

FRAGMENTA:

conlecta, composita, inlustrata

AB

PAVLLO G. F. P. N. MERVLA

QVI EADEM

FIXIT, DICAVIT, SACRAVIT

S. P. Q. DORDRACENO

L. M

LUGDUNI BATAVORUM,
Ex officina Ioannis Paetsij,
& Ludovici Elzevirij.
ANNO CIƆ IƆ XCV

PAVLLVS G.F.P.N. MERVLA
S.P.Q. DORDRACENO
S. DICO

IMPERIA, quae poteſtate preſſerunt infinita totum genus humanum, plerique enumerant quatuor, VV. Nobiliſſ. Ampliſſ. Prudentiss. Aſſyrium, Perſicum, Graecum, Romanum: quorum quod noviſſime nominatum, poſtremum quidem cenſetur tempore; primum tamen origine, quae ignobilis; incremento, quod lentum; potentia, quae ſumma; caſu, qui ſubitus. A parvis enim & obſcuris initiis natum, ſenſim & fere ſine ſenſu ad eam amplitudinem, ductu & auſpicijs Regum, Conſulum, Dictatorum, Imperatorum, aliorumque adſcendit; ut non ſolum omnium merito habitum fuerit maximum, ſed magnitudine etiam ſua & felicitate, principe AVGVSTO, laborarit. Sic ortum, ſic auctum ſtetit annos mille, & paucos, qui excurrunt. Eo tempore coeptum non everti; ſed, ut mox everteretur, debilitari. Princeps debilitatae, & everſae deinde, Rei tantae cauſſa, DEVS, qui Regna transfert a gente, ut Sacrae loquuntur Litterae, in gentem. Vſum Numen illud ſupremum debilitando

Imperio ipſis Imperatoribus; ferociſſimis vero gentibus evertendo. CONSTANTINVS enim, LX. Pop. Ro. Imperator, diſtraxit Principatum in Orientem & Occidentem: hinc, qui ſimplex firmus erat & potens; diviſus, factus eſt invalidus & impotens. Nudarat idē XV. Legionum, quae diu noctuque contra inſanos Barbarorum impetus excubabant, praeſidio Rheni ripas & Danubii: hinc inrupturis janua eſt aperta; quae ab AVGVSTO OCTAVIANO, cum clauſo Iano, fuerat clauſa. Succeſſores ille nactus eſt, partim, qui fatis & Dis iratis agebant omnia; imo qui ductim & indiligenter, tanto Imperio defendendo: partim, qui omni facinorum genere oppleti, & ad Romani nominis nati exitium: quorum omnium infelicitate, ſocordia, ſcelere concidit paucorum annorum intervallo, quod emoliti tam multis annis tam multorum fuerant labores. Accedebant ſub ARCADIO & HONORIO, Gildonis, Rufini & Stiliconis, quos liberis ſuis THEODOSIVS Tutores reliquerat, diſſenſio & de rerum adminiſtratione certamen; atque, occiſis prioribus, horrenda poſtremi perfidia in Imperatorem, Soceri in Generum. Ita contabuit inteſtinis malis, & ſuorum cum culpa tum flagitio, Corpus illud inſigne, ut lutei vix pedes reſtent: exſuccum autem plane facillime diſcerpſerunt, maximas rerum gerundarum nacti occaſiones, cum primis Gothi, Vandali, Alani, Franci & alii numeroſi. Ab his

atro-

atrocissima felicis Imperii divulsio: ab his inmanis Auctorum omnium, qui scriptis illud suis celebrarunt, laniena & confectio. Vtrumque paucis ostendam. Retracti jam erant ad Orientem (ibi enim inchoatum admirandae molis exitium) limites, IOVIANO Varroniani F. Imperatore; amissis trans Tigrim provinciis *Nisibi, Singara*, & maxima *Mesopotamiae* parte: comitāte etiam necessaria quidem, sed, quod vix alias acciderat, pace cum SAPORE Persarum rege ignominiosa. *Daciam* omnem trans Danubium Scythis reliquerat, evocatis inde Legionibus Romanis, AVRELIANVS Imperator: quum metus esset regionem remotiorem aliquando defecturam, & desperaret etiam princeps armis eam teneri contra invadentes posse. Rebus ita se habentibus, in *Italiam*, quae cum evocato Scytharum, Alanorum & West-Gothorum praesidio conflictabatur, inimica intulerunt signa, callidiore ZENONIS primas in Oriēte tenentis consilio & instinctu, Ost-Gothi, THEODERICO duce; ODOVACRE, cujus tyrannidem decimum jam annum perpetiebatur Regionum ocellus, tribus praeliis victo, & tandem interfecto. Gothos inde exegerunt, IVSTINIANI tempore, Belisarius & Narses praestātissimi duces. Inde obtenta ab Langbardis, quos Narses, apud IVSTINVM Imperat. accusatus, solicitarat: & non multo post a Francis, quos sub KAROLO MAGNO Romani Episcopi implorarant: Langbardis

ſuperatis, & DESIDERIO illorum rege capto: poſt Francos alia coepit eſſe conditio. In *Siciliam, Sardiniam, Corſicam*, nobiliſſimas maris interni inſulas, incurſionem fecerunt Gothi, paullo poſt occupatam Africam: retinuit eaſdem, ſuorum magis quam ſua Virtute, IVSTINIANVS: & poſt ab Saracenis poſſeſſas; *Siciliam* quidem Nort-Manni, *Corſicam* vero & *Sardiniam* Hiſpani eripuerunt. *Pannoniam*, *Daciam ciſ-Danubianam*, *Moeſiam*, *Noricum* & *Rhetias* invaſerunt Hunni, ducibus praecipue BALAMBERE & ATILA: deinde, Hunnorum regno deficiente, Oſt-Gothi, Langbardi, & Vngari; qui, rege ſibi creato, ad noſtra uſque tempora *Pannoniam* & antiquas Hunnorum habent ſedes. In *Gallias* infeſto exercitu, vi, ferro, flammis omnia ſubvertentes, CROSCO duce, perrexerunt Vandali, Alani, Suevi, & Burgundiones, invitante ſpe praemiiſque clam Stilicone. Iis ejectis, SIGERICO & VALLIA ductoribus, Weſt-Gothi, populabundi magis quam juſti more belli: qui, percuſſo cum HONORIO foedere, *Gallias* praeter *Aquitaniam* Romanis reddiderunt. Ingreſſos hoſtiliter, ATILA duce, Hunnos repreſſit AETIVS; quo ab VALENTINIANO caeſo, Franci & Burgundiones *Gallias* tenuerunt. *Hiſpanias* Romanis eripuerunt Vandali & Alani, Galliis ab ATAVLPHO Gothorum rege pulſi: iis terga dantibus ferienda, Weſt-Gothi, a Francis bello laceſſiti & itidem Gallia extruſi: hinc

hinc Saraceni Arabes, RODERICO Gothorum rege trucidato: iis aliam quaerere fortunam juſſis, iterum Weſt-Gothi, qui in Aſturum, Cantabrorum, & Gallaecorum montes abditi bello Saracenico ſuperfuerant, particulatim ſua recuperarunt; omnia vero, tenente ſceptra in Aragonia & Sicilia FERDINANDO Ioannis F. *Britanniam*, principe VALENTINIANO, bellis inteſtinis laborantem, involarunt, poſt AETII mortem Imperio exitialem, Angli, Scoti, Picti, & Saxones. *Iſtriam, Illurici, Dalmatiae, & Epiri* maritima Graecis Veneti; Venetis maximam partem Turcae ademerunt: mediterranea vero Hunni violẽtiore impetu expugnarunt; iis ad perniciem deductis, Vngari. *Africam*, Bonifacio adliciente, petierunt Alani & Vandali, regibus GVNTHARICO & GENSERICO, Hiſpaniis ab Gotho expulſi: rurſum Romanis vindicata ab Imp. IVSTINIANO, vinculis eorum regi GILIMERI injectis, ipſiſque ad internecionem caeſis: ceſſit tandem, LEONTIO imperante, Saracenis. In *Aegyptum, Syriam, Phoenicem, Palaeſtinam, Armeniam*, & reliquam *Meſopotamiae* partem inruerunt Saraceni: his propulſatis, Turcae. *Aſiam Minorem* ſuperioribus adjecerunt Saraceni, ducibus MAHOMETE Pſeudopropheta, EVBOKARA & HAOMARO: his & Imperatori DIOGENI Turcae extorſerunt, SELDVCH regnante; Turcis Sacra Militia, toto Occidente conlecta; quae majorẽ Aſiae partem Grae-

cis reſtituit: Graecos iterum exturbarunt inde & reliquis maris Mediterranei inſulis Turcae; infelicioribus Chriſtiano nomini OTHOMANNI, ORCANIS, AMURATIS, PAIZETIS, MAHOMETIS, & ceterorum Othomannicae gentis regum auſpiciis. Iidem Saraceni potiti ſunt, duce MAHVIA, *Cypro*; paullo poſt *Rhodo*, & *Creta*: receptas, *Cyprum* quidem ab Monarchis Graecis & Regibus Hieroſolymorum, & *Cretam* a BASILIO Conſtantinopolitano Imperatore, Veneti tandem obtinuerunt; *Rhodum* vero ab Milite Chriſtiano, Turcae per vim in poteſtatem ſuam redegerunt. Potiorem *Thraciae* partem primum adquiſierũt armata manu Gothi & Hunni: deinde Bulgari & Turcae una cum *Macedonia*, *Achaia*, *Graecia* & reliqua *Thracia*; Conſtantinopoli, duce MAHOMETE Amuratis F. IV. Kalendas IunI, anno CIↃCCCC LIII. capta, & cõfecto CONSTANTINO PALAEOLOGO, Manuelis Iunioris F. XCVII. Romanorum Orientis Imperatore, quum jam regnaſſet annos plus minus octo; brevi tempore, praeter duodecim erepta Chriſtianis regna & ducentas urbes occupatas, Trapezunte, Chalci, Scodra, Capha, Hidrunte ſubactis, vi partim, partim deditione. Ita laboratum ab variis in diſcerpendo, imo exſcindendo, (quantulum enim manet?) florentiſſimo, & quod toti Terrarum orbi (enumeratae partes docent) longe lateque dominabatur, Romanorum Imperio. Neque hic ſubſtiterunt

nationes

nationes barbarae; ſed, ne quid, quod tanti ImperI majeſtatem teſtaretur, ſupereſſet, manibus etiam violentis contriverunt admiranda Auctorum, quorum veris innotuerat praeconiis, monimenta. Saevitum maxime in Hiſtoriographos, & qui res ab generoſiſſimo populo geſtas litteris mandatas & in Annales relatas ad poſteritatem erant, inſtituto ſi quod aliud pio, tranſmittere conati. Vbi terrarum *Fabius Pictor*, Scriptorum omnium & Hiſtoriae Romanae Conditorum antiquiſſimus; qui quatuor Annalium de rebus Romanis libros ſcripſit? Vbi gentium *L. Valerius Antias*, qui bello Punico II. ſub Q. Fulvio Flacco militavit? laudatur ejus ab Agellio ſeptuageſimus quintus Annalium liber. Vbi locorum *L. Coelius*, ſcriptor temporibus illis luculentus, juris valde peritus, multorum etiam magiſter: qui alios docuit, ut accuratius ſcriberent? nominantur ſeptem ejus Annalium libri. Periit *Q. Claudius Quadrigarius*, qui viginti tres compoſuit. Interiit *Cn. Gellius*, qui triginta in lucem protulit. Occidit *M. Porcius Cato Cenſorius*, homo, principis Oratoris judicio, ſapientiſſimus: cujus, praeter alia multa, citantur ſeptem libri Originum, (praegravāt enim ibi, quae rerum geſtarū,) Acta ejus Conſulatus, & nonnulla de bello Karthaginienſi. Quo diſparuerunt quatuor *L. CaſſI Heminae* Annaliū libri? Quo abierunt *L. CalpurnI Piſonis*, qui primus legem de pecuniis repetundis tulit, tres, quamvis exi-

liter ſcripti? Quo relegati quadraginta libri, in quos res geſtas, quarum ipſe magna pars, retulerat *Sempronius Aſellio*, ſub P. Cornelio Scipione Aemiliano Tribunus ad Numantiam militaris? Sublata nobis ſcripta *C. Sempronii Tuditani*, qui cum omni vita atque victu excultus & politus, tum ejus elegans habitum fuit dicēdi genus. Perdita *C. FannI* hiſtoria; quae neque nimis infans fuiſſe dicitur, neque perfecte diſerta. Conſumti quatuor Hiſtoriarum de bello Marſico vel Sociali *L. Cornelii Siſennae*, viri docti, ſtudiis optimis dediti, reip. gnari; qui uſitatum ſermonem auſus emendare. Fuiſſe ſcimus viginti circiter Rerum geſtarum libros *L. CornelI Sullae*. Fuiſſe ſatis cōſtat Chronicorum aliquot, & ſedecim de Viris Inluſtribus libros *CornelI Nepotis*. Fuiſſe litteratiores noverunt quatuor Hiſtoriarum libros *Q. AelI Tuberonis*; viri mediocris in dicendo, in diſputando doctiſſimi. Quid dicā de *M. Terentio Varrone*, homine omniū facile acutiſſimo, & ſine ulla dubitatione doctiſſimo, humanae vitae exemplo? qui tam multa legit, ut mirum ſit aliquid ſcribere potuiſſe; tā multa ſcripſit, quam vix quemquam legere potuiſſe eſt veriſimile: numquid quatuor de Vita Pop. Romani libros edidit? numquid Annales? numquid Ephemerides? Quid cōmemorabo Vitas Clarorum Virorum *C. OppI*? Quid Illuſtrium *C. JulI Hygini*? Fruſtra meliore parte quaeritur *C. Salluſtius Criſpus*, auctor florentiſſimus, concinnus verborum

novator,

novator, veritatem conſtanter ſectatus, Romana primus in hiſtoria: cujus quinque meo judicio libros cõpoſuit; brevitate illa, qua nihil apud aures vacuas & eruditas perfectius fuiſſe ſummi viri ſunt conteſtati; adeo ut, quem imitabatur, Thucididi aliquid potuerit addi, ipſi autem nihil demi. Nequiquam exſpectamus *L. Feneſtellae* Annalium libros. Incaſſum promittimus nobis XXVI. *C. Attei Capitonis*, I C. viri maximae auctoritatis, Conlectaneorum libros; in quibus multas Res geſtas fuiſſe, diſcimus ex iis, quae ſuperſunt. Infinitos cum mutilatis & in breviorem continentiam (quaſi iſti injuriae optimis Scriptoribus inferendae nonnulli etiam fuiſſent ab Barbaris ſubornati) conjectis, *Polybio, Dionyſio, Livio, Tacito, Trogo Pompeio*, alijs, praetereo. Poetae etiam, qui res ab Romanis geſtas decantarunt, nefandam calamitatem ſunt paſſi. Quid enim ſupereſt librorum *Cn. NaevI* de bello Poenico? Quid octodecim Annalium *EnnI*? Quid *FurI Antiatis* decem? Aliorum etiã vix adparent veſtigia. In repetundis armata manu Provinciis, quae amiſſae, ſedulam navarunt operam non pauci Imperatores, Reges, Principes: Scriptores, quorũ fide & diligentia non minus, quam partis Victoriis florebat Nomen Romanum, ex ſitu quaſi & pulvere reducere, ſumma magno molita ſunt ſtudio Ingenia. Ego, quum vocatus in hanc, quam adminiſtro, provinciam cenſerem mei quoque muneris eſſe nonnullam

hic ſymbolam conferre; ENNIUM prae aliis ſelegi; non ut ex ejus reſtitutione gloriae quid mihi venarer, (nam quid exſpectandum ex tantillis?) ſed quo docerem, me aliquem gradum poſſe in Critica hac palaeſtra ſperare, niſi graviora ſtudia me avocarent. Summi igitur Poetae, horrendum naufragium paſſi, tabulas ex variorum cuſtodiis conquiſii; conquiſitas, neſcio an feliciter, compoſui; compoſitas ad hiſtoriam ſingulas nova quadam induſtria revocavi, & luce multa inluſtravi. Quae qualiacumque vobis, VV. MAGNI, dico: vobis, apud quos natus, eductus, edoctus; vobis, quibus jam pridem & me & mea omnia (quid enim patriae non debet homo probus?) conſecravi; vobis, qui literis deditos adgenito quodam amore proſequimini. Qua mẽte mitto, accipite quidquid EnnI, quidquid meum: vel ejus merito, quid enim non meretur poeta princeps & reliquorum pater? vel mea cauſſa, ſi me civem veſtrum, amatis; quod, ſcio facitis: accipite, inquam, cum poeta Commentarium hunc, ſi non eruditione rarum, grati tamen animi notis inſignem, teſtemque veſtrae erga me benivolentiae, meique perpetui erga patriam urbem, voſque, qui Tutores illi & Curatores; obſequii & obſervantiae indicem. Si haec vobis doctiſque & candidis animis probaro: magnum ſatis laboris mei fructum adeptum me arbitrabor; ſperans aliam aliquando datum iri meſſem mihi, qua uberiores fru-

ges larga manu veſtris aris imponere licebit. Favore enim veſtro exſtimulabor ad majora olim & meliora, cum Deo dico, tractanda; ad Annales noſtrorum temporum conficiendos, & juſtiorem deinde, ubi cum aetate judicium adcreverit majus, Hiſtoriam conſcribendam. Talia enim, non haec vilioris rei, mea flagitat Profeſſio. Valete VV. NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, PRUDENTISSIMI; quibus, quorumque rebus bona, fauſta, felicia & fortunata ab DEO OPT. MAX. omnia precor. Lugduni Batavorum, xix. Kalendas FebruarI. CIↃ IↃ XCV

AD LECTOREM

TRIENNIUM fere, LECTOR, *ex quo non multo post abitum V.CL.* IUSTI LIPSI, *Amplissimorum* ORDINUM *& Magnorum Virorum commendatione, ab Nobilissimis hujus Academiae* PRAEFECTIS *ex Iudiciali trium Regionum Conventu in hanc Provinciam, cui Historia nõ Romanorum solum, sed aliarum etiam Gentium praesidet, sum deductus. Ab eo tempore, in lucem paullo ante (ne viderer frustra in foro trivisse tempus) edita a me Iuris Civilis Praxi, nihil prius habui, quam omnibus modis Spartam, mihi decretam, ornare Docendo & Scribendo. In Priore quanta sedulitate & diligentia fidem meam liberem: malo judiciis credi aliorum, quam temere a me praedicari. Certe adcommodans me meorum Auditorum ingeniis, eos seligo interpretandos Auctores, qui locupletes ab Verbis, ab Rebus: qui, inquam, Latinae Linguae ornatum conciliant & elegantiam; qui Res gestas clare & brevibus docent; qui ritus antiquos, Publicos praesertim, (nam quid ad nos magnopere Privati?) diligenter aperiunt. Haec enim tria praecipue a me exspectari sentio. Quid Scribendo temporis lapsu posteritati a me sit sperandum & exspectandum; loquuntur jam cum alia, tum in praesentia meus Ennius: cujus in mille partes Gothorum, Hunnorum, Vandalorum, aliorumque Imperii Romani hostium crudelitate discerpti membra hinc inde collegi; collecta, ut fieri commodissime potuit, non paucis locis, composui; composita ad historias suas revocavi, & Commentario illustravi satis amplo. Quem quum ad umbilicum fere perduxissem, prodiit praeter spem in omnia hujus poetae opera Explicatio* HIERONYMI COLUMNAE, *Viri, quod Scripta testantur, quodque magni* SCALIGERI *est judicium, litteratissimi, infinitae lectionis, cui in Eruditiorum apud Italos Senatu primae merito tribuendae; Viri, quod ab aliorum mihi relatu & scriptis, generoso sanguine & satu nobilissimo; Viri denique, cujus indicium undique mihi, candidissimi & cum humanissimis quibusqae sua, quae summa, certantis humanitate. Tanti Viri industria*

ita

ita mihi placuit, ut rogatus a nonnullis sententiam paucis dixerim, Ipsam Diligentiam non posse quid dare diligentius. Quam enim sedulo omnia conquirit! quam dextre depravata emendat! in quam aptos singula redigit numeros! quam docto omnia illustrat Commentario! quanto cum fructu Graeca, quae laudari erat necesse, facit Latina, alibi Sententiam exprimendo, alibi Verba, alibi pari orationis tractu ingrediundo, alibi paucis multa, multis pauca exprimendo! Quum jam coeptam lucem ab Annalibus ENNI amovere, (quamvis adfecta essent omnia & praelo mancipata) aliique Scriptori in tenebris jacenti admovere esset animus: fuerunt, qui, ut pergerem, exstimularunt. Parui, temerarius fortean, cum ob alias, tum ob hanc praecipue caussam, quod viderem alium nobilissimo viro, alium mihi finem in hac editione propositum. Ille in eo totus est, ut ENNIUM cum aliis committat; vel potius ostendat, qui quae ab ENNIO, inter Heroicos primo, mutuati: Ego, ut singula ENNI fragmenta, quae Annalium, (Tragoediarum enim, Comoediarum, aliorumque operum, insuperhabui) ad suas historias divinando revocem; & genuinum singulorum sensum, perpetua rerum narratione, aperiam; quamquam & hic multis locis haud parum praestitit Vir Optimus, atque adeo mihi ad veram ENNI eruendam mentem sua face non uno loco praeluxit. Accedebat altera caussa; quod multa apud me essent fragmenta, quae ab summo Viro non omissa vel neglecta, sed invisa: exscripta mihi ex Calpurnio Pisone, Glossariis Gulielmi Fornerii, & Servio, Virgili interprete, Manuscripto. De Glossariis dixi in Commentario meo, cum alibi, tum folio CLXV. De Servio CL. V. Petri Danielis passim: eum autem traditum intelligo Nivellio, celeberrimo apud Parisios Typographo. ut tandem Servius melius servetur, & post multorum vota lucem adspiciens in Doctorum veniat manus. L. Calpurnius Piso V. C. (sic enim exaratum erat ejus nomen in scripto Exemplari) fuit forte, si conjecturae locus, Nepos istius L. Calpurni L. F. L. N. Pisonis, qui cum Nerone Claudio Caesare Augusto II. Consulatum gessit, anno ab V. C. IↃ CCCX. Vixit sub Trajano; Coaetaneus C. Plinio Caecilio Secundo, M. Valerio Messallae, Ser. Sulpicio Camerino, C. Bellicio Torquato, & Poetis aliis, qui id temporis in

rep.

rep. Romana clari & magni. Cōsul videtur fuisse Ordinarius cū || Vettio Rustico Bolano anno ab V. C. ↀCCCLXIII. *Hic praeter* Ἐρωτοπαίγνιον *(quod mire extollit C. Plinius lib.* V. *Epist.* XVII.) *scripsit* Veterum Poetarum Continentiam; *quem postea imitatus Fulgentius Placiades, fecit* Continentiam Virgilianam. *Hic paullo attentius Virgilium describere conatus est, quam Calpurnius, cui cum Virgilio plures erant discutiendi. CalpurnI certe elegantior & succinctior stilus, quam FulgentI; & majus quid ille, quam hic dare mihi visus. Haec ejus Continentia (vox illa* συνέχεια *Graecis) Parisiis (ubi esse indicarat mihi olim N. V. Wolfgangus Zindelinus, quo Germanorum Principum nomine Venetiis agente familiariter sum usus) servatur in Bibliotheca S. Victoris, utinam religiosius: timeo enim illi a plagio; novi quorumdam Criticorum mores. Conjuncta erat cum Lucano M. S. cui suae ad marginem adjectae notae, rei non magnae. Ego admittente Armariis Praefecto, homine perhumano, vidi: triduum (amplius non poteram propter subitum ex Galliis in Angliam, vocante vento, discessum) ejus lectioni impendi; & enotavi, quae in Henrici Stephani editione desiderabantur, nonnulla Veterum Poetarum fragmenta; multa, quae jam edita supplens & emendans. Inscriptio erat* L. CALPVRNII L. F. PISONIS V.C. DE CONTINENTIA VETERVM POETARVM AD TRAIANVM PRINCIPEM. LIB. I. FELICITER INCIPIT; *rei, ut mihi visum, quam moliebatur Auctor, parum conveniens, & nescio an ab ipso Auctore. Calpurnius enim ibi erudite notabat, quae in Poetis notanda, quae minus; id est, digito quasi indicabat (praemissis, quibus universim Poetarum commendabat imitationem, nominans quosdam sui aevi Poetas) libro* I. *Virtutes,* II. *Vitia: ut brevibus dicam, & priore & posteriore libro committebat (quasi is illi fuisset scopus) magno judicio inter se, modo Poetas Veteres; modo Novos; nunc Novos cum Veteribus; nunc hos cum illis; interdum Poetas cum Oratoribus; aliquando his, illis nonnumquam, saepe utrisque, praetoriam illam mappam mittens: praecipue, ut subodorabar,* ἐν τοῖς σχήμασι καὶ λέξεως καὶ διανοίας; *quod cuivis facile erit videre, si lucem videre contingat aliquando scriptori doctissimo & lectionis multae.*

Potuit

Potuit & hoc me movere ad editionem, quod Commentarius meus Typographo jam eſſet traditus, & praelo mancipatus, foliis aliquot impreſſis; ut revocationem neceſſe fuiſſet fieri, non niſi cum magno Impreſſoris diſpendio. Et alioquin videbam pauciſſima eruditae Hieronymi Columnae Explicationis, imo duo tantum, Exemplaria, in has Provincias advecta. Adſuaderi igitur has ob cauſſas mihi ab amicis Viris paſſus ſum editionem ENNI *: qui in quanto fuerit pretio Viris iſtis antiquis, & quam aeſtimata ejus Scripta; vel inde conſtat, quod non ſolum nervoſa quaeque & integras Sententias citarint, verum etiam minima quaeque, ut gemmulas quaſdam, amarint ex officina magni Poetae mutuari. Maluit M. Tullius* ENNI, *quam ſuis, verbis dicere, Attico ſuo ſcribens,*

Auſus es hoc ex ore tuo?

Maluit Auctor de bello Hiſpanienſi ex ENNIO, *quam cum vulgo loqui,*

. . . noſtri ceſſere parumper.

Maluerunt alii alia ex hoc Poeta petere & mendicare, quam communem loquendi conſuetudinem, cujus ſcribentium aevo uſus, ſequi. Edidit multa, quorum primas obtinent Annales; quod inibi res ab Trojanis, Albanis, Romaniſque geſtae. Omnia variis typis juſſi prodire: ipſa quidem Fragmenta, duplicis generis; quorum minores, ENNI; *majores aliorum, quos* ENNIUS *loquentes facit, verba indicāt: Commentarium vero multorum generum, quatuor praecipue. Italicus enim character: minor Auctorum, quos ſolutae orationis laudo; major Poetarum: Romanus; minor quidem mea* κρίνοντος; *major vero* ἱστορέοντος *docent verba. Rerum narrationi* Hiſtoriae *vocem praeſcripſi; ut, qui Criticorum illecebris non capitur, continuo ductu res mille annorum ſpatio geſtas poſſit legere. Ne autem quis ignoraret ad quae ſingula pertineant tempora, annos Fragmentis & meae Narrationi adpoſui: dum Romam quidem molior, ab Troja capta; Roma excitata, ab ejus cōditione. Quod ſum, in his meis ſcriptis aliquo modo exprimo; duo praecipue de me ſubindicans: mihi Numina quaedam, quod omnibus ſint lumina & aurea tenebroſi hujus aevi ſydera, viros eſſe doctos; me Candoris eſſe*

amantißimum. De Priore teſtor manes, qui fuerunt; teſtor, qui hodieque ſunt. In Belgica, nondum per aetatem ablegatus ab parente meo Gulielmo P. F. G. N. Merula *in regiones exteras, qua debui obſervantia proſequutus ſum, Diſcipulus Praeceptores, Dordraci quidem in urbe patria,* Iodocum Schraerdum; *Delphis* Vibrandũ Revium, *viros pios & doctos: Lugduni vero, CLL. VV.* Cornelium Neoſtadium & Cornelium Grootium *in Iure*; Iuſtum Lipſium *in Hiſtoriis & lingua Latina*; Petreium Tiaram *in Graeca*; Druſium *in Hebraica*; Rodolphum Snellium *in Mathematicis. Inde profectus in Gallias innotui variis locis familiariter & amice VV. NN. & DD.* Iacobo Cuiacio, Ioſepho Scaligero, Barnabae Briſſonio, Vido Fabro Pibracio, Claudio Puteano, Nicolao Fabro, Q. Septimio Florẽti Chriſtiano, Augerio Busbequio, Petro & Frãciſco Pythaeis, Gulielmo Poſtello, Ioanni Aurato, *ejuſque genero* Gulielmo Gulonio, Paſſeratio, Franciſco & Ludovico Carrionibus, Antonio Delrio, Bongarſio, Ioanni Bodino, Henrico Stephano, Germano Valenti Vellio Pimpontio, Petro Danieli, Ioanni Roberto, Gulielmo & Radulpho Fornerijs, Antonio Bayſio, Arnoldo Gryſperio, Simeoni Boſio, Gulielmo Salluſtio de Bertas, Ronſardo, Hieronymo Stadio, Theodoro Marcilio, *& aliis. Inde ad Allobrogas digreſſo amicitiae fores benigne admodum aperuerũt* Theodorus Beza, Sadelus, Antonius Faius, Carolus Perottus, I. Iacomotus, Simon Goulartus, *& alii praeſtantißimi Theologi*; Franciſcus Hotomannus, Iulius Pacius, Dionyſius Gothofredus, Iacobus Lectius, Iſaacus Caſaubonus, Coladonij, *clarißimi Iuriſconſulti. In Helvetia & Rhoetia familiaritatem contraxi cum* Rodolpho Gualthero, Theodoro Zuingero, Baſilio Amerbachio, Samuele Grynaeo, Ludovico Lavatero, Ioanne Gulielmo Stuckio, Burckhardo Lemanno, Gaſparo Wolphio, Ioanne Pontiſella. *In Italia (quia, non abſque graui cauſſa, latendum erat) multos quidem novi, uni tamen tantum* Wolfgango Zindelino, *viro candido & vere Germano, me aperui. Reverſus itinere periculoſo & difficili (ambages epim erant, tamquam fugienti,*

fugienti, quaerendae) Argentorati subsliti, amicos ibi meritus, minime fucatos, G. Obrechtum, L. Tuppium, Nicolaũ Reusnerum, Michaelem Beutherum, Conradum Dasypodium. *Novi ibidem &* Ioannem Andreae, Ioannem Pappum (*magno* Ioanni Sturmio, *quem caecum haud procul Argentorato reperi, adversarium)* Lucam Osiandrum, Iacobum Schegkium, *aliosque Theologos. Ex Germania per Gallias & Angliam, ubi instar omnium mihi fuit* Gulielmus Cambdenus, *domum reversus, viso in urbe patria & compellato, summo Iureconsulto,* Hugone Donello; *quantorum virorum (ad miraculum eorum nostra ferax Batavia) expertus ego amicitias! quorum alii ad gubernacula sedent reipublicae, alij tuendo & conservando Sacrosanctae Iustitiae domicilio praesunt, alij aliis negociis publicis sunt consecrati. Lugdunum vocatus, postquam abierat in patriam V. CL.* Iustus Lipsius, *arta coepit esse mihi familiaritas cum amplissimis nostrae Academiae Curatoribus,* Ianis Duza, Banckeno & Grootio; *artior cum V. N.* Iosepho Scaligero, *quem Ordines nostri ante biennium in hanc provinciam vocarunt; artissima vero, ob muneris similitudinem, cum placidissimis & animi sinceri Conlegis,* Francisco Iunio, Luca Trelcatio, Francisco Gomaro, *Theologis*; Iulio Beyma, Everardo Bronckhorstio, Cornelio Grootio, Gerardo Tunningo, *Iurisconsultis*; Gerardo Bontio, Ioanne Heurnio, Petro Paawio, *Medicis*; Bonaventura Vulcanio *Graecae*; Francisco Raphelengio *Hebraicae linguae Professoribus*; Rodolpho Snellio *Mathematico*; Antonio Trutio *Philosopho, &* Petro Molinaeo *Logico: qui omnes propter summam Pietatem, Probitatem, Eruditionem tanti apud me pretii, ut apud alium majoris esse non possint. Iam vero Candori in intimis mei pectoris penetralibus esse sedem, testãtur, quae in lucem mihi missa, quae mittuntur. Sine simulatione & fuco sententiam aperio; recte ab aliis dicta adprobo, nil eorum mihi adtribuens. Neminem carpo; ne illos quidem, quos conviciis lacerare multo jure potui ob injurias mihi inlatas. Et conniventia & patientia mea multorum iras in me, non mea culpa, conceptas fregit: adeo ut jam vere liceat dicere; me neminem habere inimicum, neminem*

x

mihi meisque rebus invidere; neminem mihi male velle. Tantarũ virium innocentia, quam pro mea virili propriam mihi feci & perpetuam. Tu lector talem te meis scriptis praebe, qualẽ ego me aliorũ. Et summum jus & rigidi Censoris stilus exeste. Sicubi lapsus, ignosce: errare hominis, cujus a me nihil alienum. Odia facessant, quorum fons quaerendus hinc, id est, ab re nihili. Crisis ad summũ venit, sua jam fortuna laborat. Amolietur tandẽ acerbas istas simultatũ, contentionum, conviciorum, inimicitiarũ occasiones (quae minime viã monstrant ad verã laudem) summus ille Deus. Et alioqui quid inde magni commodi egregio publico? Brevis est hominis vita, & majoribus tractãdis homini ab Deo data. Cui bono probare nitar, contra virum mihi ignotum, invisum, & me forte multo meliorem, decem argumentis, apud hunc vel illum Auctorẽ quum scribendum esse non cum. Quorsus illa pertinent? An ibi vorsatur nostra salus? an aeternum haec me aeternabunt? an trito istis minutiis die alios magnum quid docuerim? Dicaci me ferient lingua, qui legent; & merito. Quid ad me, num in hoc vel illo Scriptore legatur, dicis caussa, Cruci adfigere, an Cruce adficere? quamvis prius mage probem, sensus tamen lucet, ut digladiatione non esset opus. Tanti tamen hoc quidam putant; ut, qui Cruce adficere dicant, Crucem iis optent, & Metianum sepulcrum. O mores hominum! & hominum, apud quos alii omnia humanitatis indicia quaeritãt: utinam nõ frustra. Eos rideo, qui ob hectae nonnihil reciprocantes inter se serram, & in simpulo fluctus excitantes, folia multa cõspurcant expungendae Tamen voci, reponendae vero Tandem; quum utramque probaret sententia. Lutea haec. Certe sic volunt excellere multi; si nõ possunt in seriis, saltẽ in his nugis, quae auro illis cõtra. O exsensos, qui sic Musteam illam aetatem terunt! Pudeat temporis tam male locati. Dolebit serio, sed sero, aetas fessa. Sed in fatis Altercarier omnibus Scientiis, quae, quales quales sint, suas habẽt argutias; suas, easque Chrysippeas, subtilitates. Conflictantur Theologi; Digladiantur Iurisconsulti; Cavillantur Medici; quantae vero Verborum pugnae inter Philosophos? quam vanae Quaestiones? quam multae Disceptationes quam frivolae, quam ineptae, quam frigidae? Non perpendunt interim ardentius concertando Veritatem exsulatum ire.

Horum

Horum tamen de rebus sunt altercationes: Criticorum autem (in ruborem sane me dat attentior insaniae tantae cogitatio) de Verbis; de Asini, inquam, umbra, de lana caprina. Ingenia, quae huic Ordini felicissima & ad nihil non praestandum apta, majoribus sunt dicanda: quae & cum fructu & voluptate legētium possent tractare. Vix enim est, ut Critici in aliis etiā non excellant. Sunt summi saepi Iurisconsulti, sunt praestantissimi plurimum Historici, sunt insignes aliquando Philosophi, ab Theologiae secretis minime abhorrent, Medicorum praecepta nequaquam ab iis ignorantur. Pervolitant & pervolutant omnia. Interea ne Criticam artē plane rejiciā & in minimis ponam, Emendationes, quae Theologum, Iurisconsultum, Medicum, Historicum, Philosophum in penitiora Veritatis adyta, certiore quasi dextra, inducāt; quae grave quid & sententiosum, quae Axioma aliquod Ethicum vel Politicum eruant; quibus denique fiam melior & doctior, admitto: putent fere ceterae; nisi etiam linguam, circa quam versantur, ditent. Sed singulario servantur haec a me libello, De Latinos Auctores emendandi ratione. *Pergo. Vitam* ENNI, *quam verissime potis, praemisi, more novo: meis quidem, simplicitus admodum, verbis, ut solent & alii; probandis tamen iis, ne quid temere de Poeta tam antiquo dicere videar, variorum Scriptorum passim testimonia subjiciens: quae diversior indicat character. Adjecta sunt fini Commissa cum Omissis, pauca illa, quae tamen velim quisque corrigat & addat, anteaquam de meo Commentario quid pronunciet. Locus enim corruptior est, fol.*XCVIII. *cui ne in Erratis quidē satis bene mederi potui. Tam male, tam incommode factum illi & ab mea vix bidui absentia, & ab inanimadversa vocū* Cluere *&* Callere *similitudine. Indices, alius opera, confeci tres; primum Veterum Auctorum, quos cito & suae nonnumquam integritati restituo; secundum Recentiorum, quos passim laudo, quorumque doctis scriptis & amica consuetudine profecisse me lubens fateor; tertium vero Verborum & Rerum. Boni cuncta consule. Vale Lector, tuoque favore ad majora tuum Merulam voca*

Q. E N N I
Vita, variis Auctoribus verba praeeuntibus, conscripta ab
PAVLLO G.F.P.N. MERVLA.

Merula:

Q. E N N I V S, *Poeta omnium facile primus, & merito summus,*

M.Tullius Cicero pro L.Cornelio Balbo:

Summus Poeta noster. *Sic alias saepe nominatur cum apud M.Tullium, tum alios*

*

egregiis Ingenii dotibus cumulatus,

Ovidius lib.II.Tristium:

Ennius Ingenio maximus . . . .

*

natus est anno ab V.C. IↃXIV. *C. Mamilio Turrino & Q. Valerio Faltone Coss.*

Agellius lib.XVII.cap.XXI:

Claudium & Tuditanum Coss. sequuntur Q. Valerius & C. Manilius; quibus natum esse Q. Ennium poetam, M. Varro in primo de Poetis libro scripsit. *Legendum* Mamilius.

*

anno, postquam Romae docere coeperat fabulam C.Livius Andronicus;

M. Tullius Bruto:

Atque hic Livius, qui primus fabulam, C.Clodio Caeci F. & M. Tuditano Coss.docuit,anno ipso,antequam natus est Ennius,post Romam conditam autem quarto decimo & quingentesimo, ut hic ait, quem nos sequimur. Est enim inter scriptores de numero annorum controversia. Attius autem a Q.Maximo V.Cos.captum Tarento scripsit Livium,annis XXX. postquam eum fabulam docuisse & Attius scribit,& nos in antiquis commentarijs invenimus. Docuisse autem fabulam annis post XI. C. Cornelio, Q. Minucio Coss. ludis Iuventatis, quos Salinator Senensi praelio voverat. In quo tantus error AttI fuit,ut his Coss.XL. annos natus Ennius fuerit, cui quum aequalis fuerit Livius, minor fuit aliquanto is, qui primus fabulam dedit, quam ij qui mul-

tas

tas docuerant ante hos Coss. & Plautus & Naevius. *Adfectiorem TullI locum alibi inlustrabo & corrigam*

*

quo tempore admissa primum in Vrbem Poetica:

M. Tullius Tusc. quaest.lib.I:

Serius poeticam nos accepimus. annis enim fere IↃX. post Romam conditam Livius fabulam dedit, C. Claudio Caeci F. M. Tuditano Coss. anno ante natum Ennium: qui (*Livius*) fuit major natu, quam Plautus & Naevius

*

Natus, inquam, in Calabria,

Ovidius III.de Arte amandi:

Ennius emeruit, Calabris in montibus ortus

*

Rudiis,

Pomponius Mela lib.II:

Ennio cive nobiles Rudiae

*

urbe magnae Graeciae;

Strabo lib.VI:

Ἐκβάντες δὲ πεζεύουσι συντομώτερον ἐπὶ Ρωδαίον πόλεως Ἑλληνίδος, ἐξ ἧς ἦν ὁ ποιητὴς Ἔννιος

*

uno hoc Alumno memorabili.

Silius Italic.lib.XII:

Rudiae genuere vetustae,
Nunc Rudiae solo memorabile nomen alumno

*

Unde Poeta, homo Rudius,

M.Tullius pro Archia Poeta:

Rudium hominem appellat

*

& Rudinus.

Ausonius in Monosyllabis:

Vnde Rudinus ait: Divom domus altisonum cael

Alii

*

Alii natum Tarenti scribunt.

Eusebius in Chronicis ad annum quartum Olympiados CXXXIV:

Q. Ennius Poeta Tarenti nascitur

*

Oriundum se dixit ab Messapi, quem Equum Domitorem canit Virgilius,

Servius ad illud Virg. VII. Aeneid. At Messapus equum domitor:

Ab hoc Ennius dicit se originem ducere: unde & cantantes inducit ejus socios, & eos comparat (*Virgilius*) cygnis

*

antiqua stirpe.

Silius Italicus lib. XII:

Ennius antiqua Messapi ab origine Regis

*

Hinc Poeta Messapius. Nam & Calabria olim Messapia nominata

Sudas:

ὁ ποιητὴς ὁ μεσσάπιος

*

Quadragenarius in Sardinia vixit, ubi Graecam linguam docuit M. Porcium Catonem Praetorem,

Auctor de VV. Inlustr. cap. XLVII:

M. Porcius Cato in Praetura Sardiniam subegit, ubi ab Ennio Graecis litteris institutus

*

qui Romam eum inde transvexit, anno ab V.C.IƆLV. *T. Quinctio Flaminino & Sex. Aelio Paeto coss.*

Aemilius Probus in vita M. Porcij Catonis:

Praetor provinciam obtinuit Sardiniam, ex qua Quaestor superiore tempore ex Africa decedens Q. Ennium Poetam deduxerat: quod non minoris aestimamus, quam quemlibet amplissimum Sardiniensem triumphum

*

In urbem traductus montem Aventinum habitavit.

Euse-

Eusebius in Chronicis:

Q. Ennius a Catone Romam translatus habitavit in monte Aventino

*

in luco Tutilinae domicilium figens:

M. Terentius Varro lib. IV. de LL:

De Ennio scribens dicit eum coluisse Tutilinae loca. *Quid si* Tutilinae lucum *legamus? Fuerunt enim in Aventino monte multi Luci; inter eos fortean & Tutilinae: & certe Poetae lucos amant, secessus quaerunt & ocia*

*

parco admodum sumtu contentus, & unius Ancillae ministerio.

Eusebius in Chronicis:

Habitavit in Monte Aventino parco admodum sumtu contentus, & unius Ancillae ministerio. *De hac Ancilla etiam paullo post ubi de EnnI Amicis ex M. Cicerone*

*

Trium autem Linguarum Graecae, Latinae & Oscae peritus,

Agellius lib. XVII. cap. XVII:

Q. Ennius tria corda habere se dicebat, quod loqui Graece & Osce & Latine sciret

*

Latinam & Graecam domi forisque docuit: Graecos Auctores Latina interpretatione inlustrans; Latina vero, a se composita, praelegens;

Suetonius de Grammat. Inlustr. cap. I:

Antiquissimi doctorum, & Poetae & Oratores, Semigraeci erãt: Livium & Ennium dico, quos utraque lingua domi forisque docuisse, adnotum est. nihil amplius quam Graece interpretabantur. Ac, si quid Latine ipsi composuissent, praelegebant

*

Patritiae apud Romanos Iuventutis institutor.

Sulpicia in Satyra de statu reip. tempore Domitiani, qui Edicto Philosophos urbe exegerat:

Ergo Numantinus Libycusque erravit in isto
Scipio, qui Rudio crevit formante magistro

Alii tamen malunt ibi Rhodio

*

Qua industria tantum praestitit, ut etiam Graecam linguam Romanis quasi propriam fecerit.

Ennius de se lib. XI:

Contendunt Graecos Grajos memorare solent sos:
Quod Graeca lingua longos per tempori' tractus
Hos pavi . . . . . .

*

Quum vero vir esset probus, candidus, minime fucatus,

Ennius de se:

Ego eo ingenio natus sum, amicitiam
Atque inimicitiam in fronte promtam gero

*

singularis prudentiae, & fortitudinis,

Horatius lib. II. Epist.

Ennius & sapiens, & fortis, & alter Homerus,
Vt Critici dicunt, leviter curare videtur,
Quo promissa cadant & somnia Pythagorea

*

malas artes & dolos detestatus, in nullo doctrinae genere non versatus fidei probatissimae, gratia multum valens, rarae facundiae, sua contentus sorte, faventioris genii, amoenioris indolis, optimi consilii, commodioris consuetudinis, pauci sermonis, omnium denique disciplinarum scientia abunde praeditus:

Ennius de se apud Agellium lib. XII. Noct. Attic. cap. IV:

Ingenio quoi nolla malum sententia suadet,
Vt faceret facinus, levis aut malus; doctus, fidelis,
Suavis homo, facundu', suo contentu', beatus,
Sceitu', secunda loquens in tempore, commodu', verbum
Paucum, molta tenens antiqua, sepolta, vetusta;
Quai faciunt mores veteresque novosque tenentem;
Moltarum veterum legum, Deivomque hominumque
Prudentem, quei molta loqueive tacereve posset

T. Aelium

T. Aelium Stilonem dicere ſolitum, *inquit Agellius*, ferunt, Q. Ennium de ſemetipſo haec ſcripſiſſe picturamque iſtam morum & ingenii ipſius Q. Ennii factam eſſe

*

facile ſibi amicitiam adquiſivit primorum Romae civium. Imprimis vero carus fuit P. Cornelio Scipioni Naſicae,

M. Tullius pro Archia poeta:

Carus fuit Africano ſuperiori noſter Ennius

*

admodum familiariter; & ad ſales uſque dictaque feſtiva, ut etiam jocis apud eos locus fuerit.

M. Tullius lib. II. de Oratore:

Ut illud Naſicae: qui quum ad poetam Ennium veniſſet, eique ab oſtio quaerenti Ennium, ancilla dixiſſet, domi non eſſe. Naſica ſenſit, illam domini juſſu dixiſſe, & illum intus eſſe. Paucis poſt diebus, quum ad Naſicam veniſſet Ennius, & eum a janua quaereret, exclamat Naſica, ſe domi non eſſe. tum Ennius, Quid? ego nō cognoſco vocem, inquit, tuam? Hic Naſica: homo es impudens: ego, quum te quaererem, ancillae tuae credidi, te domi non eſſe; tu mihi non credis ipſi?

*

Nepotem ex Sorore habuit M. Pacuvium, Poetam Tragicum, qui Avunculi veſtigiis inſiſtens multa compoſuit; in quorum fragmentis clariſſime videre eſt ingenium admirandum, inſignem doctrinam, genus dicendi vehemens, gratam ſententiarum gravitatem, pondus verborum quod fruſtra quaeras apud alios.

Plinius lib. XXXV. Nat. hiſt. cap. IV:

Proxime celebrata eſt in foro Boario aede Herculis PacuvI poetae pictura. EnnI ſorore genitus hic fuit, clarioremque eam artem Romae fecit gloria Scenae

*

Artis militaris fuit Ennius ſcientiſſimus. Meruit in Sardinia cum P. Cornelio Scipione;

Claudianus in laudibus Stiliconis:

Non ſine Pieriis exercuit artibus arma,
Semper erat vatum maxima cura duci.

Gaudet enim Virtus testes sibi jungere Musas;
Carmen amat quisquis carmine digna gerit

*

ubique lateri ejus adhaerens:

Et paullo post:

Haerebat doctus lateri, castrisque solebat
Omnibus in medias Ennius ire tubas

*

Centurionis ornatus honore & insignibus,

Silius Italic. lib. XII:

Miscebat primas acies, Latiaeque superbum
Vitis adornabat dextra decus

*

ardore singulari adoriens, oblata occasione, hostes.

Idem eodem libro:

Is prima in pugna, vates ut Thracius olim
Infectam bello quateret quum Cizicus Argon,
Spicula deposito Rhodopeia pectine torsit:
Spectandum sese non parva strage virorum
Fecerat, & dextrae gliscebat caedibus ardor

*

Militavit item in Aetolia cum M. Fulvio Nobiliore Cos. anno ab V.C. IↃLXIV.

M. Tullius Bruto:

Q. Nobiliorem M.F. jam patrio instituto deditum studio litterarum, qui etiam Q. Ennium, qui cum patre ejus in Aetolia militaverat

*

quamvis ringentibus aliis, tam grato tamen & amico contubernio,

M. Tullius Tusc. quaest. lib. I:

Honorem huic generi (*poeticae*) non fuisse declarat oratio Catonis, in qua objecit ut probrū M. Nobiliori, quod is in provinciam poetas duxisset: duxerat autem Consul ille in Aetoliam, ut scimus, Ennium

*

ut Ennius FulvI victoriam de Aetolis & Ambraciotis per se magnificam insigni laude celebrarit:

Auctor

Auctor de Viris Inlustr. cap. LII:

Quam victoriam *de AEtolis & Ambraciotis* per se magnificam Q. Ennius amicus ejus (*M. FulvI Nobilioris*) insigni laude celebravit

*

Q. vero Fulvius, in gratiam sui EnnI, nō dubitarit Martis manubias Musis consecrare;

M. Tullius pro Archia poeta:

Iam vero ille, qui cum Aetolis Ennio comite bellavit, Fulvius non dubitavit Martis manubias Musis consecrare

*

& Censor postea anno IↃLXXIV. *Aedem Herculis Musarum in Circo Flaminio facere.*

Eumenius Rhetor, oratione, quam habuit pro scholis Cliviensibus instaurandis:

Aedem Herculis Musarum in Circo Flaminio Fulvius ille Nobilior ex pecunia Censoria fecit: non id modo sequutus, quod ipse litteris & summi (*sic enim legendum*) Poetae amicitia duceretur; sed quod in Graecia quum esset Imperator, &c

*

Quin & ejus filius Q. Fulvius Nobilior, ut & ipse gratitudinem testaretur suam in patris sui Virtutum praeconem, Triumvir anno IↃLXIX. *cum Q. Fabio Labeone & M. Fulvio Flacco deducendis Coloniis, Pollentiae in Picenum, Pisauro vero in Gallicum agrum, Poetam civitate donavit.*

M. Tullius Bruto:

Q. Nobiliorem M. F. jam patrio instituto deditum studio litterarum, qui etiam Q. Ennium, qui cum patre ejus in Aetolia militaverat, civitate donavit, quum Triumvir Coloniam deduxisset

*

Quam doctissimae & deditae litterarum studiis familiae benivolentiam, quum, tenuioris conditionis, singularibus excipere officiis nequiret, suis saltem scriptis notam posteris esse voluit.

Ennius ipse lib. XVIII. Annalium:

Nos sumu' Romanei, quI fuvimus ante Rodaiei

*

Scripsit varia. Praeter alia Annalium libb. XIIX,

Lucilius Epistula:

Item quaevis non magna pars Poema est illa: Poesis opus totum, totaque illa summa est una θέσις, ut Annales EnnI

*

lectu, si exstarent, dubio procul dignissimos;

M. Tullius lib. II. de Nat. Deorum:

Non intellego quur non idem putet, si innumerabiles unius & viginti formae litterarum aliquo conjiciantur, posse ex his in terram excussis, Annales EnnI, ut deinceps legi possint, effici

*

generosiore stilo: quibus Romam Romanosque aeternavit.

Iulius Caesar Scaliger:

Magne senex, cui torva gravi sonat horrida cantu
Buccina, bellaci quum crepat hasta manu.
Dic Romae, dic Phoebigenis; te huic condere vitam,
His donare sacrae semina magna tubae

*

In iis enim commissa canit bella;

Ennius de se lib. I:

Horrida Romuleum certamina pango duellum

*

Duces celebrat Romanos;

Silius lib. XII:

Hic canet inlustri primus bella Itala versu,
Attolletque duces coelo . . .

*

Res scribit ab iis gestas:

M. Tullius lib. I. Tuscul. ubi Ennius de se:

Hic vostrum panxit maxuma facta patrum

*

perfecte, absolute, polite;

M. Tullius Bruto:

Sit Ennius sane, ut est certe, perfectior; qui si illum, ut simulat, contemneret, nō, omnia bella persequens, primū illud Punicum acerrimum bellum reliquisset. Sed ipse dicit, quur id faciat; *Scripsere*, inquit, *alij*

rem

rem Verſibus. & luculente quidem ſcripſerunt, etiam ſi minus, quam tu, polite. Nec vero tibi aliter videri debet, qui a Naevio vel ſumſiſti multa, ſi fateris: vel, ſi negas, ſubripuiſti

*

non omiſſo etiam furtivo Martis concubitu

Ovidius lib. II. Triſtium:

Vtque ſuo Martem cecinit gravis Ennius ore

*

cum Rea Ilia, Virgine Veſtali,

Ovidius II. Triſtium:

Sumſerit Annales, nihil eſt hirſutius illis;
Facta ſit unde parens Ilia, nempe leget

*

obducto nequaquam velo.

Propertius lib. IIII. Eleg. I:

Ennius hirſuta cingat ſua tempora quercu

*

Laudibus inde proſequens cum alios, tum Horatios & Curiatios,

Propertius lib. III. Eleg. II:

Et cecinit Curios fratres; & Horatia pila;
Regiaque Aemilia vecta Trophaea rate;
Victriceſque moras Fabij; pugnamque ſiniſtram
Cannenſem; & vorſos ad pia vota Deos;
Annibalemque Lares Romana ſede fugantes;
Anſeris & tutum voce fuiſſe Iovem

*

ceteroſque Principes in rep. Romana viros;

M. Tullius pro Archia poeta:

In coelum hujus proavus Cato tollitur; magnus honos populi Romani rebus adjungitur. Omnes denique illi Maximi, Marcelli, Fulvij non ſine communi omnium noſtrum laude decorantur. Ergo illum, qui haec fecerat, Rudium hominē maiores noſtri in civitatem receperunt

*

abſque ullo fuco:

M. Tullius Bruto:

Quem vero exstet, & de quo sit memoriae proditum, eloquentem fuisse, & ita esse habitum, primus est M. Cornelius Cethegus, cujus eloquentiae est auctor, & idoneus quidem mea sententia, Q. Ennius; praesertim quum & ipse eum audiverit, & scribat de mortuo; ex quo nulla suspicio, amicitiae caussa esse mentitum

*

tanta singula dexteritate, ut Epicus Poeta κατ᾽ ἐξοχὴν Posteris nominatus,

M. Tullius de optimo genere Orat.

Itaque licet dicere & Ennium, summum Epicum poetam, sicui ita videtur; & Pacuvium Tragicum; & Caecilium fortasse Comicum

*

Romani Carminis primus Auctor habitus,

Auctor Panegyrici Maximiano Aug. dicti:

Etenim quod ait ille Romani carminis (*sic legendum pro* Criminis) primus auctor: *et cetera*

*

& Heroici versus Majestas ab eo originem traxisse fuerit dicta.

Lucretius libro 1:

. . . . . qui primus amoeno
Detulit ex Helicone perenni fronde coronam

*

Non enim tantũ, ut merito gloriari solebat, Retro-poetas omnes superavit,

M. Tullius Bruto:

Quid? nostri veteres versus ubi sunt?

. . . quos olim Faunei Vatesque canebant:
Quom neque Musarum scopolos quisquam superarat,
Nec dictei studiosus erat . . . ante hunc

ait ipse de se: nec mentitur in gloriando. sic enim sese res habet

*

paullo etiam licentius de iis loquutus,

M. Tullius Oratore:

Ergo Ennio licuit vetera contemnenti dicere:

Versibu', quos olim Faunei Vatesque canebant

*

absque conviciis tamen:

Ennius de se lib.I:

neque me decet haec carinantibus edere charteis

*

verum etiam posterioribus fuit praelatus; imo, summorũ Virorum judicio, ipsi Virgilio, quamvis hic multis Poetarum Latinorum eminentissimus.

Aelius Spartianus in Vita Adriani Imp:

Amavit praeterea genus dicendi vetustum; Controversias declamavit; Ciceroni Catonem, Virgilio Ennium, Sallustio Caecilium praetulit

*

Annales (quibus Homerum multis locis expressit, ut in aliis alios)

M.Tullius lib.I.de Fin.bon.& malorum:

Locos quidem quosdam, si videbitur, transferam, & maxime ab iis, quos modo nominavi, quum inciderit, ut id apte fieri possit, ut ab Homero Ennius, Afranius a Menandro solet

*

in summo semper pretio habiti,

Suetonius de Inlustr. Grammat. de M.Pompilio:

Ibique *(Cumis)* in otio vixit & multa composuit: verum adeo inops, atque egens, ut coactus sit, praecipuum illud opusculum Annalium EnnI librorum sexdecim millibus nummûm cuidam vendere: quos libros Orbilius suppressos redemisse se dixit, vulgandosque curasse nomine auctoris. *Vide tamen hunc SuetonI locum in meo Commentario, folio* 10C

*

tanto; ut publice etiam fuerint certis diebus recitati, non solum Romae ab Viris maximis,

Suetonius de Inlustr. Grammat. cap.II:

Q. Vargunteius Annales EnnI certis diebus in magna frequentia pronunciabat, ut Laelius, Archelaus, Vettius

*

sed & in Provinciis: ab ejus nomine nonnullis Ennianistas se appellantibus.

Agellius lib.XIIX.cap.V.

Antonio Iuliano Rhetori Puteolis nunciatur ἀναγνώστην quemdam, non indoctum hominem voce admodum scita & canora, EnnI Annales legere ad populum in Theatro. Eamus, inquit, auditum nescio quem istum Ennianistam. hoc enim se ille nomine appellari volebat

*

Scriptos autem continenti scriptura in XIIX. *libros distinxit Q. Vargunteius.*

Suetonius de Inlustr. Grammat. cap. II:

C. Octavius Lampadio NaevI Punicum bellum, quod unico volumine & continente scriptura expositū divisit in VII. libros, ut postea Q. Vargunteius Annales EnnI

*

Temporis injuria depravatiores emendavit C. Octavius Lampadio.

Agellius lib. XIIX. cap. V:

Lampadionis manu emendatos fuisse Annalium libros significat.

*

Et Commentariis inlustrarunt non pauci;

Agellius lib. XIIX. cap. V,

Pervolgata Commentaria in Q. EnnI Annales nominat

*

inter alios Flavius Caper.

Sosipater Charisius lib. I:

Hebem. Ennius in XVI. ubi Fl. Caper: non ut adjunctive sed appellative est loquutus

*

Scripsit etiam fabulas;

Plinius lib. VII. cap. XXVII:

Vtique si recipiatur poetica fabulositas, Q. Ennius, &c

*

Tragoedias, inquam, & Comoedias vertit ex Graecis:

Terentius in Prologo Andriae:

Qui quum hunc accusant; Naevium, Plautum, Ennium
Accusant, quos hic noster auctores habet

*

tam commode & feliciter,

Agellius lib. XI. cap. IV:

Versus *Euripidis* Q. Ennius, quum *ejus Tragoedias* verteret, non sane incommode aemulatus est

*

ut Romani aliique magis fuerint versis versibus delectati, quā Graecorum, unde versi erant, lectione

M. Tul-

M.Tullius de optimo genere Orat.

Sed tamen Ennium & Pacuvium & Attium potius, quam Euripidem & Sophoclem legunt

*

Vertit omnia nobilibus Trimetris

Horatius de arte Poetica:

Hic & in AttI
Nobilibus Trimetris apparet rarus, & EnnI
In ſcenam miſſos magno cum pondere verſus
Aut operae celeris nimium, curaque carentis
Aut ignoratae premit artis crimine turpi

*

Metrorum legibus interdum non religioſe obſervatis:

Acron HoratI interpres:

Attius & Ennius legem metri in fabulis minime ſervaverũt. Nam quoſdam Verſus Longiores habent

*

Scriptis ſuis, praecipue Tragoediis, etiam Phyſica nonnumquam admiſcens.

M.Tullius lib.III.de Oratore:

Quamvis Sphaeram in Scenam (ut dicitur) attulerit Ennius: tamen in Sphaera fornicis ſimilitudo non poteſt ineſſe

*

Compoſuit item quatuor Satyrarum libros.

Porphyrion ad lib.I.Horat.Sat.X:

Ennius quatuor libros Satyrarum reliquit

*

Scipionem ſingulario opere cecinit

Sudas:

Ἔννιος. ῥωμαῖος ποιητής. ὃν Αἰλιανὸς ἐπαινεῖν ἄξιον φησί. Σκιπίωνα γὰρ ᾄδων, καὶ ἐπὶ μέγα ἐξᾶραι τὸν ἄνδρα βουλόμενος, φησὶ μόνον ἂν ὅμηρον ἐπαξίους ἐπαίνους εἰπεῖν Σκιπίωνος. δῆλον δὲ ὡς ἐτεθήπει τοῦ ποιητοῦ τὴν μεγαλόνοιαν καὶ τῶν μέτρων τὸ μεγαλεῖον καὶ ἀξιάγαστον. καὶ ὡς ἐπαινέσαι δεινὸς ὅμηρός ἐστι καὶ κλέος ἄνδρων πυργῶσαι τε καὶ ἆραι, ἐξ ὧν ἐπήνευσε τὸν Ἀχιλλέα, &c

*

quamquam, uno clamante, rudi & impolito praeconio

Valerius Maximus:

Rude & impolitum praeconium, quo Ennius Superiorem Africanum celebravit, notat

*

Euhemeri antiquissimi Auctoris historiam de rebus gestis Jovis & ceterorū, qui DI putantur, Latine est interpretatus. Infinita alia praetereo

Lactantius lib.1. de falsa relig.cap.xi:

Antiquus auctor Euhemerus, qui fuit ex civitate Messana, res gestas Iovis & caeterorum, qui DI putantur, collegit; historiamque contexuit ex Titulis, & Inscriptionibus sacris, quae in antiquissimis templis habebantur, maximeque in fano Iovis Triphylii; ubi auream columnam positam esse ab ipso Iove titulus indicabat: in qua columna gesta sua perscripsit, ut monimētum esset Posteris rerum suarum. Hanc Historiam interpretatus est Ennius, & secutus, &c

*

Libri tamen de Litteris, Syllabis, Metris & Auguriis, qui olim circumlati, non sunt Poetae, sed alterius EnnI.

Suetonius de Inlustr. Grammat. cap.1:

Nam quod nonnulli tradunt duos libros de Litteris, Syllabisque, item de Metris ab eodem Ennio editos, jure arguit L. Cotta, non poetae sed posterioris EnnI esse; cujus etiam de Augurandi disciplina volumina feruntur

*

Scripsit autem eleganter, nervose,

Nonius Propinare & Medullitus:

Enni poeta salve, qui mortalibus
Vorsus propinas flammeos medollitus

*

sententiose:

Auctor ad Herennium lib.iv:

Ita ut si de Tragoediis EnnI velis sententias eligere, &c

*

ut merito Posteris aestimatus Poeta, non modo bonus;

M. Imp. apud Vulcatium Gallicanum in Avidio Cassio:

Scis enim versum a bono poeta dictum

*

sed optimus etiam & summus,

M. Tullius lib.1. de Oratore:

Vt ille qui propter hanc Iuris Civilis scientiam sic appellatus a Summo Poeta est:

egregie cordatus homo Catus Ailiu' Sextus

ingenio

*

ingenio praeſtans;

M.Tullius pro Muraena:

Ingenioſus poeta & auctor valde bonus

*

utpote qui Linguam Latinam ditavit,& nova rerum finxit vocabula.

Horatius de arte Poetica:

. . . . . ego quur, adquirere pauca
Si poſſum, invideor? quum lingua Catonis & EnnI
Sermonem patrium ditaverit, & nova rerum
Nomina protulerit?

*

Merito igitur omnis aetas ejus verſus eſt venerata,

M.Imperator apud Vulcatium Gallicanum in Avidio Caſſio:

Scis enim verſum a bono poeta dictum & omnibus frequentatum

*

& in comparandos Poetae libros prona & ſumtuoſa

Agellius lib.xIIx.cap.v,

Antiquitatem Ennianae lectionis tam fuiſſe ſtudioſam innuit, ut de veritate alicujus loci vel ſcripturae ambigens, libros nonnumquam ſummae atque reverendae vetuſtatis, ſtudio precioque multo, unius verſus inſpiciendi gratia, conduceret

*

Diſſimilis in Scriptis perhibetur fuiſſe ab aliis ſui aevi,

M.Tullius lib.III.de Oratore:

Atque id primum in poetis cerni licet, quibus eſt proxima cognatio cum Oratoribus, quā ſint inter ſeſe Ennius, Pacuvius, Attiuſque diſſimiles

*

& ſtilus ejus non ubique par,

M.Tullius Oratore:

An ego Homero, Ennio, reliquis poetis, & maxime Tragicis cōcederem, ut ne omnibus locis eadem contentione uterentur, crebroque mutarent, nonnumquā etiam ad quotidianum genus ſermonis accederent: ipſe numquam ab illa acerrima contentione diſcederem

*

imo ad communem loquendi morem proxime accedens, & familiarior; ideoque neglectior

M. Tullius Oratore:

Ennio delector, ait quispiam, quod non discedit a communi more verborum; Pacuvio, inquit alius: omnes apud hunc ornati elaboratique sunt versus; multa apud alterum negligentius

*

Sed haec & alia talia partim Enniano saeculo sunt adscribenda;

Macrobius lib. Sat. VI. cap. III:

Nemo ex hoc viles putet veteres poetas, quod versus eorum scabri nobis videntur. Ille enim stilus Enniani saeculi auribus solus placebat, & diu laboravit aetas sequuta, ut magis huic molliori stilo adquiesceretur

*

partim eorum, qui dare potiora nequibant, conviciis:

Horatius lib. I. Sat. X:

Nil comis tragici mutat Lucillius AttI?
Non ridet versus EnnI gravitate minores,
Quum de se loquitur, non ut majore reprensis?

ubi Acron: non vituperat quaedam in Attio, nec deridet Ennium, quasi non habentem gravitatem; sed ita, ut eos sese fateatur meliores esse. *& Porphyrion:* Scripta Enniana reprehendit, ut non tamen Ennio se praeponat

*

ut inmerito notatus ab magnis Viris fuerit ob incomtiorem stilum;

Agellius lib. XII. cap. II:

Annaeus Seneca in libro XXII. Epistolarum Moralium, quas ad Lucilium composuit, deridiculos versus Q. Ennium de Cethego antiquo viro fecisse hos dicit:

. . . . . dictus ollis popularibus olim,
Qui tum vIvebant homines atque aivom agitabant,
Flos delIbatus popolei & Suada medolla

ac deinde scribit de isdem versibus verba haec: Admiror eloquentissimos viros & deditos Ennio pro optimis ridicula habuisse, *& quae multa ibi sequuntur*

inmeri-

*

inmerito arte rudis,

Ovidius lib.II.Tristium:

Ennius arte rudis

*

& carens appelletur;

Ovidius lib.I.Amor.Eleg.XV:

Ennius arte carens

*

inmerito versus ejus difficilior clametur.

Crodus urceus:

Non versus EnnI difficilis placet

*

Quorum sinistris de praestantissimo poeta judiciis dementata Posteritas versibus ejus haud multum est delectata:

Seneca lib.III. de Ira:

Non aequis quemdam oculis vidisti, qui de ingenio tuo male loquutus est. Recipis hanc legem? Ergo te Ennius, quo non delectaris, odisset: & Hortensius simultates tibi indiceret; & Cicero, si derideres carmina ejus, inimicus esset

*

adeo ut usus multa paullatim ejus verba neglexerit;

Seneca lib.VIII. Epist:

Non id ago nunc hac diligentia, ut ostendam quantum tempus apud Grammaticum perdiderim, sed ut ex hoc intelligas, quantum apud Ennium & Attium verborum situs occupaverit: quum apud hunc quoque, qui quotidie excutitur, aliqua nobis subducta sint

*

&, monstratis politioribus, ut vocabantur, mundiciis respuerit:

Macrobius lib.I.cap.IV:

Ennius, nisi cui videtur inter nostrae aetatis politiores mundicias respuendus, &c

*

toto Ennio paullatim vilescente;

Anticlaudianus:

Illic pannoso plebescit carmine noster
Ennius . . . . .

sortito

*

ſortito denique inter Poetas Veteres poſtremum locum, praviſſimo imi ſubſellii Senatoris ſuffragio.

Volcatius Sedigitus libro de Poetis apud Agellium lib.xv.cap.xxiv:

Moltos incertos certare hanc rem vidimus,
Palmam Poetae Comico quoi deferant;
Eum, me judice, errorem ſolvam tibi,
Ut contra ſi quis ſentiat, nil ſentiat.
Caecilio palmam ſtatuo de Comico;
Plautus ſecundus facile exſuperat ceteros;
Dein Naevius, qui fervet, pretio in tertio eſt;
Si quid quarto detur, dabitur Licinio;
Poſt inſequi Licinium facio Attilium;
In ſexto conſequetur hos Terentius;
Turpilius ſeptimum; Trabea octavum obtinet;
Nono loco eſſe facile facio Luſcium;
Decimum addo Antiquitatis cauſſad Ennium

*

Neque haec praetereunda: quod poeta primus Auctor fuerit geminandi Litteras;

Feſtus in Solitaurilia:

Nomen **Solitaurilia** per unum L enunciari non eſt mirum. quia nulla geminabatur littera in ſcribendo. quam conſuetudinem Ennius mutaviſſe fertur, utpote Graecus Graeco more uſus

*

quod Graecis litteris Latinas ſubſtituens V *pro* Y; *F. uſurparit pro* φ;

M.Tullius Oratore:

Purrum ſemper Ennius, numquam **Pyrrhum**;

Vt patefecerunt Fruges,

non *Phryges*, ipſius antiqui declarant libri. Nec enim Graecam litteram adhibebant

*

quod ſemel tantum hiarit in verſu faciendo;

M.Tul.

M.Tullius Oratore:

Sed Graeci viderint. nobis, ne ſi cupiamus quidem, diſtrahere voces conceditur. Indicant orationes illae ipſae horridulae Catonis; indicant omnes poetae, qui ut verſum facerent, ſaepe hiabant; ut Naevius:

Vos qui accolitis Hiſtrum fluvium, atque Algidum.

& ibidem:

Quam numquam vobis GraI atque BarbarI.

At Ennius ſemel:

Scipio invicte . . . .

*

quod denique Iſdem *pro* Eiſdem *dixerit; & ſimilia*

M.Tullius Oratore:

Idem campus habet . . . .

inquit Ennius; et:

In templis Iſdem

probavit, at eiſdem erat verius, nec tamen eiſdem, opimius. male ſonabat, ijſdem

*

Scripſit etiamnum, quum ageret annum LXVII. *Nam eo tempore librũ duodevicesimum (ſic enim apud Agellium legendum) ſuperioribus* XVII. *addidit.*

Agellius lib. XVII. cap. XXI:

Q. Ennium, quum ſeptimum & ſexageſimum annum ageret, duodecimum Annalem ſcripſiſſe; idque ipſum Ennium in eodem libro dicere, tradit M. Varro in primo de Poetis libro

*

Nimio potui indulgẽs,

Q. Serenus Sammonicus, de Podagra:

Ennius ipſe pater, dum pocula ſiccat iniqua,
Hoc vitio tales fertur meruiſſe dolores

*

Podagra laboravit.

Ennius de ſe:

Numquam poetor, niſi podager

*

Tandem ſenio confectus,

Ennius de se lib. XVIII. Annalium:

Sic ut fortis equus, spatio qui forte supremo
Vicit Olympia, nunc senio confectu' quiescit

Equi fortis, *inquit M. Tullius de Senectute*, & victoris senectuti comparat suam

*

septuagenario major, articulari morbo periit:

Eusebius in Chron. ad annum quartum Olymp. CLIII:

Ennius Poeta, septuagenario major, articulari morbo perijt

*

anno ab V. C. IↃXXCIV. *Q. Marcio Philippo iterum & Cn. Servilio Caepione Coss.*

M. Tullius Bruto:

Q Marcio, Cn. Servilio Coss. mortem obijt Ennius

M. Tullius de Senectute:

Ille autem, Caepione & Philippo iterum Consulibus, mortuus est

*

inter secundum & tertium bellum Punicum.

Suetonius de Inlustr. Grammat. cap. II:

Primus, quantum opinamur, studium Grammaticae in urbem intulit Crates Mallotes, Aristarchi aequalis, qui missus ad Senatum ab Attalo rege inter secundum ac tertium bellum Punicum, sub ipsam EnnI mortem, &c

*

Sepultus autem putatur apud Scipiones,

Ovidius III. de Arte amandi:

Ennius emeruit, Calabris in montibus ortus,
Contiguus poni Scipio magne tibi

*

via Appia, intra primum ab Vrbe lapidem.

Eusebius in Chronicis:

Sepultus est in Scipionis monimento via Appia, intra primum ab Vrbe miliarium

*

Quidam in patriam ossa translata scribunt.

Euſebius in Chronicis:

Quidam ejus oſſa Rudias ex Ianiculo tranſlata adfirmant

*

Certe ſtatuam meruit e marmore in Scipionum ſepulcro;

M.Tullius pro Archia poeta:

In ſepulcro Scipionum putatur *Ennius* eſſe conſtitutus, e marmore

*

volente id Africano priore:

Solinus cap.VI:

Africanus prior Q.EnnI ſtatuam imponi ſepulcro ſuo juſſit

*

adſtitutis & ſua & L.Scipionis.

Livius lib.XXXVIII.ab V.c:

Romae extra portam Capenam in Scipionum monimento tres ſtatuae ſunt, quarum duae P. & L. Scipionum dicuntur eſſe; tertia Poetae Q. Ennij

*

In animo ſcilicet & oculis geſtabat Vir magnus maximi Poetae amiciſſimam ſecum conſuetudinem,

C.Plinius natur.hiſt.lib.VII.cap.XXX:

Prior Africanus Q.EnnI ſtatuam ſepulcro ſuo imponi juſſit, clarumque illud nomen, imo vero ſpolium ex tertia orbis parte raptum, in cinere ſupremo cum poetae titulo legi

*

& partam ſuo nomini tanti Vatis ingenio aeternitatem.

Valerius Maximus lib.VIII.cap.XV:

Superior Africanus EnnI poetae effigiem in monimẽtis Corneliae gentis collocari voluit; quod ingenio ejus opera ſua inluſtrata judicaret: nõ quidem ignarus, quamdiu Romanum imperium floreret, & Africa Italiae pedibus eſſet ſubjecta, totiuſque terrarum orbis ſummum culmen arx Capitolina poſſideret, eorum exſtingui memoriam non poſſe: ſi tamen litterarum quoque lumen illis acceſſiſſet, magni aeſtimans

*

Epitaphium ſibi vivens Poeta *ſcripſit.*

Ennius apud M.Tullium:

Adſpicite, o CIveis, ſenis EnnI imagini formam,
Hic voſtrum panxit maxuma facta patrum.

Nemo me lacrumeis decoret, nec founera fletum
Faxit: quom volito doctu' per ora virum.

*

Talis & tantus fuit Ennius, cujus in mille etiam partes discerpti fama numquam interibit.

Ovidius lib. I. Amor. Eleg. XV:

Casurum nullo tempore nomen habet

*

Inmortalitatem sane suorum Operum ipse libro Annalium primo est auguratus

Ennius de suis scriptis:

Nam Latii popoli Res, atque Poemata nostra
Cluebunt . . . . . .

Aeternum: quod tibi precor magne Vates

FINIS

IN Q. ENNI ANNALES

AB

PAVLLO G. F. P. N. MERVLA I.C

EDITOS

Ω λιπαρὸν πόδα πρῶτος ἐπ' ἀσιβὲς οὖδας ἐρείσας
Ιταλικῆς Μούσης, Ικαλὲ Μαιονίδη,
Ως ἄρα προφρονέως μάλα λεύσσομεν, Εννιε, λήθης
Καὶ Στυγὸς ὀρφναίους νῦν σὲ λίποντα πόρους.
Καί τοι ἄϊσωσαν τάτε λείψανα, τάς τε ἀοιδὰς
Σεῖο πάλαι θάνατος καὶ χρόνος ἀινοβίης.
Νῦν σὲ τὸν ἄρτι νεκροῖς ἐναρίθμιον ἴδρις ἀοιδῆς
Αυσονίης ΜΕΡΟΛΑΣ ἐξ ἀΐδαο δόμων,
Ως φοῖβος τὸν παῖδα Κορώνιδος ἦγε φόως δε.
Ω μέγα τοῦ πότμου θαῦμα παλιμπελέος.
Εννιος ἐκ ταῶ, κἀξ Εννίου ἔπλεο μηδὲν:
Εννιος ἀλλ' ἐκ δὴ μηδενός αὖθις ἔφυς

ΙΩΣΗΠΠΟΣ ΣΚΑΛΑΝΟΣ ΙΟΥΛΙΑΔΗΣ

*

QVi nitido intactos Musae pede primus inisti
Italicae campos, Itale Maeonide,
O quam hilares, ENNI, *spectamus, quamque lubentes,*
De Styge, de leti te reducem tenebris.
Atquin reliquiasque tuas, dulcesque Camoenas
Mors, & vis duri temporis obruerant.
Nunc vates Latii inter cassos luce vagantem
Te Merula ex Orco, Phoebus uti puerum
Ante Coroniden, in luminis eruit oras.
Quam Fatum miras itque reditque vices.
ENNIVS *e Pavo es, quique* ENNIVS *ante, nihil fis.*
ENNIVS *at, fueras qui nihil ante, modo es.*

IOSEPHUS SCALIGER IUL. CAES. F

AD PAVLLVM G.F.P.N. MERVLAM

SIcelides Musae, quid nobis Graecia mendax
Confingit cassum lumina Maeonidem?
Vnius foecunda bonis, & lumine felix
Non poterat sacri lumina ferre senis.
Hinc oculis Pavus persperſus mille volavit,
Et sese ingratis eripuit latebris.
Lumine, voce valens, Rudias habitasse vetustas
Versicolor Pavus dicitur, acris Olor:
Atque PATRIS corpus ENNI insedisse, Latinis
Vt posset Musis pandere facta patrum.
Scipiadum tenuit laudatas ENNIVS aureis,
Donec laudato est umbra locata rogo.
Ore sacro cecinit, panxit pede pressa Latino
Carmina, sordidulo carmina mersa luto.
Quid mirum? innumeras Pavus transmiserat oras,
Quum fessum Rudiis figeret ille pedem.
Hic Latias grata firmasti voce Camoenas
ENNI PATER, Pavo lumine, Cycne sono.
Arguti irrausit per tempora cantus Oloris
Longa, senescentem lumina destituunt,
Quum Merula ad mutum miseratus venit Olorem,
Et medica excivit carmina sacra manu,
Sordenteisque diu Pavoni abstersit ocellos;
Vt Musarum hilaret vox olorina domos,
Diaque sidereis ales Iunonia ocellis
Extremum radians emicet usque polum.
Felicem Merulam, qui carmina mutescenti
Luminaque ENNI PATRI jam rediviva dedit.
Sic oculos Pavo, melos dum reddis Olori;
Lumine te Pavus, carmine clarat Olor

Franciscus Dionysii F. Iunius

De Enni Annalibus
a CL. V. D. D. Paullo Merula restitutis.

En tandem dias prodit se in luminis oras
Ennius, e tenebris erutus atque situ.
At quur non totus? redivivus pectore Paulli,
Non minor ingenio, cultior arte latet

Franciscus Gomarus

In Annales Enni
per CL. V.
PAVLLVM G. F. P. N. MERVLAM
Servatos
EPIGRAMMA
Bonaventurae Vulcanii

Αρχὸς ἀοιδοπόλων Ρώμης πολεμήια ἔργα
Γράψατο μνημοσυνης ΕΝΝΙΟΣ ἐν σελίσιν.
Αυτὰρ ἀμαυρώσας Ρώμης κλέος, ὤλεσεν ἀιὼν
Τὰς κείνου ἱερὰς μνημοσυνη σελίδας.
Σπένδετε τῷ ΜΕΡΟΛΑ μάλα πρόφρονες Αυσονιῆες,
Οὗ σόος ἐξ ὀλέθρου ΕΝΝΙΟΣ ἐννεσίῃ.

*

Martia Romulidum, vatum pater Ennius, acta
Sacris Mnemosynes condiderat tabulis.
At longinqua dies Romae offuscarat honorem,
Densisque Annales obruerat tenebris.
Romulidae Merulae libate: hoc vindice salvus
Ennius, & Romae stat redivivus honor

PAVLLO G. F. P. N. MERVLAE
ANNALES Q. ENNI
in lucem edenti

Magn' animi & pietatis opus, crepitante favilla
Circumquaque, Patrem, thalami quoque nobile pignus
Eripuisse rogo; patrios transferre penateis
In Latium; antiquo mutato nominis usu
Indigetare Lares genitali voce Quiritum;
Magnae molis opus; quod nec nisi munere Divum
Perfecisse datum est, interpola rudera ut unam
Congeriem statuant, gliscentia fundamenta
Romani Imperii: cujus conscendere culmen
Queis dederint Superi praenuntia dia Maronis
Buccina bellicrepo sonat ENNIUS *ore. Sed ecce*
Vidit & obstupuit, simul & cariosa Vetustas
Invidet, & rursus ruituri ponderis (eheu)
Barbarie succincta studet subvertere molem.
Gotticus hinc vasto ruit impete, Vandalus isthinc,
Ut Patris Indigetis monumenta fidelia pessum
Venturae daret aetati: Quid Barbare frustra
Dirigis in Superos tua spicula? quidve lacessis
Illum qui superest post fata? Perennius aere
Quovis stare dedit MERULAE *sollertia nomen*
ENNIO; *& ipse simul* PAULLUS *post fata virescet.*
Dum LEIDANA *cohors, quae nunc studiosa Minervam*
Excolis, hunc, per frustra licet, tibi sistit utroque
Pollice laudatum, quem jam periisse putabas.
Dicite IO Paean BATAVI; *gravioribus ite*
Passibus, & duplici circumdate tempora Lauro.
Mascula Romulidum longos exstincta per annos
En redit, & vestris virtus rediviva sub oris
Pulcrior exoritur; quae novit pascere menteis
Nectare odorato, simul & componere Martis
Tam faciem quam aciem, & bellum finire Trophaeis.
Hanc vobis periisse putat male-sanus Iberus;
Fallitur; ut vestrae valeat quid dextra Juventae
Expertus sit saepe, nec hoc impune, Tyranno

Hesperio

Heſperio trepidante; canit quod DOUZA *ſonoro*
Carmine; quodque olim, numerorum lege ſoluto
Et Pater & Natus deducent flumine; ſeri
Unde queant Proavum mirari geſta Nepotes.
Nunc autem ingenii ſit quanta potentia Belgis
Cernit, & invidia forſan crepit Italus; & quem
Livida divexat proprii veſania amoris.
Dum videt auguſta conceptos mente labores
Obſcuris mutiliſque decus MERULAM *addere Vatis*
Fragminibus, Vatemque ipſum ſub moenia Romae
Siſtere, & Aonidum tenebras ſplendore fugare.
Quin tu Poſteritas potius pia confer honores,
Qui numquam pereant, nullum quos auferat aevum.
Et tu ROMA *Patrem Vatemque agnoſce ſecundum,*
Liber ab Invidia fac ſit liber iſte; vel, illud
Si praeſtare nequis, ſaltem bona verba precare,
Ut liceat MERULAE *plures conferre labores,*
Ob quos indocti (damus hoc) ringantur: at illi
Surgat honor Vatis divini Vindice dignus

PETRUS HACKIUS Eccleſiae Lugdunenſis apud Batavos Miniſter

Ob Ennium, Doctiſſimi viri Paulli Merulae ope, ab Inferis reductum.

TRiſtis oberrabat, quaerens maria omnia circum
Naufragii tabulas Enniaca umbra ſui.
Quaeſiit, at caſſa infelix indagine. Namque
Nec tulerant ullum ſecula tanta Virum,
Qui pelago fiſus ſimul, atque inſtructus ab arte,
Et ſcius, & tabulas colligere auſus erat:
Nec tutum acciderat miſeris contingere portum.
Unde diu ſparſas gurgitibus pelagi
Contigit abſumi tandem: quibus uſque jacerent
Oppreſſae, niſi tu viribus ingenii,

Atque animo praestans, umbram miseratus, in Orcum
  Ausus praecipitem te dare, PAULLE fores.
Ausus es, audentemque simul, pia Numina, Musae
  Iuvêre auxilio, consilioque suo:
ut tabulas Orco egerere, & componere posses
  Ordine, quo fuerant naufragium ante sitae.
Ergo tibi debet civilem ex Ilice frondem
  Reddita nunc carni, atque ossibus umbra suis.
Quin tibi, quod Latii patrem sermonis, ab Orco
  Redductum, facis hac denuo luce frui,
Debet Apollineam Latii Res-publica laurum,
  Quae tibi condecoret perpete fronde Caput.

Iac. Arminius Ecclesiae Amsteldamensis Minister

In restitutionem
ANNALIVM ENNII
factam per
PAULLUM MERULAM

Lugebas fraudate tuis ANNALIBUS, ENNI;
Lugebant etiam seri sua damna nepotes
Fraudandique tuis venturi ANNALIBUS *aevi*
Felicis nimium: sua nondum incommoda norat,
Et tamen elapsi mox commoda sentiet aevi.
Scilicet hoc MERULAE *facit Asclepi aemula cura;*
Ille artus laceros & membra redegit in unum.
Nusquam corpus erat, sed nullo e corpore corpus
Compegit tamen, &, quos longi oblivia saecli
Eripuere, suis Annales reddidit annis.
Quosque secuturi raperent oblivia secli,
Nunc duraturos Annalibus addidit annos

I. Dousa F.

Parodia

Parodia
AD
D. Paullum G. F. P. N. Merulam. I.C.
Q. Ennium redintegrantem.

HOrrida QUINTI ENNI quai prodis carmina, noſtro
Inſolita auditui, Doctarum gnate Camoinarum,
Audire, & legere eſt operai pretium cupienti
In re Romana, Latioque augeſcere honore.
Namque ea non aivi purum referunt modo primi
Sermonem, quo grandeſcens eſt Roma loquuta;
Verum etiam ſacra auguſti fundamina Regni,
Sos reges, caſtum regimen, Deivoſque Penates;
Atque horum ſacros cantus, Anceilia, Menſas,
Libaque, Fictores, Argeos & Tutulatos;
Nec non multa gravis veneranda orâcla Senatus,
Bellorum leges, ſanctaeque ſtatumina pacis:
Tumque ea quae geſſit aut Rex, aut Endoperator,
Aut quae Dictator, vel equorum, equitumque Mageſter,
Vel Conſol, contra popolos Romae nimi' junctos,
Et Regem Purrum, ac Poinos Didone oriundos;
Haec pene, deiveina ut quondam conſcripſerat ENNI
Penna, probe nobis reddit ſtudio indefeſſo
PAULLUS; dicendus merito popularibus olleis,
Qui nunc, aut poſthac vivent, atque aivom agitabunt,
Flos delibatus popoli, Suadaique medolla

Pancratius Caſtricomius Alcmar

Ad Clariſs. virum Paullum G. F. P. N. Merulam ICtum & Hiſtoricum maximum

QVis non ſuſpiciat? genitum quis te neget Orbis
Fuiſſe fruge maxima
MERULA*? qui ſatagis de veſtra magna mereri*
Semente litteraria.
ENNIUS *innumeris divulſus partibus, atris*
Locis jacebat abditus:
Congreget ut ſparſos paſſim tam turpiter artus
Viri, merentis aethera,
Vix aliquot, tamen hos, reperit quos, colligit, & ſic
Tua ordinat ſagacitas:
Integer ut redeat, mutilus qui erat, ENNIUS; *hercle eſt*
Opus ſupra modum ingenI.

Ant. Perſijn

Ad Paullum G. F. P. N. Merulam EnnI vindicem.

AVguſto augurio atque volentibu' cum magnis Dîs,
Ad Orci merſus infera,
Ereptus fatis nunc intra luminis oras
Redit novuſque & integer:
Per gentes Italas quondam qui claru' cluebat,
Panxitque facta maxuma
Romulidum: ſanctos auſus recludere fontes,
Muſarum cultor ENNIUS.
Quem nec Salſipotens, cujus praeclara propago,
Servare quivit integrum.
Navu' repertus homo, raptum ſtygijs ex undis
Qui putulagine obſitum

Reſtituens animat; cujuſque polimine terſus
Iam vicit aevi injurias.
Hic pater, hic genitor, hic E N N I ſuaviloquentis
Sator cluit. dic optume,
Qualem te Rudij cuſtodem dî genuerunt?
Corona civis contigit
Servati: licet & ſine caede & ſanguinis hauſtu
Victor bearis laurea.
En quid erit precij! medijs diſcumbere in aſtris
Pultare Olimpum vertice.

Ioan. a Wouweren

IN
Q. ENNIUM
PAVLLI MERVLAE
G. F. P. N.

EN prodit noviter vetus POETA,
MERVLAE *auxilio ingenI expolitus.*
Olim quem RVDIAE *in diem vetuſtae*
Extulere. QVIRITIVM *potentum*
Mandans perpetuae duella FAMAE;
Cum KARTHAGINIENSIVM *tremendis*
Viribus, LIBYCAE *fidis duelli*
Subleſtiſque dolis, datâque dextrâ.
Et ſic dans alijs in aeviternum,
Poſt crudelia fata, per virorum
Ora vivere, eos beanſque coelo
Verſibus, quoque vivere aeviternum
Dignis. ENNIVS *heu! fere ipſus, ipſus*
Iam dudum occiderat; miſertus eſſet
Ni ejus MERVLA: *quem* THEMIS, MINERVA,

PHOEBVS, PIERIDESQVE, GRATIARVM
Suis erudiere primo ab anno
Affabre manibus, benigna TRIGA.
Illum namque tenebricosâ nocte
Sepultum, ex ACHERVSIIS *reduxit*
Templis; cultius ut popli per ora
Musteum exeat ENNII *poëma:*
Limatum aethereo & laborioso
MERVLAE *ingenio bene ac beate.*
QVINTO *haut ut* LATIVM ENNIO *poëtae*
Tantum debeat; huic poëta quantum
MERVLAE *auxilio ingenI expolitus,*
MERVLAE *ingenio bene expolito.*

IIRM. PIERSSENÆVS. Beverus Fl

IN ENNII FRAGMENTA A CLARISSIMO VIRO PAVLLO MERVLA. I.C. CORRECTA & DISPOSITA.

HEu dura sors, & nimis in damnum potens,
Mortalium quae nil perenne esse patitur:
Sed funditus minuta, magna, perdere
Squalore certat atque vastitudine.
Et hoc, ut aio, ita esse monstrat affatim
ENNIVS, olim Musarum alumnus inclitus,
Horrenda qui gentis trucis Romulidae
Tot bella, strages totque perduellium,
Oblitterentur ne jugi silentio,
Doctissimis panxit perite versibus.
Sic itaque dum servare contendit alios,
Mortuus it inter ipse vivos perdite;

Non

Non lene, nec mortis ſuave expertus genus,
Sed diſſicatus membra bacchatim; miſer!
Non eſt mori quoi licitum ſaltim integro.
Tandem miſertus, Eugepae! factum bonum,
Tractationis tam malae, ingeni bonis
Queis PAULLE polles & potens es plurimum,
Conglutinaſti lecta paſſim fragmina, &
Rurſus animaſti mortis poſtliminio.
Hoc ante multi tentarunt: ſed quod tamen
Ad exitum nemo potuit perducere,
Quam, Iupiter! venuſtime hocce praecluis
En omne nobis expedivit MERULA.

FRIDERICVS LINDEN-BRVCH

PAVLO MERVLAE ICto FELICIBVS AVSPICIIS Q. ENNIVM RESTITVENTI.

EN RVDIVM *in lucem producit* MERULA VATEM
Deſperata alijs res licet illa fuit.
MERULA *da cauſam tu ſolus quomodo praeſtes,*
Quod non eſt hominis? unde tibi hic Genius?
Deſino. quid fruſtra laudes tibi verſibus apto?
Nil dicam. hoc unum dicere fas mihi ſit:
Gallia SCALIGERO *felix, Latiumque* COLVMNA,
DOVSIS *&* MERVLA *Belgica noſtra ſonat.*

Chriſtophorus Stickius Daventrienſis

Notarum, quae in Fragmentis paſſim, ſignificatio

* Enotatum notat ab Auctoribus Fragmentum ex certo Annalium libro

* * Laudatum indicant ex Annalibus quidem, non tamen ex certo Annalium libro

*
* * Petitum ex Ennio quidem, incerto tamen opere: putatum certe pertinere ad Annales

*
* * Citatum ab Scriptoribus, non adjecto Auctoris alicujus
* nomine; exiſtimatum EnnI eſſe

*
* * * Ex Ennio ſumtum alienis verbis, ſuis numeris reſtitu-
* tum

† Adſcriptum docet aliis, quod EnnI judicatum

‡ Exſcriptum quidem ex certo Annalium libro, vitioſo tamen numero

†† Mutuatum ab Auctoribus ex Ennio obliquis verbis, incertum quo modo conceptum fuerit ab Ennio

‡‡ Citatum monſtrat aliquem EnnI librum, deſideratis verbis

{ Signat fragmenta alia aliis adnectenda

Q. ENNI

Q. ENNI
FRAGMENTA, QVAE SVPERSVNT,
ANNALIVM LIBRI I.

*

HOrrida Romoleûm certamina pango duellûm:

*

Audeire eſt operai precium, procedere recte
Quei Rem Romanam Latiumque augeſcere voltis

*

* *

. . . . Adeſte
Muſai, quai pedibus magnum polſatis Olumpum;

*

* *

*

Et quas commemorant Caſmoinas eſſe . . .

*

Lunai portum eſt operai cognoſcere ceives

*

* *

. . . . . . veiſus Homerus adeſſe poeta,

*

* *

Hei mihi qualis erat! quantum mutatus ab illo!

*

* *

Septingentei ſunt paullo plus vel minus annei, ANT. V. C. CLX. aut circiter

*

* *

Quom meminei fierei me pavom . . .

*

* *

. . . . . . ſcripſere aliei Rem
Vorſibu', quos olim Faunei Vateſque canebant,

Quom neque Muſarum ſcopolos quiſquam ſuperarat,
Nec dictei ſtudioſus erat . . . . .

*
* *

. . . . ante hunc

*
* *

Nam latos popolos, res, atque poemata noſtra
Cluvebat . . . .

*
* *

Nos auſei reſerare . . . .

*
* *

Nec quiſquam Sophiam, Sapientia quai perhibetur,
In ſomneis veidit priu', quam ſam diſcere coipit.

*
* *

. neque me decet haic carinantibus edere carteis

*

Te nunc ſancta precor Venus & genetrix patri' noſtrei,
Vt me de coilo veiſas cognata parumper;

*

Teque Quireine pater veneror, Horamque Quireinei,

*

Teque pater Tibereine tuo cum flumine ſancto.

*

. . . . Mavors . . . . .

*
* *

Daidala . . .

*

. . . . Menerva

*
* *

ANT. V. C. CCCCXXXII Quom veter occubuit Priamus ſub Marte Pelaſgo

* *

Corpore Tartarino prognata Paluda virago,

Quoi

Quoi par Imber & Ignis, Spiritus, & gravi' Terra;

*
* *
*

Quaique freto cava coiroleo corteina recepit:

*
* * *
*

Quos omneis Erebo perhibent & Nocte creatos

*
* *

. . . . . . Saturno, quem Coilu' genuvit

*
* *

Assaraco natus Capus optumus; Isque pium ex se
Ancheisen generat . . . . .

*
* *

Atque Ancheises doctu', Venus quem polcra Dearum
Farei donavit deiveinum pectus habere

*
* *

. . . . armeis — ANT. V. C. CCCCII
Conditur Alba potens . . . .

*

Namque avide pugnare sues stolidei solitei sunt — *Eodem*

*

Est locus, Hesperiam quam mortales perhibebant,

*
* *

Quam preimum Cascei popolei tenuere Lateinei,

**

Quos homineis quomdam Laurentis terra recepit

*
* *

Excita quom tremolis anus attulit artubu' lumen, — ANT. V. C. XIX
Talia commemorat lacrumans, exterrita somno:
Eurudica prognata, pater quam noster amavit,

Veires veitaque corpu' meum nunc deſerit omne.
Nam me veiſus homo polcer per amoina ſalicta
Et reipas raptare locoſque novos; ita ſola
Poſt-illa, germana ſoror, errare videbar,
Tardaque veſteigare & quairere te, neque poſſe
Corde capeſſere, ſemita nulla pedem ſtabileibat.
Exin compellare pater me voce videtur
Heis verbeis: *O gnata tibei ſont ante ferondai*
Airomnai: poſt ex flovio Fortona reſiſtet.
Haic pater ecfatus, germana, repente receſſit;
Nec ſeſe dedit in conſpectum corde cupeitus:
Quamquam molta manus ad coilei coirola templa
Tendebam lacrumans, & blanda voce vocabam.
Vix, aigro tum corde meo, me ſomnu' releiquit

††

ANT. V.C. XIIX — *Ilia in amnem Tiberim iuſſu Amulij regis Albanorum praecipitata eſt*

*
* *

Eodem
Ilia, DIa nepos, quas airumnas tetuliſtei

*
* *

. . . . . cetera, quos peperiſtei
Ne coires . . . . . .

*

Eodem
Haic ecfatus ibus, Latrones dicta faceſſunt

* *

Eodem
Deſtituunt reivos, campoſque remant . . .

*
* *

Eodem
. . . fortunas ecquas cepere, Latrones
Inter ſe memorant . . . .

*
* *

Eodem
. . . Gemineique hinc ubera circum
Ludunt pendentes puerei . . . .

Dolci-

*
* *
Dolciferai feicei lactantes ubere toto
*
Endotuetur ibus Lupu' femina, conspicit omneis — *Eodem*
In campo celerei passu praisto esse parumper:
Conjicit in siluam sese . . . . .

*
* *
. . . . . . Acca Larentia . . . — *Eodem*

*
* *
*
Olli respondet rex Albai longai — ANT.V.C. I
*
Ast hic, quem nunc tu tam torviter increpuistei — *Eodem*
*
Nascere quai popolos terraque marique lacesses
Bellei torbine praipropero, concussa tremiscent
Cuncta acreis à te veireis . . . . . .
*
. . . . . . In Roma Troia revixstei
*
Coirantes magna cum coira, concupientes — *Paullo ante urbem condendam*
Regnei, dant operam simol auspicio augurioque:
Hinc Remus auspicio se devovet, atque secundam
Solus Avem servat: At Romolu' polcer in alto
Quairit Aventeino, servans genus altivolantum.
Certabant urbem Romamne Remamne vocarent:
Omnis coira Vireis, uter esset Endoperator
Exspectant. Veluti Consol quom mittere signum
Volt, omnes avidei spectant ad Carceris oras,
Quam mox emittat picteis ex faucibu' currus:
Sic exspectabat popolus, atque ora tenebat
Rebus, utrei magnei victoria sit data regnei.
Interea Sol albu' recessit in infera Noctis:
Exin candida se radieis dedit icta foras Lux,
Et simol ex alto longe polcerruma praipes

Laiva volavit avis: ſimol aureus exoritur Sol;
Cedunt ter quatuor de coilo corpora ſancta
Avium, praipetibus ſeſe polcreiſque loceis dant.
Conſpicit inde ſibei data Romolus eſſe priora,
Auſpicio regnei ſtabileitaque ſcamna ſolumque

*
* *

AB V.C. I
Auguſto imperio poſtquam incluta condita Roma'ſt

†

Eodem
Iuppiter! haut muro fretus magi', quam de manuum vei

*

Eodem
Nec pol homo quiſquam faciet impune animatus
Hoc, niſi tu, nam mi calido dabi' ſanguine poinas

*
***
*

AB V.C. III
. . . . . Saturnius illei
Nomen erat, de quo late Saturnia terra

**

AB V.C. IV
Exit per terras poſtquam celeriſſumu' rumor

*

Eodem
Virgine' nam ſibi quiſque domos Romanu' rapit ſas

*
* *
*

Eodem
Quis pater aut cognatu' volet vos contra tuerei?
*
* *
Avorſabuntur ſemper vos voſtraque volta

*
* *

Eodem
Occeiduntur, ibus potitur ratu' Romolu', praidam
*
* *
Diſpertit . . . .

*

AB V.C. VIII
Quom ſuperûm lumen nox intempeſta teneret

Adgrettus

*
* *

Adgrettus farei: . . . . *Eodem*

*
* *

Deivumque hominumque pater, rex,

*
* *

. . . . . Saturno sancte create,

*

Quei coilum vorsas stelleis folgentibus aptum,

*
* *

. . . . . quei folmine claro
Omnia per sonitus arces . . . .

*

. . . . face vero, *Eodem*
Quod te cum precibus pater oro . . . .

*
* *

. . . . . . Rex deinde citatus
Convellit sese . . . . . . *Eodem*

*
* *

2 Flentes, plorantes, lacrumantes, obtestantes: *Eodem*

*

. . . . Neriene Mavortis *Eodem*

*
* *

3 O Tite tute Tati tibi tanta turanne tulistei *Eodem*

*

Ast te, non ut sum, summam servare decet Rem *Eodem*

*

Alternum seritote diem concorditer ambo *Eodem*

*

3 Accipe, daque fidem, fidusque ferei bene firmum *Eodem*

Tatienses

*
* *

AB V.C. VIIII . . . . Tatienſes

*
* *

AB V.C. XXXVII . . . . quem ſuper ingens
Porta tonat coilei . . . . . .

*

Eodem Tranſnavit citu' per teneras caleiginis auras

*
* *

Eodem Iuno, Veſta, Ceres, Deiana, Menerva, Venus, Mars,
Mercurius, Iovi', Neptunus, Volcanus, Apollo

*

Eodem Conſtitit inde locei propter ſos DIa Dearum

*
* *
*

Eodem Unus erit, quem tu tolles in coirola coilei
Templa . . . . . .

*
* *

Eodem Reſpondet Iuno Saturnia ſancta Dearum

*
* *

Eodem Romolus in coilo cum DIs genetalibus aivom
Degat . . . . . .

Incerto loco

††

P-es dv
. . . . pe -- *deruit*
. . . . Ennius lib. I. *Annalium* . . . .

Q. ENNI
FRAGMENTA ANNALIUM
LIBRI II.

*

. . . . . O Romole, Romole, dic o AB V. C.
Qualem te patriai custodem DI genuerunt! XXXVII
Tu produxistei nos endo luminis oras:
O Pater, o Genetor, o Sanguen DIs oriundum

*

Ingens coira mi' cum concordibus aiquiperare AB V. C.
XXXIIX

*
* *

Ecquis exter erat, Romai regnare quadratai Eodem

*
* *

Quom tonuit laivom bene tempestate serena, AB V. C.
XXXIX

*
* *

Contremuit templum magnum Iovis altitonantis

*
* *

Olli respondet suavis sonus Aigeriai AB V. C.
XLIII

*
* *

Mensas constituit, Idemque Anceilia preimus,

*
* *

Leibaque, Fictores, Argeos & Tutulatos

* *

Me regat aiqua Fides; Regno, Vobeisque, Quireites,
Res fortunatim, feleiciter, ac bene vortat

*

Sei quid me fuvit humanitus, ut teneatis

*
* *

. . . quianam legiones caidimu' ferro? AB V. C.
LXXXV

*

Eodem Quamde tuas omneis legiones ac populareis

*

Eodem . . . . Haic inter ſe tota vei tutidantes

*

Eodem Adnuvit ſeſe mecum decernere ferro

††

Eodem *Et cecinit Curios fratres.*

*

Eodem Vt datus eſt occaſus, Horatius inclutu' ſaltu

*

Eodem Quei ferro minitaris, ut in te ningulu' modo
Ire queat . . . .

*

* *

Eodem . . . . Laitificum gau

††

Eodem *Et Horatia peila*

*

Eodem Ferro ſucceidam, quam, dicteis heis, tolerarem

*

Eodem Accedit, ſum quei dederat in luminis oras

*

Eodem Et ſimol ecfugit ſperes ita funditu' noſtras

*

* *

AB V. C. LXXXVII . . . . Metieo Fufetieo

*

Eodem . . . . . Tractatu' per aiquora campei:

* *

Volturus in ſilvis miſerum mandebat hemonem
Heu quam crudelei condebat membra ſepolcro

* *

*

Eodem At tuba terribilei ſonitu Taratantara dixit

*

* *

Eodem Quomque caput caderet ſonitum tuba ſola peregi

Et pereunte viro, rauco ſonus aire cucurrit:

*
* *

Oſcitat in campeis caput a cerveice revolſum,
Semianimeſque micant ocoler, lucemque requeirunt
Nequeiquam; reliquai carnI nil eſt animai — Eodem

*
* *

At domus interior gemitu miſeroque tumultu — Eodem

*

. . . . cairola prata — AB V. C. CXXVII

*

Oſtia moenita eſt; Idem loca navibu' polcreis
Munda facit, Nauteiſque marI quaiſentibu' veitam

*
* *
*

Europam Libuamque rapax ubi deividit unda, — Eodem

*
* *

. . . . Et Tiberis flumen vomit in mare ſalſum

Q. ENNI
FRAGMENTA ANNALIUM
LIBRI III.

*

Hic denſeis Aquila penneis obnixa volabat — AB V. C. CXXI
Vento, quem perhibet Graium genus aera lingua

*
* *

Poſtquam lumina ſis ocolis bonus Ancu' releiquit; — AB V. C. CXXXVII

*

Tarquinio dedit imperium ſimol & ſola regnei — AB V. C. CXXXIIX

*

Inde ſibei memorat unum ſupereſſe laborem — AB V. C. CLX

*

Eodem Proletariu' poblicitus ſcuteiſque feroque
Ornatur ferro; moeros, urbemque, forumque
Excubieis coirat . . . . .

*

Eodem Poſtquam defeſſei ſunt, ſtant & ſpargere ſeſe
Haſteis, anſateis concurrunt undique teleis

*

Eodem Deque totondit agros laitos atque oppida cepit

*

Eodem Circum ſos quai ſunt magnai gentes opulentai

* *

AB V. C. CLXXV . . . . Poſtumque turannei
Tarquiniei corpus bona femina lavit & unxit

*

Eodem Prodeinunt famolei, tum candida lumina lucent

*

AB V. C. CLXXVI Olim de coilo laivom dedit inclutu' ſignum

*

AB V. C. CLXXXII Hac noctu feilo pendebit Etruria tota

* *
*

AB V. C. CCXLIII . . . . . . Inſomnia . .

*
* *

Haut temere'ſt, quod tu triſtei cum mente gubernas

*

AB V. C. CCXLIV Deducunt habileis radios feilo gracilento

*

Eodem . . . . Interea fax
Occidit . . . .

*

Eodem Coilum proſpexit ſtelleis folgentibus aptum

*

Eodem Deiriu' ſupplicium ſceleris violentia poſcit

Q. ENNI

Q. ENNI FRAGMENTA ANNALIUM LIBRI IIII.

*
* *
*

. . . . Reges odisse Superbos AB V. C. CCXLV

*

At Romanus homo, tamen etsi res bene gesta'st,
Corde suo trepidat, delicto Coclite . . . AB V. C. CCXLVI

††

Obsidionis famem exprimens, offam eripuisse plorantibus liberis patres commemorat *Eodem*

*
* *
*

Vos etenim Iovenes animos geritis moliebreis *Eodem*
Illa Virago Virei . . . . .

*
* *

Ova parIre solet genu' penneis condecoratum AB V. C. CCLVII

*
* *

. . . . Bellum AB V. C. CCXXCVII
Aiqueis de manibus nox intempesta diremit

*
* *

Nobeis unde forent fructus veitaique propagmen AB V. C. CCXCV

*

Romanei scaleis summa neituntur opum vei AB V. C. CCCXLVII

*
* *

. . . . Volscus perdidit Axur *Eodem*

††

Anseris & tutum voce fuisse Iovem AB V. C. CCCLXIII

*
* *

Tanteidem, quasi foita canes, sine dentibu' latrat AB V. C. CCCCIIII

Q. ENNI
FRAGMENTA ANNALIUM
LIBRI V.

*
* *

AB V. C. CCCCXIII Moribus anteiqueis Res ſtat Romana vireiſque

*
* *
*

AB V. C. CCCCXIX Ceives Romanei tunc factei ſunt Campanei

*
* *
*

AB V. C. CCCCL Romanei mureis Albam cinxerunt Longam

‡

AB V. C. CCCCLIIX . . . . . DIvei hoc audeite parumper,
Vt pro Romano popolo prognariter armeis
Certando, prudens animam de corpore mitto:

*
* *

Se tum; ſicut equus, quI de praiſepibus actus
Vincla ſueis magneis animeis abrumpit, & endo
Fert ſeſe campeis, per cairola laitaque prata,
Celſo pectore, ſaipe iubam, quaſſat ſimol altam,
Speiritus ex anima calida ſpumas agit albas;

*

Injicit inreitatu', tenet occaſu', iuvat res

*

Eodem Diſperge hoſteis, diſtrahe, deiduc, deivide, differ

*

Eodem Cogebant hoſtes lacrumantes, ut miſererent

*
* *
*

Eodem . . . . Ducuntur forte ligatei
Minturnenſes . . . .

Quod

*

Quod per amoinam urbem lenei fluit agmine flumen — *Eodem*

*

Ansatas mittunt e turribus . . . . — AB V.C. CCCCLX

Q. ENNI
FRAGMENTA ANNALIUM
LIBRI VI.

*

. . intus in occolto mussa . . . . — AB V.C. CCCCLXII

*

* *

Q. Ennius T. Caecilium Dentrem, fratremque eius praecipue miratus, propter eos sextum Annalem adjecit — AB V.C. CCCCLXIX

*

Navo' repertus homo, Graio patre, Graius homo, rex — AB V.C. CCCCLXXII

*

Aimoni', Purrus, uti memorant, a stirpe supremo — *Eodem*

*

* *

. . . . stolidum genus Aiacidarum, — *Eodem*
Bellipotentes sunt magi', quam sapientipotentes

*

* *

Ecfundit voces proprio cum pectore sancto: — AB V.C. CCCCLXXIII

*

* *

AIO TE AIACIDA ROMANOS VINCERE POSSE

*

Apta, dato signo, loca torreitis elefanteis — *Eodem*
Explorant Numidae; totam quatit ungula terram

*

* *

It nigrum campeis agmen . . . . — *Eodem*

*

Barreitu pecudum titubantes arma requeirunt — *Eodem*

*

. . . . Telo

Eodem Transfeigit corpus, saxo cere comminuit brum

*

* *

Eodem . . . . tetrosque elefantos

*

Eodem Vortitur interea coilum cum ingentibu' signeis;

*

Tum cum corde suo Deivom pater atque hominum rex

*

* *

Eodem Nec mI aurum posco, nec mI precium dederItis,
Nec cauponantes bellum, sed belligerantes;
Ferro, non auro, veitam cernamus utreique,
Vosne velit an me regnare Hera, quidue ferat Fors,
Virtute experiamur: & hoc simol accipe dictum:
Quorum Virtutei bellei Fortuna pepercit,
Horumdem me Leibertatei parcere certum 'st.
Dono ducite, doque volentibu' cum magneis DIs

*

* *

Eodem Quo vobeis mentes, rectai quai stare solebant
Antehac, dementes sese flexere viai

*

Sed quid ego heic animo lamentor

*

* *

Eodem Orator sine pace redit, regeique refert rem

*

* *

Eodem . . . Decretum est fossarI corpora teleis

*

AB V.C. CCCCLXXVII Quei potis ingenteis oras evolvere bellei

*

* *

AB V.C. CCCCXXCI . . . . Anionem

Brundisium

* *

Brundisium polcro praicinctum praipete portu AB V. C. CCCCXXCVI

Incerto loco

*

Solfureas posuit speiramina Naris ad undas

*

Lumen . . . . . sceitus agaso.

Q. ENNI FRAGMENTA ANNALIUM LIBRI VII.

‡

. . . Poinos DIdone oriundos

*

* *

Poinei sunt solitei sos sacrificare puellos
DIveis . . . . . .

*

* *

. . . . . Poinei stIpendia pendunt

*

***

*

. . . . . . tunicata Ioventus

††

Iuppiter inducitur, promittens Romanis excidium Karthaginis AB V.C. CCCCXXCIIX

*

Rurescunt frundes . . AB V.C. CCCCXCII

*

longeique cupressei
Stant recteis folieis, & amaro corpore buxum

*

* *

Capitibus nutanteis pInus, rectosque cupressos *Eodem*

‡

Incidunt, arbusta praealta securibu' caidunt;

Percellunt magnas quercus, exceiditur Ilex,
Fraxinu' frangitur; atque abies conſternitur alta;
PInus proceras pervortunt; omne ſonabat
Arbuſtum fremitu ſulvai frondoſai

* * *

Eodem Vt clavom rectum teneant, navimque gubernent
. . . . tonſam arte tenentes
Parerent; obſeruarent, Portiſculu' ſignum
Quom dare coipiſſet . . . . .

*

Poſte recumbite, voſtraque pectora pellite tonſeis:

*

Pone petunt, exin referunt ad pectora tonſas

* * *

Eodem Hortatore bono priu' quam iam feinibu' termo'ſt

* * *

AB V. C. CCCCXCIII Conferta polcre rate, inairataque pereite,
Per liquidum mare eunt, ſudantes atque ſedentes:

* * *

Labitur uncta careina per aiquora cana celonis

* * *

Eodem . . . . . . Apluſtra

* * *

Eodem Molta foro ponens, ageaque longa repletur

* * * *

Eodem . . . una trabes remeis roſtrata per altum

* * *

Ingentei

Ingentei vadit curſu, qua redditu' termo'ſt;

*

Molſerat huc navim compolſam fluctibu' pontus:

*

* *

Impetus haut longe medieis regionibu' reſtat

*

Alter nare cupit, alter pugnare paratu'ſt — *Eodem*

*

Dum cenſent terrere mineis, hortantur eei ſos: — *Eodem*

*

Non ſemper voſtra evortit, nunc Iuppiter hac ſtat;

*

Fortibus eſt Fortuna Vireis data . . . .

*

Africa terribilei tremit horrida terra tumoltu — *Eodem vel*
Vndique, moltimodis conſumitur anxia coireis: — AB V.C.
Omnibus endo loceis ingens apparet imago — CCCCXCIV
Triſtitias, ocoloſque manuſque ad ſudera laſſas — CCCCXCV
Protendunt, exſecrando duci' facta reprendunt — CCCCXCVI
Poinei, pervortentes omnia, circumcurſant

*

* *

. . . . Percolſei pectora Poinei — *Eodem*

*

* *

Tonſilleis rapide confeigunt littus adunceis: — AB V.C.

* — CCCCXVII

Navibus explebant ſeſe terraſque replebant

* *

. . . . Evax'ſt — *Eodem*

Aſpis ab Attilio . . . .

*

* *

. . . . . ratibuſque fremebat — AB V.C.
Imber Neptunei . . — CCCCXCIIX

*

* *

furentibu' venteis

*

AB V.C. IↃII Denique vei magna quadrupes eques atque elefantei
Projiciunt ſeſe . . . .

*

Eodem . quianam dicteis noſtreis ſententia flexa'ſt

*

Eodem Amplius exangere obſteipo lumine ſolis

*

AB V.C. IↃIIII . . . moltiplicant Romanei funera late,
Qua Pollus furtim noctu ſumma arcis adortus
Moinia, concubia, vigileſque repente cruentant

*

AB V.C. IↃV Hocce loquutu' vocat, queicum bene ſaipe libenter
Menſam, ſermoneſque ſuos, rerumque ſuarum
Comiter impertit; magna quom laſſu' dieei
Parti fuviſſet, de ſummeis rebu' gerundeis
Conſilio, endo foro lato, ſanctoque Senatu:
Quoi res audacter magnas paruaſque iocumque
Eloqueretur: tincta maleis, & quai bona dictu
Evomeret, ſei qua vellet tutoque locaret:
Queicum molta volutat gaudia clamque palamque;
Ingenio quoi nolla malum ſententia ſuadet,
Vt faceret facinus levis aut malus; doctu', fidelis,
Suavis homo, facundu', ſuo contentu', beatus,
Sceitu', ſecunda loquens in tempore, commodu', verbum
Paucum, molta tenens, anteiqua, ſepolta, vetuſta;
Quai faciunt mores vetereſque novoſque tenentem;
Moltarum veterum legum, DIvomque hominumque
Prudentem, quei molta loqueive tacereve poſſet.
Hunc inter pugnas compellat Servilius ſic

*

* *

AB V.C. IↃXIIX . . . . . . Poſtquam Diſcordia tetra
Bellei ferratos poſteis portaſque refregit

*

* *

AB V.C. IↃXXV Illuriei reſtant ſeiceis ſibuneiſque fodantes

Incerto

Incerto loco

*

. . . . . . Legio reditus rumore rueinas
Mox auferre domos . . . .

*

At non quadrupedes equites . . . .

*

. . . . Dux ipſe vias . . . .

Q. ENNI
FRAGMENTA ANNALIUM LIBRI VIII.

††

Bello Punico ſecundo Iuno placata coepit favere Romanis AB V. C. IↃXXXV

*

* *

*

Optuma Coilicolum Saturnia magna Dearum Eodem

*

Debil homo . . . . . . AB V. C. IↃXXXVI

*

* *

Marſa manus, Peligna cohors, feſteina virum vis Eodem

‡

Vnus homo nobeis cunctando reſtituit rem: Eodem
Non ponebat enim rumores ante ſalutem;
Ergo magiſque magiſque virei nunc gloria claret

*

Pellitur e medio Sapientia; Vei geritur Res; Eodem
Spernitur Orator bonus; horridu' Miles amatur;
Haut docteis dicteis certantes, ſed maledicteis,
Miſcent inter ſeſe inimeicitias agitantes;
Non ex ioure manu conſertum, ſed mage ferro
Rem repetunt, regnumque petunt, vadunt ſolida vei

*

AB V. C. IƆXXXVII . . . Praicox pugna'st . . .
*
* *
Certare abnueo, metuo legionibu' labem
*
* *
*

Eodem Hostem quei feriet mihi erit Kartaginiensis,
Quisquis erit, cuiatis erit . . . .
*
Eodem Consequitur, summam sonitu quatit ungula terram:
*
Eodem Iamque fere polvis ad coilum vasta videtur;
Folva volat . . . . .
*
* *
. . . . . stant polvere campei:
*
Hastatei spargunt hastas, fit ferreus imber;
*
Densantur campeis horrentia tela virorum;
*
* *
Horret ager, campeique armeis subleimibus ardent
*
* *
Eodem Heis pernas succidit ineiqua superbia PoinI
*
* *
*
Eodem . . . . crateribus ollei
Ex aurateis hauserunt . . . . .
*
Eodem Nunc hostes veino domitei, sommoque sepoltei
*
Eodem Aut occasus ubei tempusve audere repressit
*
* *

Brutates . . . . bilingues — AB V.C. IↃXXXIIX

*
* *

Quintu' pater quartum fit Consol — AB V.C. IↃXXXIX

*
* *

Cum magno strepitu Volcanum ventu' vegebat — AB V.C. IↃXL

*
* *

Ob Romam noctu legiones ducere coipit — AB V.C. IↃXLII

*
* *

. . . . de moeris res gerit Opscus — *Eodem*

*
* *

Summus ibi capitur Meddix, occIditur alter — *Eodem*

*

. . . . mortalem summum Fortuna repente
Reddidit, ut summo regno famul infumus essit — *Eodem*

*

. . . . molta dies in bello conficit unus,
Et rursus moltai fortunai forte recumbunt:
Haudquaquam quemquam semper Fortuna secuta'st — *Eodem*

Incerto loco

*

Rastros dente faber rasit caussa poliundei
Agrei . . . .

Q. ENNI FRAGMENTA ANNALIUM LIBRI IX.

*
* *

LIvius inde redit magno mactatu' triumpo — AB V.C. IↃXLVI

*

Additur Orator Corneliu' suaviloquenti
Ore — AB V.C. IↃXLIX.

Ore Cetegus Marcu' Tuditano conlega,
MarcI filius: is dictus popularibus olleis,
Quei tum veivebant homines, atque aivom agitabant,
Flos delIbatus popolei, Suadaique medolla

*

AB V. C. IƆLI Sed quid ego haic memoro? dictum factumque
facit frux

*

Eodem . . . virei valideis cum vIribu' luctant

*

AB V. C. IƆLII . . . LIbertatemque ut perpetuassint
Maxume . . . .

*
* *

Eodem Vel tu Dictator, vel Equorum Equitumque Magister
Esto, vel Consol . . . . . .

Incerto loco

*

Cuclopis venter velut olim turserat, alti
Carnibus humaneis . . . . .

*

. . . . Luchnorum lumina bis sex

Q. ENNI
FRAGMENTA ANNALIUM
LIBRI X.

*
* *

AB V. C. IƆLIII Insece Musa, manu Romanorum endoperator
Quod quisque in bello gessit cum rege Pilippo

*
***
*

. affatur

. . . . . . affatur FlaminInum, AB V. C. IƆLV
Ille vir, haut magna cum re, ſed plenu' fidecei,

*
* *

Egregie cordatus homo, Catus Ailiu' Sextus:

*
* *

O Tite, ſei quid ego adiuro, coiramve levaſſo,
Quai nunc te coquit, & vorſat ſub pectore fixa;
Et qua deprimeris fruſtra nocteiſque dieſque:
Ecquid erit praimI . . . . .

*
* * *
*

Tunc coipit memorare ſimol cata dicta . . .

*
* *
*

Sollicitarei te Tite ſic nocteiſque dieſque

* *

. . . . animuſque in pectore latrat: *Eodem*

*

Sicut, ſi quando vinclo venatica aeno
Apta, ſolet Cane', forte feram ſei nare ſagace
Senſit, voce ſua nictatque ululatque ibi acute

*

Aigro corde comas paſſeis palmeis lacerantes, *Eodem*

*

Pinſeibant terram genibus

*

InſignIta fere tum millia militum octo *Eodem*
Duxit, dilectos bellum tolerare potenteis

*

. . . . . ſpectabat virtutem Legionis; *Eodem*
Suſpectans, ſei muſſaret, quai denique cauſſa
Pugnandi fieret, aut durei pauſa laboris

*

AB V. C. IↃLVI Leucadem campſant . . . .

Incerto loco

*

Regnei . vorſatum ſummam vero columnam

*

. . . . curſus quingentos ſaipe verutei

*

. . . . horitor Endoperator

*

Haic nox proceſſit ſtelleis ardentibus apta

Q. ENNI FRAGMENTA ANNALIUM LIBRI XI.

*

Eodem Tum clupeei reſonunt, & ferrei ſtrIdit acumen;

*

Miſſaque per pectus, dum tranſit, ſtrIderat haſta

*

Eodem Quippe ſolent reges omnes in rebu' ſecundeis

*

AB V. C. IↃLVII Contendunt Graicos, Graios memorare ſolent ſos;
Quod Graica lingua longos per tempori' tractus
Hos pavei . . . .

*

AB V. C. IↃLVIII . . . . & ſei
Moulier erubuit . . . .

*

Eodem Pendent peniculamenta unum ad quemque pedum.

*

Eodem . . . . . . malo cruce fatum
Vt des Iuppiter . . . .

*

Eodem Nunc eſt ille dies, quom gloria maxuma ſeſe
Nobeis oſtendat, ſei veivimu' ſIve morImur

Incerto

Incerto loco

*

RIma /// . . . . utrique

*

Alte elata ſpecus, petreiſque ingentibu' tecta

Q. ENNI FRAGMENTA ANNALIUM LIBRI XII.

*

Omneis mortaleis victores cordibu' vIveis AB V. C.
Laitanteis, vIno coiratos ſomnu' repente IↃLIX
In campo paſſim molliſſumu' perculit acris IↃLX IↃLXI

*

Quamde . . . . .

Q. ENNI FRAGMENTA ANNALIUM LIBRI XIII.

*

Annibal audacei dum pectore me dehortatur, AB V. C. IↃLXII
Ne bellum faciam, quem credidit eſſe meum cor
Suaſorem ſummum, & ſtudioſum robore bellei

*
* *
*

Pontibus inſtrateis coniunxit littora Xerxes, *Eodem*

*
* *

Iſque Helleſponto pontem contendit in alto

*

Littora laita ſonunt . . . . . *Eodem*

*

Matronai melos complent ſpectare faventes

Incerto loco

*

. . . . Satin' vates verant aitate in agunda

Q. ENNI FRAGMENTA ANNALIUM LIBRI XIIII.

*

Eodem Quom procol adſpiciunt hoſteis accedere venteis
Navibu' velivoleis

*

Eodem Omnes occeiſei obcenſeique in nocte ſerena

*

AB V.C. IↃLXIII Verrunt extemplo placide mare marmore flavo,
Cairoleum ſpumat ſale conferta rate poiſum:

*

Labitur uncta carIna, volat ſuper impetus undas

*
* *

Eodem Vt patefecerunt Fruges . . . .

*
* *

Eodem O patria, o DIvom domus Ilium, & incluta bello
Pergama . . . .

‡

Quai neque Dardanicis campeis potuere perIre,
Nec, quom capta, capei, nec, quom combuſta, cremarei

*

Eodem Horreſcit teleis exercitus aſper utrimque

*

Eodem *Inſit:* O cIves, quai me fortuna ferox ſic
Contudit? indigno bello confecit acervo

Incerto loco

*

Romphaia . . . .

Q. Enni
Fragmenta Annalium
Libri XV.

*

Malos diffindunt fIunt tabolata falaique — AB V. C. IϽLXIV

*

* *

ſ. . . . . . . ſuccinctei corda machaireis, — *Eodem*

††

Iſtri duo in obſidione erumpunt portam, & ſtragem de obſidente hoſte faciunt

*

Occumbunt moltei letum ferroque lapIque; — *Eodem*
Aut intra moeros, aut extra praicipe caſu

*

* *

Foluiu' Nobilior ſtravit certamine crebro — *Eodem*
Aitolos . . . .

††

Regiaque Aimilia vecta trophaea rate — *Eodem*

*

* *

. . . . Cretenſes . . . . — *Eodem*

Incerto loco

*

Arcus ubi adſpiciunt mortalibu' quai perhibentur

Q. Enni
Fragmenta Annalium
Libri XVI.

*

Quippe vetuſta virum non eſt ſati' bella monere — AB V. C. IϽLXV

*

Quo res ſapſa loco ſeſe oſtentatque iubetque — *Eodem*

*

Eodem . . . . ſe
PrImus nec bradus in regimen belleique pereitus
*
Eodem Ingenio fortei dextrum latu' pertudit haſta,
*
Concidit,& ſonitum ſimol inſuper arma dederunt:
*
. . . tamen endovolans ſummum abſtulit haſta
Inſigne . . . .
*
* *
AB V. C. IƆLXVI Vim tua noluntas facit imperioſſa,vetando,
Quem Conſol meruit,quom res bene geſta,triumpum
*
AB V.C. IƆLXVII Montibus obſtIpeis obſtantibus,unde oritur nox
*
AB V.C. IƆLXVIII Reges per regnum ſtatuaſque ſepolcraque quairunt,
Aidificant nomen, ſumma nItuntur opum vei
*
* *
AB V.C. IƆLXXII Hos peſtis necuit,pars occidit illa duellI
*
Eodem Quos ubi Rex paullo ſpexit de collibu' celſeis
*
Eodem Tum timido manat ex toto corpore ſudor
*
Eodem . . . . Interea fax
Occidit,Oceanumque rubra tractim obruit aithra:
*
Nox quando medieis ſigneis praicincta volabat
*
Eodem Spero,ſei ſperes quidquam prodeſſe potes ſint
*
Eodem Non in ſperando cupidei rem prodere ſummam
*
Eodem Inſidiantes heic vigilant,partim requieſcunt,
Contectei gladieis,ſub ſcuteis,ore faventes

QuI

*

QuI clamos oppugnantis vagore volantI *Eod m*

*

Navorum imperium ſervare eſt Endoperantum AB V. C. IↃLXXIII

*

Aiſtatem Autumnus ſequitur, poſt acer Hiems . . AB V. C. IↃLXXIIII

*

* *

. . . . viroſque valenteis
Contudit crudelis Hiems . . . .

Incerto loco

*

Proſtremai longinqua dies quom fecerit aitas

*

. . . . . . Hebem . . . .

Q. ENNI
FRAGMENTA ANNALIUM
LIBRI XVII.

*

. . . . Grumarei . . . AB V. C. IↃLXXVI

*

Concava ſub monteis late ſpecus intu' patebat *Eodem*

*

. . . . potes apte pigre ſufferre laborem *Eodem*

*

Non poſſunt muſſare bonei, qui facta labore *Eodem*
Nixei mIlitiai peperere . . . . . .

*

Sei lucei, ſei nox, ſei mox, ſei quom data ſit frux *Eodem*

*

It eques, & ploſu cava concutit ungula terram: *Eodem*

*

Tollitur in coilum clamos exortus utrimque;

*

Concurrunt, velutei ventei, quom ſpIritus Auſtrei

Imbrici-

Imbricitor, Aquiloque ſuo cum flamine contra
Endo marI magno fluctus extollere certant:

*

Vndique conveniunt, velut Imber, tela Tribuno
Confeigunt parmam, tinnIt haſtIlibus umbo,
Airato ſonitu galeai; ſed nec pote quiſquam
Vndique nItendo corpus diſcerpere ferro:
Semper abundanteis haſtas frangitque quatitque:
Totum ſudor habet corpus, moltumque laborat;
Nec reſpIrandei fit copia, praipete ferro
Iſtrei tela manu' iacientes ſollicitabant

*

Eodem . . . . magna oſſa lacerteique
Apparent hominei , ...

*

Eodem . . . . neque corpora firma
Longiſcunt quidquam . . . .

Q. ENNI
FRAGMENTA ANNALIUM
LIBRI XIIX.

††

AB V. C. IↃXXCI — *Quum ſeptimum & ſexageſimum annum ageret, duedeviceſimam Annalem ſcripſit, idque poeta in eo libro dicit*

*
* *

Eodem Sic ut fortis equus, ſpatio quei ſaipe ſupremo
VIcit Olumpia, nunc ſenio confectu' quieſcit

*
* *

Eodem Omnes mortales ſeſe laudarier optant,

*
* *

Adſectarei omnes cupiunt . . . .

*
* *

Eodem Nos ſumu' Romanei, quei fuvimus ante Rodaiei

*

* *

. . . . . aliei Retorica tongent

*

* *

. . . . . ſanctoſque poetas

*

. . . . aire . . . folva

Q. ENNI

FRAGMENTA, QUAE, MEO CERTE DUCTU, AD CERTAM SEDEM VENIRE NEQUIERUNT

Eorum quatuor claſſes:

I, QUAE CITATA QUIDEM EX ENNI ANNALIBUS, NON INDICATO TAMEN LIBRO

*

Interea fugit albu' iubar Huperioni' curſum

*

Atque atque accedit moeros Romana ioventus

*

Hiſpane non Romane memoreti' loquI me

*

Sic uti ſi qui' ferat vas vInI dImidiatum

*

. . . . . terraI frugiferaI

II, QUAE CITATA QUIDEM EX ENNIO, NON ADIECTO TAMEN OPERE; PUTATA CERTE PERTINERE AD ANNALES

*

Pars ludicre inſtant ſaxa inter ſe licitantur

*

Nei metus ulla tenet, rIte in virtute quiescunt

*

. . . . . paufam fecere fremendI

*

. . fagas . coiroleas . therva . . . .
. . . purpureeis gemmavit pampinus uveis

*

. . . coinacola maxuma coilei

*

. . . . unus
Suru' furum ferret tamen . defendere poffet

*

Omnes corde patrem praibent animoque benigno
Circumfufum . . . . . .

*

Indignas turreis . . . .

*

. . . . DIvom domus altifonum coil

*

. . . . . proterviter . . .

*

Contra carInantes verba atque obfcoina loquutus

*

Nec dico . nec facio . . . .

*

. . . . . rigido . . .

*

. . . . . . ad illa reddita nuptam

*

In templeis Ifdem . . . . .

*

Aut permaceret paries percuffu' trifacei

*

. . . . nec retrahei . potestur
Imperieis . . . .

*

. . . . . frunde frutImei
Suaviter . . . . . .

Iracun-

*

Iracunditer . . . .

*

Inde Parum . . . . . . ///ulabant

*

. . . . topper quam nemo melius scit

*

Florens . . . .

*

Ollei cernebant magneis de rebus agentes

*

. . . . superbiter . . .

*

Cum legionibu' quom proficiscitur Endoperator

*

Ambactus . . . .

*

Iamque fere quatuor partum . . . .

*

. . . . . . sospite IIber

*

Inde locei lituus sonitus ecfundit acutos

*

. . . . bipatentibus . . .

*

IllI est nugator nihilei non naucei homo . . .

*

. . . quem non virtutis egentem

*

Surremsit . . . .

*

Propter stagna, ubi lanigerum genu' piscibu' pascit

*

Armentas . . . .

*

. . . . . . redInunt

*

. . . . praiclariter . . .

*

. . . . . . clamore bovantes

*

DIco quei hunc dicare cupit . . . . . .

*

Inluſtris ſublIme iter . . . quadrupedantes,
Flammam halitantes . . . .

*

Torrus . . . .

*

. . . . Clodiu' Tuſcus

*

. . . . . ſeptemtrio . . .

*

Quom ſaivo obſidio magnum TItana premebat

*

Crebriſuro . . . . .

*

Incedit veles volgo ſicilIcibu' lateis

*

. . . ſtipes . . . .

*

Quei vIcit non eſt victor, niſi victu' fatetur

*

Optuma cum polcreis animeis Romana ioventus

*

Iam cata ſigna fere ſonitum dare voce parabant

*

. . . . . . InimIciter . . .

*

. . . . decem coclites ques montibu' ſummeis
RIpeeis fodere . . . .

*

. . . . . vortunt crateras aenos

*

SImia quam ſimilis turpiſſuma beſtia nobeis

*

Conſiluere . . . . . .

*

Quom ſola eſt eadem faciunt longiſcere longe

*

Inde patefecit radieis rota candida coilum

*

. . . . . endo ſuam do

*

. . . . patrem DIvomque hominumque

*

. . . . quai ſcis
In volgum volgas, artemque expromis inertem

*

Salſum humorem . . . . .

*

Idem campus habet textrInum navibu' longeis

*

. . . . . bona . . .

*

. . . . . popolea frus

*

Quom ſomno ſeſe exſiccat Romana ioventus

*

. . . . . pIlam vix
Sol mediam complere cohum terroribu' coilI

*

. . . . Ignaviter . . .

*

. . . . . . metarI

*

. . . . . . quo tam temere Iti' citate
Catomerarls . . . . .

*

O pietas animei . . . . .

*

. . . . . ſolüi . . .

*

. . . . funduntque elateis naribu' lucem

*
. quom illud, quo iam ſemel eſt imbuta veneno
*
. . . . teloque trabalim
*
Non . decet muſſare bonos . . . . . .
*
. . . tergum igitur ſagu' pinguis opertat
*
. . . . noſtrei ceſſere parumper
*
Vorſat mucronem . . . . .
*
Proſperiter . . . .
*
Sed ſola terrarum poſtquam permenſa parumper
*
Succinctei gladieis media regione cracentes
*
FeſtInumque diem feſtInant . . .
*
. . quod minumum eſt, neque (ut aIunt) mu facere audet
*
Vocibu' concide . . . fac ſiet obrutus . .
*
Conſiptum . . . .
*
Irarumque ecfunde quadrIgas
*
Quai valido venit contorta falarica miſſu
*
Puriter . . . . . .
*
. . . mille rotam voluere per annos
*
Pandite ſolti' genas & corde relinquite ſomnum
*
. . . . leveſque ſecuntur in haſteis

*

. . . . ſpIras legionibu' nexunt

*

Ferro foidatei . . iacent . . . .

*

. . . . . . runata recedit

*

Imprimitque genai genam

*

. . remorbeſcat . . . . .

*

Quis te perſuaſit . . . . .

*

Contemſit fonteis, quibus exerugit aquai vis

*

. . . equitum celeriſſumus . .

*

. . . . . repoſtus

*

Forteis Romanei . quamquam Coilu' profundus

*

. . . . . vita illa dignu' locoque

*

. . . viden' . . . . .

*

. . . . Oratores
Doctiloquei

*

Quairunt in ſcirpo (ſolitei quod dIcere) nodum

*

. . . . . . eia machairas

*

Perque fabam repunt & mollia crura reponunt

*

Iſta macella . . . . .

*

. . . . . fluctuſque natanteis

Porgite

*

Porgite . . . .

III, CITATA OBLIQUIS VERBIS, SUIS NUMERIS RESTITUTA

*

. . . . . . Pes premitur pede,& arma teruntur
Armeis . . . .

IV, CITATA NON ADSCRIPTO QUIDEM AUCTORIS NOMINE, EXISTIMATA TAMEN ENNI

*

Maſſilei portant iovenes ad littora tanas

*

Vnde habeas quairit nemo, ſed oportet habere

*

Exſpoliantur eos,& corpora nuda relinquunt

FINIS.

PAVLLI G. F. P. N. MERVLAE
COMMENTARIA IN
Q. ENNI
POETAE ANTIQVISSIMI
FRAGMENTA ANNALIVM
LIBRI I

HORRIDA. I

PATER cultioris & elegantioris apud Latinos Muſae, Q. Ennius hoc verſu indicat, quid ſcripturus. Citatur autem a L. Calpurnio Piſone (cuius in Praefatione Lectorem praemonui) lib. I. de continentia veterum Poetarum; quo loco de artificioſis illorum Exordijs: *Cn. Naevius* (inquit) *bello Punico primo immoriturus* (in ora libri notatum erat *immoraturus*) *canit, ut ſolent illo aevo: Qui terrai Latiai omnones tuſerunt viros rudeſque Poenica fabor. Promittit omnia ad ſuam uſque aetatem Heroice Ennius: Horrida Romulei certamina pango duellum. Et Furius, Ante has res mihi Romanas ſcripturo Marſpiter adſis, quae duobus annis geſta pollicens.* Et quae alia ibi de Virgilio, Lucano, & recentioribus Caninio, Octavio, Sulpicio, Sextilio. Fragmentum hoc primae eſt in primis notae, auctoris, quem pleris huius aevi inviſum ſervat ad Pariſios Bibliotheca D. Victoris. Cui, quod male, medicinam dabo; nonnihil etiam lucis, ubi obſcurius, obiter addam. Princeps ibi Cn. Naevius, qui Volcatio Sedigito inter Comicos tertius, pronior ad conſpurcandum

Q. Ennius

L. Calpurnius Piſo

Cn. Naevius

Scripſit bellum Punicum I. ſui aevi procerum famam. Scripſit ille praeter alia bellum Punicum I, uno continenter volumine, quod in VII. libros dividit, apud Suetonium de Claris Grammaticis, C. Octavius Lampadio. *Eique interfuit* Poeta bellum illud (quo ipſe etiam ſtipendia fecit, teſte M. Terentio Varrone de poetis lib. I. apud Agellium lib. XVII. cap. II.) mihi ſic orſus:

Operis Naevi initium

Quei terraaI LatiaaI hemoones tuuſerunt
VIreis fruudeſque Poinicas fabor . .

Ioſ. Scaliger Paullo ſecius Ioſephus Scaliger, vir, in quo dubium plane primas teneat antiquiſſima nobilitas, an vero ſumma ab admirando ingenij luxu eruditio. Cum eo, quae apud Calpurnium Ennij & Naevij Fragmenta, pleraque communicavi. Is hunc Naevij verſum ſic concipiebat:

Quei terrai Latiai emones tuſerunt
Vires rudes, quei Poinei, ecſabor

Vocales longae Antiquis geminatae *TerraaI*) Hanc vocem, & quae ſequuntur, geminatis vocalibus ſcribo. Nam, teſte Victorino Afro de Orthographia, *Naevius & Livius, quum longa ſyllaba ſcribenda eſſet, duas vocales ponebant.* Eum geminatis vocalibus ſcribendi ritum retineri vult apud Terentium Scaurum L. Attius, *quum alioquin, adiecto vel ſublato apice, longitudinis & brevitatis nota poſſet oſtendi. Nam ſingulares vocales & produci & corripi poſſunt.* Quin & ultra Attium *porrectas ſyllabas geminis vocalibus ſcribebant,* quod notat Quintilianus lib. I. Oratoriar. Inſtitut.

Terra Latium & ſimilia *LatiaI*) Mallem *LatiI.* Sic enim loquebantur Veteres. *Terra Latium* & *terra Saturnia* apud Ennium lib. I.

. . . . *Saturnius illI*
Nomen erat, de quo Latium & Saturnia terra.

Ianus Duza Ita legendum cenſet Ianus Duza, quem Academiae no-

ſtrae

ſtrae Curatorem, quem ἀρχειοφύλακα & Scriniorum magiſtrum, quem denique noſtrarum rerum Annales molientem ſuae Virtutes, ſui Natales, ſua Doctrina ad Senatoriae in ſuprema Curia dignitatis evexerunt faſtigium. *Terra Italia* eſt apud Lucretium lib.I.

Anguſtoque fretu rapidum mare dIvidit undis
Jtaliai terraI oris a fInibus ejus

Terra Sicilia apud Catonem in Originibus. Verba eius recitat Agellius lib.III.cap.VII.*Imperator Poenus in terra Sicilia bello Carthaginienſi primo obviam Romano exercitui progreditur, colles locoſque idoneos prior occupat. Milites Romani, uti res narrata eſt, in locum inſinuant fraudi & perniciei obnoxium. Q. Caedicius Tribunus ad Conſulem venit.* & quae multa ibi de eximia eiuſdem Caedicij fortitudine, qua vir egregius exercitum Romanum, qui in locum iniquiorem adductus erat, ſervavit. Inciderunt autem in annum ab v.c.ccccxcv, quo Coss. A. Atilius Calatinus, quem deſignat Cato, & C. Sulpicius Paterculus. Sic etiam loquutum poetam noſtrum apud Varronem lib.IV.de Lingua Latina, quivis videret, ſi verba eius, ut ſcripta olim, ad nos cum fide eſſent tranſmiſſa. Legitur enim hodie: *O terra trita, ubi Liberi fanum in cuius muro locavi*. Alij libri pro *trita* agnoſcunt *tereae*, alij *terreae*, alij *treca*. In reſtituendo Ennio laborant noſtri Senatus principes: Hadrianus Turnebus, *O terra Creta*, cenſet; Antonius Auguſtinus, *O terra Graeca*; Obertus Giſanius, *O terra Graecia*. Alia mens magno Scaligero, qui pro vulg. *O terra trita ubi Liberi*, & ceteris, emendandum monet:

Cato inluſtratus

O terra tritaVi in cuius moero Liberi
Fanum locaVi

Ingenioſiſſime ille, ut reliqua. Alij alio modo. Ego etiam ex Iuniorum ordine poſt tantos viros aliquid audebo. Vetus, qui apud me, codex: *O terra tertia ubi*. Alius *intumum*

praefert pro vulgaria ſcriptura, *in cuius muro.* Facile veram lectionem eruere. Repono:

Ennio apud Varr. lux & medicina

. . . *o terra Thracia, ubi LIberI*
Fanum locavI in Aimo . . . .

Scribit Pomponius Mela lib. II. cap. II. interiorem Thraciam attollere montes Haemum (qui hodie *Krinicȝne*) Rhodopen (qui *Kȝenaniwerti*) & Orbelon (*Karopnitȝe*) ſacris Liberi patris & coetu Maenadum, Orpheo primum initiante, celebratos. Videntur his apud Ennium verbis (qua neſcio Tragoedia) de acerbo fato conqueri manes Orphei, & terrae Thraciae exprobrare non modo Sacrorum, quae inſtituerat, inmemoriam; ſed, qua crudeliſſime diſcerptus erat, immanitatem. Primus in Thracia initiavit Libero patri Orpheus; Liber iſtius benificij immemor malam gratiam Orpheo retulit. Orphea enim ferunt, interemta ictu ſerpentis coniuge, eius recuperandae, ad inferos deſcendiſſe; ibi, quum omnium Deorum laudes placandis Plutoni & Proſerpinae caneret, Liberi fuiſſe oblitum; ideoque a Bacchis, quum furorem ijs immiſiſſet iratus Liber, apud Hebrum ſumma atrocitate laniatum. Haec de Orphei interitu emendationem meam iuvant. Alij alia de eodem ſcribunt. Legendi Apollodorus Cyrenaicus de DIs, Apollodorus Gelous in Philadelphis, Agatharcides Cnidius in Aſiaticis, Pauſanias in Boeoticis & alij. Quid ſi Ennius ita ſcripſerit?

Orphei interitus

Coniectura in Ennio

. . . *o terra Thracia, ubi LIberI*
Fanum, in quoius moero locavI . . .

ut illi ſit *Liberi fanum*, quod Geographis in Thracia deſcribenda *Dionyſopolis*, quae χρουνος Stephano, *Crunos* Plinio: vel ſaltem in illa urbe templum Libero ſacrum, in cuius muro, quid locarit qui loquitur apud Ennium, non adijcit Varro

Dionyſopolis Crunos

Hemoones)

Hemo

Hemoones) *Hemones* (vel ut alij apud Paullum Diaconum ex Feſto contra ſeriem litterarum ſcribendum putant, *Homones)* rudiori, qui *Homines* ſaeculo elegantiori. *Teraai Latiai Hemones* Naevio Romani, quos *Latios Hemones* alibi idem videtur appellare. Calpurnius enim lib. II. haec *Cn. Sangae* citat ex lib. IV. de bello Punico primo: *Inhoſpitalis victrix es abſorbet unda Latium legiones neminum.* Mihi hoc lucet, non alium in *Cn. Sanga* deſignari, quam *Cn. Naevium*, cui primus adſero hoc cognominis, Romanis alias noti, quamvis infrequentis. Q. Fabius Sanga, patronus Allobrogum, Ciceroni Cos. coniurationem prodit Catilinae apud Appianum lib. II. Q. Sangae, amici ſui & interceſſoris cum alijs meminit Cicero in oratione contra L. Piſonem. Eo magis lucet; I, quod eius cognominis haud dubiae notae apud Nonium Marcellum: *Fulgurivit,* inquit, *fulgorem fecit vel fulmine adflavit: Novius: Sane a ſuo ſonitu claro fulgurivit Iuppiter.* Corrigo duarum litterarum mutatione: *Naevius Sanga:*

Hemones Latij

Cn. Naevio cognomen fortean inventum

Naevius emendatus apud Nonium

Suo ſonitu claro folgurIvit Iuppiter

II, quod veterum, qui quidem noti, nemo ſcripſerit carmine bellum Punicum primum. III, quod verſus ille non alienus ab reliquis Naevianis. Nam ſcripſit Sanga, ſive Naevius is, ſive (nam, ſi qui aliter ſentiunt, non repugno) quis alius:

Et Calpurnium

Inhoſpitaalis victrIceis abſorbet unda
Latium Legioones hemoonum . . .

id eſt Romanorum, ex quibus (qui Ingenui, qui in quinque claſſibus cenſi, qui ludicrae artis expertes) Legiones plurimum conſcriptae. *Inhoſpitalis unda,* χαλὀξεινος κλύδων, Caſſandrae apud Lycophronem. Indicat Cn. Naevius Sanga infandum illud naufragium, quod paſſa anno ab v. c. ccccxcIIX. claſſis Romana, quum in Italiam praedis onuſta

Inhoſpitalis unda

remearet, de quo dicam ad lib. VII. Annalium.

Iterum apud Calpurn.

VIreis) Sic ſcribendum pro *Viros* duxi, & *fruudes,* quod eſt fraudes pro *rudes.* Eleganter ſane poeta Martem notat apertum & doloſum: utrumque a Poenis Romani iſthoc bello experti. Haec ſatis ſunto ad hos Naevij verſus, qui alio loco erunt repetendi. Addam pauca ad Furij. Ait Calpurnius:

A. Furius Antias

Q. Lutatius Catulus

Furius ante has res mihi) Lectio vera: *Furius Antias: Res mihi.* Quid multa huic firmandae correctioni? Cognomen illud A. Furij, iſtius, ad quem Q. Catulus librum de rebus a ſe geſtis miſit. *Iamque Q. Catulus,* ait Cicero in Bruto, *non antiquo illo more, ſed hoc noſtro (niſi quid fieri poteſt perfectius) eruditus, multae litterae, ſumma non vitae ſolum atque naturae, ſed orationis etiam comitas, incorrupta quaedam Latini ſermonis integritas, quae perſpici cum ex orationibus eius poteſt, tum facillime ex eo libro, quem de Conſulatu & de rebus geſtis ſuis conſcriptum molli & Xenophonteo genere ſermonis miſit ad A. Furium poetam, familiarem ſuum.* Alij ſupponunt, *de proconſulatu.* Vulgatam probo. Proconſulatus circumſcribitur, cum inquit, *de rebus geſtis ſuis,* a quibus Proconſulatus Catuli clarior, quam Conſulatus; quod manifeſtum ex geſtorum ſerie. Q. Lutatius Catulus Cos. fuit anno ab V.C. IↃCLI. cum C. Mario IV. Eo anno bellum cum Cimbris geſtum. Hi enim, Teutones, Ambrones & Tigurini, quum Alpes ſuperaſſent, animo Italiam invadendi, Marius Ambronibus & Teutonibus in Gallia ſe oppoſuit: Catulus eius collega Cimbris, qui per Noricum irruptionem parabant, ab Senatu occurrere iuſſus, occupatis Alpium iugis. Ambrones primo, Teutones ſecundo praelio ab C. Mario ad Aquas Sextias victi; duce Teutoboccho occiſo. Sequente anno, qui IↃCLII. ab V.C. Catulus proconſul, qui contra Cimbros erat miſſus, ab Alpibus pulſus in Italiae ſe recepit plana; factis

Catuli orationes; & Annales

Recepta in Cicer. lectio defenſa

Q. Catuli & C. Mari Coss. res geſtae contra Cimbros alioſque

factis ad Athesin contra Barbaros Castello & Ponte, quo copias suas, quae in utraque fluvij ripa castra erant metati, coniungeret. Is pons iniectis in flumen arboribus, disturbatus ab Cimbris. Consternatus Catulus, relicto Castello, fugit: militum potior pars pavidi Romam repetunt. Marius V. Consul protinus ad Catulum profectus, revocat ex Gallia copias. Instructa utrimque acie, funditus in agro Vercellensi delentur Cimbri, regulis duobus caesis, captis totidem. His biennium ab v.c.ↃCLI. & ↃCLII. datum, quod etiam innuit Calpurnius, quum scribit Furium primo versu polliceri, quae duobus annis gesta: haec uno volumine docte & eleganter conscripsit ipse Q. Catulus, teste Cicerone: haec posteris communicare voluit A. Furius Antias X. & pluribus fortean libris: cuius ex primo versus apud Macrobium lib. VI. cap. IV.

A. Furij Fragmenta ad historiam vocata Furius correctus

Ille gravi subito devictus vulnere, habenas
Misit equi, lapsusque in humum defluxit, & armis
Reddidit aeratis sonitum . . . . . .

sic lego, & intelligo de Teutoboccho, Teutonum duce, quem occisum a C. Mario narrat Orosius. In Ms. (quo me donavit eruditus iuvenis Henricus Wintgis I C, immatura morte reip. litterariae superiore anno praereptus) *Teutodobus* nominatur. Illum vero ex lib. VI. petitum a Macrobio eiusdem libri capite I.

Quod genus hoc hominum Saturno sancte create!

verba accipio Catuli proconsulis & militum, Cimbrorum ferociam atque multitudinem (scribunt enim Historiographi praelio, quod anno sequente sequutum, caesa Cimbrorum centum quadraginta millia, capta millia sexaginta) admirantium; ideoque, quum in Alpium iugis resisti ijs posse diffiderent, salutem fuga quaerentium. Qui ab Macrobio ibidem laudatur ex libro Furij X.

Rumo-

Rumoresque serunt varios ac multa requirunt,

refero ad C. Marium & Q. Catulum, eorumve milites convenientes: aderat enim Roma cum auxilio Marius; qui recensens exercitum;

Nomine quemque ciet, dictorum tempus adesse
Commemorat . . . .

quod ex eodem Furij libro apud Macrobium, loco saepe citato. Instruit aciem,

Confirmat dictis simul, atque exsuscitat acreis
Ad bellandum animos, reficitque ad praelia menteis,

Caninius Rufus

ut idem canit lib. X. teste ibidem Macrobio. Haec ad Furium. *Caninius*, quem inter Recentiores numerat Calpurnius, nescio an, qui Rufus cognominatur, C. Plinij Caecilij municeps. Is Graecis versibus bellum Dacicum Traiani carmine descripsit, teste Plinio libri IIX. epistola IV. qui eum hortatur libri I. epistola III. ut se monimentis litterarum a mortalitate vindicet, & lib. IX. epist. XXXIII. rogat, ut historiam de Hipponensi Delphino metro excolat.

Octavius Rufus

Octauium Rufum adhortatur ad editionem suorum versuum idem Plinius libri I. epistola VII. & libri II. epistola X.

Ser. Sulpicius

Ser. Sulpicius poeta laudatur eidem Plinio libri V. epistola III. fortassean is, cui cognomen *Camerinus*, quique Consul fuit anno ab v.c. ІƆCCCCXCI. cum Quinctio Nigro Magno: nihil adfirmo, tempora vix patiuntur. Qui nominat enim, sub Traiano; sub Hadriano vero, qui nominatur, floruit: inter utriusque Consulatum anni numerantur XXV.

Sextilius Haena

De *Sextilio*, qui apud Calpurnium, nihil occurrit; nisi sit *Sextilius Haena Cordubensis*, qui carmen de proscriptione & interitu Ciceronis in domo Corvini Messalae recitavit, hoc principio:

Deflendus Cicero est, Latiaeque silentia linguae

Videndus

Videndus Seneca Suasoria penultima. Multo incertiora apud me de *Scantinio*, *Gallonio*, *Fabiano*, *Secundo* & alijs: de quibus omnibus, sui aevi poetis, Calpurnius: *Nostris*, ait, *exiliora sunt initia in exiliori argumento*. Porro, *Promittit*, inquit de *Ennio* Calpurnius, *omnia ad suam aetatem Heroice*. Poeta noster hoc modo committitur (nam is Calpurnio finis) cum *Naevio*. Scribit hic, ut solent Priscorum aevo; ille Heroice scribit. Tempore Naevij rudior erat & incultior Latina Musa, in sacris adhuc & familijs Saturni, Faunorum, Vatumque, qui nulli Graecos illos scopulos superarant: Eam erudijt & Heroice instituit Rudaeus noster poeta. Naevius solum describit bellum Punicum primum, uno continenter volumine, quod C. Octavius Lampadio divisit, quemadmodum ex Suetonio dixi, in septem libros: neque etiam plures paucioresve a Grammaticis citantur. Fragmenta tam sunt obscura, tam corrupta, tam, nulla auctoris culpa, ab omnibus numeris aliena, ut quid velint, vix Apollo divinarit. De ijs sic censeo: Rerum ab Troianis gestarum nonnihil fuisse praemissum vel admistum potius. Eo pertinent: Primo, quod ex lib. III. (corrupti ubique nimium quantum numeri) apud Priscianum, quo loco probat Veteres *adoriant* dixisse pro *adoriantur*,

Scantinius *Gallonius* *Fabianus* *Secundus*

Rudior Naevij Musa

Eruditius Rudaei poetae carmen

Naevius septem libros scripsit de bello Punico I.

Iudicium de Naevianis Fragmentis

Rerum ab Troianis gestarum descriptio

. . . . *proficiscente Hectore, tumidos*
Adoriant, ne qui hinc Spartam referat nuncium

Naevius castigatus

Ita enim ibi lego. Deinde, quod Probus citat ex eodem libro, ad Eclogam Virgilij VI.

At postquam avim de templo Anchisa spexit, II
Sacra ordine in mensa Penaatium Deoorum
Poonuntur, victimam auream polcram immolabat

Sic Saturnijs numeris illa restituit magnus ille, qui deplo-

 rati,

rati, medicus, Iosephus Scaliger. Tertio, quod duobus locis in Perconto & Linquo apud Nonium ex libro II. (puto scriptum hoc etiam fuisse ab Naevio libro III. cum superioribus, vel potius hoc & superiora libro I.)

III. *Blande & docte percontat, Aineeas quo pacto*
Troiam urbem lIquisset . . . .

Nulla Enni mentio apud Naevium

Sic lego. Ocellus nostrae Belgicae Iustus Lipsius, *percontat em quo pacto*. Vulgati Nonij *Ennium* in locum *AEneae* sufficiunt. Certe numquam quis mihi adsuaserit, Naevium mentionem fecisse Ennij, qui anno, postquam coeperat docere Naevius, est natus, quique XXXV. annum agebat, quum Naevius diem obiret: & qua fronte Ennius contemtui habuisset scripta, in quibus blanda eius commemoratio. Illa ad res Troianas. Quae sequuntur γιγαντομαχίαν inter alia apud Naevium depingunt: in primis illa apud Priscianum, ubi probat *Titani* pro *Titanes*, & *terras* pro *terrae* ab Antiquis dictum:

Gigantomachia apud Naevium

. . . . . *inerant signa expressa,*
Titaani quo modo & bicorpores Gigantes
Mimas, Ephialtes, Rhoitus atque Purpureus
FiliI terras . . . . . .

Naevius emendatus

Sic enim emendo, quae corruptissima, sequutus vestigia antiquissimi exemplaris. *Mimantem*, & alios hic, inter Gigantes numerat Horatius lib. III. Carminum, Ode IV. eumdem celebrat CL. Claudianus in Gigantomachia. *Ephialtem* Homerus Odyss. λ. & Virgilius in Culice nominant. *Rhoetus* apud eundem est lib. II. Georg. & alios. *Rhuncus* legebatur apud Priscianum, fortasse non male. *Purpureus* autem Naevio, Latina terminatione, qui Isacio & alijs Πορφυρίων, Latinis *Porphyrion*. Perijt ille apud C. Iulium Hyginum, qui operis initio, *Ex Terra* inquit *&*

Tartaro

Tartaro Gigantes: Enceladus, Coemse, Lentesmophius, Astreus, Pelorus, Pallas, Emphytus, Phorcus Ienios agrus Alemone, Ephialtes, Erylus, Effra, Corydon, Pheomis, Theodamas, Othus, Typhon, Polyboetes, Memphiarus, Abseus, Colophonius, Iaphetus.

Hyginus correctus

Monstra quarumdam vocum. Abigo, quamvis non omnia; *Ex Terra & Tartaro Gigantes: Enceladus, Caeus, Lentesmophius, Astraeus, Pelorus, Pallas, Eurytus, Porphyrion, Agrius, Alcyoneus, Ephialtes, Erylus & Gration, Pheomis, Theodamas, Athos, Typhon, Polybotes, Memphiarus, Asius, Celado, Cinnus, Iapetus.* Qui omnes cum apud alios, tum apud Apollodorum Atheniensem lib. III. Biblioth. sive de Deorum orig. Phorco, qui ab Atlante navali praelio victus, vix inter Gigantes locus. Scribit *Porphyrionem* Duris Samius, quum Iunonem violaret, occisum ab Iove & Hercule. Hos omnes *Terras filios* nominat Naevius, cui inlustrando faciunt; de Titanibus quidem, Orpheus in Hymno:

Naevius inlustratus

Τιτῆνες γαίης τε καὶ ὀυρανοῦ ἀγλαὰ τέκνα,
Ἡμετέρων πρόγονοι πατέρων, γαίης ὑπένερθεν
Οἴκοις ταρταρίοισι μυχῷ χθονὸς ἐνναίοντες.
Ἀρχαὶ, καὶ πηγαὶ πάντων θνητῶν πολυμόχθων,
Εἰναλίων, πτηνῶν τε, καὶ ὁι χθόνα ναιετάουσιν
Ἐξ ὑμέων γὰρ πᾶσα πέλει γενεὰ κατὰ κόσμον·

& Aeschylus in Prometheo:

Ενταῦθ' ἐγὼ τὰ λῷςα βουλεύων, πιθεῖν,
Τιτᾶνας, ὀυρανȣ̃ τε καὶ χθονὸς τέκνα.

Coeli & *Terrae* prolem faciunt *Titanas* Orpheus, & Aeschylus, & ex Aeschylo Attius apud M. Tullium lib. II. Tusculanarum; *Tartari* vero & *Terrae* Hyginus & Claudianus in Gigantomachia:

Terra parens quondam coelestibus invida regnis,
Titanumque simul crebros miserata dolores,
Omnia monstrifero complebat Tartara coetu

Naevius *Terram* Matrem solum nominat. De Gigantibus

vero, verba Isacij, ἡ Γῆ, inquit τὰ τῶν τιτάνων ἀγανακτοῦσα, ἐν Φλέγραις τῆς Παλλήνης γεννᾷ δρακοντόποδας καὶ βαθυγενείους, καὶ βαθυχαίτας Γίγαντας, οἱ πέτρας καὶ δρῦς πεπυρακτωμένας ἠπόντιζον πρὸς τὸν οὐρανόν. ὧν πρῶτοι Πορφυρίον καὶ Ἀλκιονεύς. Sic Sophocles in Trachinijs: Οὐθ' ὁ γηγενὴς στρατὸς Γιγάντων. Videndi & Hesiodus in Theogonia, Orpheus lib. VIII. sacr. serm. Acusilaus apud Interpretem Apollonij, Apollodorus Cyrenaicus lib. I. de Dijs, Ovidius lib. V. Fastor. & alij. Bicorporis autem voce, quae apud Naevium, utitur etiam in Gigante describendo Attius apud Priscianum lib. VI. *A corpore*, inquit, *composita eiusdem declinationem servant, bicorpor bicorporis, tricorpor tricorporis, ut Attius in Eriphyla:*

Bicorpor

Pallas bicorpor anguium spiras trahit

Attio, Isacio & Ovidio lux

Attio Gigantes (eorum enim non postremus Pallas, qui in Gigantomachia obtruncatus ab Pallade) anguium spiras trahunt; Isacio sunt δρακοντόποδες; apud Ovidium V. Fastorum Terra parens

Mille manus illis dedit, & pro cruribus angues.

Quae & id genus de Gigantibus alia non intelligenda, quasi vere anguineis fuerint pedibus, sed quod superbo incessu traxerint & efformarint anguium spiras, motis cum fastu quodam in semicirculos pedibus, quod familiare Thrasonibus & qui gloriarum pleni. Est autem fere, ut dubitem de probitate praefixi Attij verbis Tituli. Scio quidem Eriphylam *ea fuisse* (utar M. Tullio VI. Verrina) *cupiditate, ut, quum vidisset monile ex auro & gemmis, pulcritudine eius incensa, salutem viri proderet*; ideoque poetis facile occasionem potuisse dare scribendae Tragoediae: metuo tamen, ne apud Priscianum sub Eriphyla monstri quid alatur, & Gigantum lateat aliquis, vel *Erylus* vel *Eurytus*, qui &

Eriphyla

Dubitatum de integritate scripturae apud Prisc.

Pallas bicorpor anguium spiras trahunt:

nolo

nolo tamen hoc dictum adseverantius; ut nec, quod sequitur; superioribus Naevij proxime fuisse adnexa:

Silvicolai hemoones, bellI inertes, Naevius emendatus

sic illa obiter emendo apud Macrobium lib. VI. Saturnal. cap. V. Eiusdem classis mihi, quod ex lib. II. (sextum agnoscit in Glossis suis Nestor Dionysius Novariensis)

PrIma inceedit Cereris Proserpina puer

citat Priscianus lib. VI. qui, *Hic & haec puer*, inquit, *Vetustissimi protulisse inveniuntur. Livius in Odyssea: Sancta puer SaturnI fIlia regIna. Naevius*, & quae sequuntur. De ea voce & Sosipater Charisius lib. I. Instit. Gram. *Puer*, inquit, *& in foeminino sexu Antiqui dicebant, ut Graeci ὁ παῖς καὶ ἡ παῖς, ut in Odyssea vetere, quod est antiquissimum carmen. Mea puer, mea puer, quid verbI ex tuo ore audio?* Quod idem citat Priscianus eodem libro, ubi notat Veteres etiam *Puera* dixisse; qui ad hunc modum: *Mea puera, mea puera, quid verbi ex tuo ore profugit?* ob quam caussam recte addit diligentissimus scriptor Charisius M. Terentium Varronem contra alios putare in Livij, quin & in Nelei (vetus codex *Menelai*) carmine, eoque prisco, quod ibidem scriptum, *Puera* dictum. Sive cecinerit Livius, *Mea puer*, ut vult cum L. Aelio Stilone & Asinio Sosipater; sive *mea puera*, quod probat cum Varrone Priscianus; illud saltem certum, emendandum ab Prisciano Sosipatrum, & legendum; *Quid verbi ex tuo ore profugit?* Sic enim expressus ab Livio Homerus Odyss. lib. I.

Puer de sexu foemin. — *Puera* — *Livius apud Sosipatrum correctus*

Τέκνον ἐμὸν, ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων?

Glossar. Nestoris Novariensis legit *ex ore tuo superfugit*. Pergo in Naevio, cuius paullo ante citato versui adhaeserunt meo iudicio illa ab Macrobio laudata eodem libro:

Dein pollens sagitteis, inclutus arcitenens,
Sanctusque, Delpheis prognatus, Pythius Apollo

Apud Homerum IV. Iliados Apollo κλυτότοξος dicitur. *Apollo*

Eleganter Callimachus deſcribit quae ab Antiquis tribuuntur Apollini, in Hymno:

Τέχνῃ δ' ἀμφιλαφὴς οὔτις τόσον, ὅσον Α'πόλλων.
Κεῖνος ὀϊςευτὴν ἔλαχ' ἀνέρα, κεῖνος ἀοιδὸν.
Φοίβῳ γὰρ καὶ τόξον ἐπιτρέπεται καὶ ἀοιδή.
Κείνου δὲ θριαὶ, καὶ μάντιες, ἐκ δέ νυ φοίβου
Ἰητροὶ δεδάασιν ἀνάκλησιν θανάτοιο.

Pythius Pythius autem cognominatus, ut canit Homerus, a Typhone ſerpente ſagittis interemto, qui ſolis calore poſtea putruit. πύθεσθαι Graecis putrefieri. Ait enim Hymno in Apollinem:

. . . ὅδ' ἐπηύξατο φοῖβος Απόλλων
Ενταυθοῖ νῦν πύθευ ἐπὶ χθονὶ βωτιανείρῃ

Et poſt pauca:

. . . . οἱ δὲ ἄνακτα
Πύθιον καλέουσιν ἐπώνυμον, οὕνεκα κεῖθι
Αὐτοῦ πῦσε πέλωρ μένος ὀξέος ἠελίοιο

Sed potuiſſent haec Naevij, quae fabulas potius, quam hiſtorias ſapiunt, eodem ordine, & alio referri, ut dicam libro VII. Annalium ad fragmentum *Aplustra XVIII*, 28. Cetera, quae apud Grammaticos, fragmenta, hiſtoriam belli Punici primi deſcribunt: aperiam illa, quum Ennius me ſua colligentem & corrigentem ad bellum illud deduxerit. Haec de ſeptem Naevij libris, quibus res ab Romanis contra Karthaginienſes primo geſtas ille proſequutus. Ennius maiora molitur: apud quem res multorum annorum, politiore ſtilo. Initium ſumit ab triſti Troiae excidio & ſaeva Priami calamitate; omnia, Naevium imitatus, continente ſcriptura. Abijt opus illud, duce Q. Varguntejo, in XVIII. libros: monebo ad ultimum Annalium; teſtatur Suetonius de Claris Grammaticis, ubi de Cratete Mallote. Liber primus, quae ab Romulo; Secundus, quae ab Numa Pompilio, Tullo Hoſtilio & Anco Marcio; Tertius,

Quot Annalium libri, & quid ſingulis ſcriptum

tius, quae ab L. Tarquinio Priſco, Ser. Tullio & L. Tarquinio Superbo acta brevibus recitat. Quartus, ab primo Conſulatu ad annum ccccx. extenditur; Quintus, hinc ad annum ccccLx. Sextus finit in anno ccccxxvi; Septimus in ıↄxxv. Octavus porrigitur ad annum ıↄxlvi; Nonus ad ıↄliii. Decimus in anno ıↄlvi. terminatur. Libris ſequentibus fuſius deſcribuntur, quae ab anno ıↄlvii. geſta ad annum ıↄlxxx. aut circiter.

ROMOLEVM 2.) Apud Calpurnium erat *Romulei.* Alterutrum; aut ſcribendum erat *Romuleum,* aut *DuellI:* illud malui. Non enim unum bellum ſcripſit Ennius. *Certamina Romuleum Duellum,* dixit, quod eum imitati Lucretius libro I. *belli certamina magna,* & libro. IV. *certamina pugnae*; Virgilius libro X. *duri certamina belli.* *Romoleum* autem iuſſi excudi. Nam Veteres, teſte Victorino Afro de Orthographia, O litteram non ſolum pro brevi & longa, ſed etiam pro V ponebant; quod ego animaduerti obſeruatum praecipue ante L litteram: talia cum alibi, tum in duodecim Tabulis, *Popolus, Piacolum, Folmen, Tolit, Obvagolatum* & infinita alia

Certamina belli

O pro V

PANGO 2.) Pangere ſe dicit; Panxiſſe vult dici poſt mortem:

Adſpicite o Clves ſenis Ennii imagini' formam:
Hic voſtrum panxit maxuma facta patrum.
Nemo me lacrumeis decoret, neque Funera fletum
Faxit: quur? volito vivo' per ora virum

Sic ſcribendum apud Ciceronem hoc Ennij epitaphium me monuit flos ille ſuae Galliae Ioſephus Scaliger. Elegantiſſime ſane. Addebat *Funeras* apud Romanos dici illas, quae ſanguine defuncto proximae funeris ergo leſſum faciebant

Ennius apud Cicer. vere emendatus

Funerae defuncto quae

faciebant & veris lacrumis ſuas genas perfundebant. Funerae Matris meminit Virgilius lib. AEneid. IX.

Heu, terra ignota, canibus date praeda Latinis,
Alitibusque iaces: nec te tua funera mater
Produxi preßive oculos, aut vulnera lavi
Veste tegens, tibi quam noctes festina dieſque
Urgebam, & tela curas ſolabar aniles

Virgilius rectius interpunctus

Tali omnino interpunctione haec Virgilij, quae turbatiora in pleriſque libris, iuvanda. *Conqueſtio eſt matris Euryali, plena artis Rhetoricae. Nam pene omnes partes habet de miſericordia commovenda a Cicerone in Rhetoricis poſitas*, ut ſcribit ad illum locum Servius: a quo ſolo, non ab alijs, horum verborum interpretatio eſt petenda. Nugatur Donatus ille ſuppoſititius,

Donatus ad Virgilium reprehenſus

. . . *nec te tua funera mater*
Produxi . . . . . .

Aliud, inquit, *fuerat dictura, & aliud ſubiecit dolentis more*

. . . . *tua funera mater*
Produxi . . . . . .

Donatus ſuppoſititius

nec tuum funus proſequuta ſum. Haec ille, quem ſuppoſititium appello, non iniuria. Quae enim tanti momenti ratio me inducet, ut credam eum eſſe Donatum, diligentem alioquin ſcriptorum veterum interpretem, cui tam obſtinata & morum, qui retro, & auctorum in commentarijs ſane prolixis praetermiſſio? Ne ipſe quidem Georgius Fabricius fidem mihi faciet: mea mens illa: Quae Donati nomine in Virgilium circumferuntur, non Donati eſſe, ſed alicuius, non ineruditi tamen, Paraphraſtis. De mutilatis, quae nobis aliae obtrudunt editiones, ſileo. Audiendus ſolus Servius, qui ad, quae dixi

De Donati in Virgilium commentarijs iudicium

. . . nec te tua funera mater
Produxi . . . .

id est funerea, inquit. *Apud maiores Funeras* (ita legendum) *dicebant eas, ad quas funus pertinet, ut Sororem, Matrem. Nam Praeficae, ut supra diximus, sunt planctus principes, non doloris.* Suspectum mihi apud Virgilium τὸ *Produxi*. Quid si *Proluxi?* ut eo respiciat Festus apud Paullum Diaconum: *Prolugere dicuntur, qui solito diutius lugent.* Non plane tamen displicet *Produxi*, modo vox illa intelligatur de *Conlocatione*. Producebant enim defunctum proximi aut certe haeredes ex penitiore aedium loco (ubi extremus eius spiritus a carissimis erat exceptus, ubi per intervalla conclamatus, ubi denique calida aqua ablutus & unctus a Pollinctoribus) alba veste indutum in domus vestibulum, atque ibi lecto conlocabant, cauto, ut Corpus foras spectaret, facie pedibusque in publicum vorsis. Hoc vocabant Graeci, indicante primi nominis Scaligero, προτίθεσθαι, Latini *Conlocare*; quo fortean adludit Plautus in Amphitruone Actus 1. Scena 1:

Servius correctus
Coniectura in Virgilio
Prolugere
Virgil. contra alios explic.
Conlocatio Defuncti
Funerum ritus
προτίθεσθαι Conlocare

Agite pugni, iam diu 'st, quod ventri victum non datis:
Iampridem videtur factum, heri quod homines quatuor
In soporem conlocastis nudos

Novus in Plauto intellectus

Et quia πρόθεσιν vel Conlocationem praecedebat solennis illa Productio, totum hoc *Producere* Virgilius appellavit

Producere apud Virg.

DUELLUM 2.) Varro libro VI. *Duellum,* inquit, *id postea bellum. Ab eadem caussa facta Duellona, Bellona.* Iuvenalis Satyra 1:

Duellum & similia

. . . *Galeatum sero duelli*
Poenitet . . . . .

Glossarium emendatum

Apud Plautum in Amphitruone, *Duellum maxumum*; in Prologo Captivorum; *Domi bellique duellatores optumi*; in Epidico, *ars duellica*; ut apud Lucretium lib. II. *Equorum duellica proles*. Glossarium ab Henrico Stephano editum ante aliquot annos: *Duellum*, πόλεμος ἀρχαῖος: lego ἀρχαίοις, vel ἀρχαίως. Duellona, πολεμική. Duonus, ἀγαθός; quam vocem, notatam etiam Paullo Diacono Festi mutilatori, restituit Salijs vir omni laude superior Iosephus Scaliger apud Varronem libro VI.

Varro castigatus

. . . . . *omnia*
Dapatilia comisse IanI Cusiones
Duonus ceruses DIvius Ianusque venit.

Amplius

E pro I

Quintilianus correctus

Festus emendatus

Legebatur in Vulg. *Omina vero adpatula coemisse. Iam Cusiatij, Muses, Ruse, dumque Ianus venet.* Portenta vocum. Quanto propius ad summi viri coniecturam vetus, qui apud me, codex: *Omnia vero ad patula coemisse Iani cusianes duo mise ruses dumque Ianusque venet.* Τὸ *venet*, non temere reijciendum, inque locum eius *venit* subficiendum. *Quid?* inquit Quintilianus libro I. cap. IV. Instit. Orator. *non E quoque I loco fuit? ut Menerva, & Leber, & Magester, & Dijove, & Vejove, pro Dijovi & Vejovi.* Quorum postrema antiquissimus apud me liber sic concipit: *& diuone victore, pro diuoni.* Facit iniecta paullo ante vocis *Duoni* mentio, ut hic ausim: *& duone victores, pro duoni.* Sic Paullus ex Festo: *Duidens,* inquit, *hostia bidens. Duicensus dicebatur, cum altero, id est, cum filio census. Duis duas habet significationes. Nam & pro Bis* (sic enim scribendum ibi ex Cicerone) *ponebatur, & pro dederis.*

Glossarium Fornerij castigatum

In, quae mihi olim ab CL. V. Gulielmo Fornerio I. C. Glossis; *Duilis* σχολὴ exponitur, legendum χολή: & *Duellus,*

καλὸς, apud Naevium: Facies virginis duellae. Vocem ultimam restituo Naevio in Danaë apud Nonium in Contemplo, qui sic, scio, scripsit:

Naevio apud Nonium medicina & adcretio

Contemplo placitai formam & faciem virginis
Duellai . . . .

Naevium & alios, qui istac voce usi, designat Quintilianus capite, quod dixi, IV. *Sed B quoque,* inquit, *in locum aliarum dedimus aliquando, unde Byrrhus & Bruges, & Balaena. Nec non eadem fecit ex duello bellum, unde Duellos quidam dicere Bellos ausi.* Quorum priora pressius alias, ne hic fiem prolixior, examinabo. Haec tanta inter *Du* & *B* adfinitas fecit, ut quae gens Priscis *Duilia*, posterioribus *Bilia* vel *Billia* fuerit appellata. Clare Cicero in Oratore: *Quid vero licentius, quam quod hominum etiam nomina contrahebant, quo essent aptiora? Nam ut* Duellum bellum; Duis bis: *sic* Duilium, *eum, qui Poenos classe devicit,* Bilium (sic lego) *nominaverunt, cum superiores appellati essent semper* Duilij. Confirmat Polybius, qui Duilium hunc nominat Βίλιον. Illud enim nomen reponendum transpositis syllabis, pro Λίβιος. Accedit & D. Hieronymus, qui libro I. contra Iovinianum, *Duilij* uxorem *Biliam* vocat. Ex quo Hieronymi loco ausim adfirmare, foeminas apud veteres Romanos maritorum nominibus usas, ut ab alijs facilius discernerentur, Cognominum vice. *Duilia* gens, quam praue *Duelliam* quidam nuncupant, satis nota: *Bilia*, quae eadem; non item. *P. Bilius* Triumvir nocturnus, quod vigilias negligentius circumisset, a P. Aquilio Tribuno plebis accusatus, populi iudicio concidit, apud Valerium Maximum libro VIII. capite I. Eiusdem gentis mentio in Inscriptione ulterioris Hispaniae, quam mihi inde reversus communicavit, harum rerum investigator diligens Petrus Scharlakius, qui non ita pridem abijt:

Quintiliano lux

Duilia gens eadem cum Bilia

Ciceroni levis medicina

Polybius castigatus

Feminas Maritorum nominibus olim usas timidius adfirmatum

Bilia gens

Q. BILLIO. Q. F. PAP
TAPPVLO
IIIIII. VIRO AVGVSTALI
ET. VERECONDAE. C. F
PARENTIBVS SOVIS
Q. BILLIVS Q. F. ET SABINA
L. L. M. M

Fugit haec diligentes manus & Martini SmetI & Iusti LipsI; ideoque lubens his notis adposui. Ecfossa est anno CIↃ IↃ XXCIV. in Lusitania. Fortassean autem M. Tullio male in oratione pro A. Cluentio Avito: *Atque etiam*, ait, *ut nobis renunciatur, hominem multorum hospitum A. Binnium quemdam, Coponem, de via Latina, subornatis. Binnij* apud Romanos nusquam noti. Restituendum nomen arbitror, & scribendum *A. Billium.* Quum vero B. & V. litterae saepe inter se commutarentur apud Veteres, ut *Atabus, Probincia, Vibus, Serbus*; unde & in Glossario Benedicti, *Bilis*, χολὴ μέλαινα, καὶ Εὐτελής, & similia; *Venemerenti, Placavile,* & alia id genus in antiquis marmoribus: non invitus inducor, quemadmodum *Bilia* vel *Billia* eadem cum *Duilia*, sic *Villiam* eamdem cum *Billia*. Facit *Billiorum* cognomen in Lapide iam posito, quod in *Villia* gente celebre. *P. Villius Tappulus,* AEdilis olim, Praetor anno ab V. C. IↃLI. & Consul triennio post, apud Livium lib. XXIX. & XXXII. *L. Villius Tappulus,* Praetor eodem anno, quo P. frater fortean eius, Consul, eodem Livij lib. XXXII

Cicero fortean emendatus

B & V saepe inter se commutatae

Locus in Gloss. inlustratus

Villia gens eadem cum Billia

Billiorum & Villiorum cognomen

AVDIRE I.

Haec ijsdem fere verbis Acron & Porphyrion ad illa Q. HoratI Flacci Sermonum lib. I. Satyra II. *Audire est operae precium*, & quae sequuntur: *Vrbane*, inquiunt, *abutitur Ennianis versibus:*

Audire est operae precium procedere recte,
Qui Rem Romanam Latiumque augescere voltis

Sed

Sed ille (Acron *illud) urbanius. quia* (Porphyr. *quod) quum Ennius,* voltis, *dixit, hic,* non vultis, *intulerit.* Acron triplici modo exponit ibi verba HoratI. Quid ſentiam? Semel dicam: Non temere Grammaticum hunc damnandum, ſed cum iudicio legendum. Multum enim nugarum ab alijs adſutum. Prius carmen citat etiam Marius Victorinus Grammaticus & Rhetor, quo loco agit de concurſu & conliſione vocalium. Sic enim inquit, non indicato tamen auctore: *Sed ut ad propoſitum revertamur; quidam ſuperioribus tribus quartam ſpeciem addiderunt, quam Graeci dicunt κρᾶσιν, id eſt, quum unius litterae vocalis in duas ſyllabas ſit communio, ut:*

De Acrone Horatij interprete obiter iudicatum

Audire eſt operae precium procedere recte.

Ennius docuit, quid ſcripturus; hic, artem ſequutus, Lectorem conciliare ſibi ſtudet benivolum; quaſi diceret: Sane attentas aures haec poſcunt, eorum praecipue, quibus cordi & curae Obſequens reip. Romanae Fortuna; quique, ut augeat & imperet late Latium, omnibus votis expetunt. Nobiliſſimae famae Ioſephus Scaliger putat haec alicuius eſſe, in Senatu verba habentis. Hieronymus Columna Neapolitanus, qui opulenta inſtructus omnis eruditionis ſuppellectile, anno CIↃ IↃ XC. cuncta EnnI fragmenta non edidit modo, ſed doctiſſimis annotationibus inluſtravit, refert haec (non male) ad Romulum: a quo exiſtimat his appellari de rep. Senatum, quum negata eſſent ab finitimis connubia, & cogitari de vi inferenda. Certe pertinent ad librum I. Sic enim in Gloſſario V. CL. Gulielmi FornerI: *Augeſco,* ἄυξω καμμιρον. *Ennius in primo, Quin Romanam Latinamque augeſcere voltis.* Adnotarat aliena manus *Linguam.* Emendo: *Augeſco,* ἄυξω κατὰ μικρὸν. *Ennius in primo:*

EnnI mens in hoc verſu

Ennius correctus in Gloſſario Fornerij

Quirem Romanam Latiumque augeſcere voltis

Cuius forte dictantis lingua *Linguam* iussit adscribi, Ennij mens non intellecta

Terentius Ennium imitatus

OPERAI PRECIUM 4.) An non imitatus Ennium Terentius in Andria Actus I. Scena III:

Audireque eorum est operaeprecium audaciam:

ubi interpres, sive is Donatus, sive Cornutus, vel Asper: *Operae precium*, notat, *dicitur de rebus mirificis & laudabilibus*. Mirifica sane, & quae laude atque imitatione digna occurrunt legentibus apud varios res ab Romanis varie gestas. *Operai* autem pro *Operae*. Antiquiores enim non *Ae* sed *Ai* scribebant. Vide praeter alios M. Fabium Quintilianum lib. I. Institut. Orator. cap. VII

Ai pro Ae apud veteres

PROCEDERE 4) Hac voce, eadem notione, utitur Terentius, qua dixi, Comoedia

QVEI REM 5.) Hunc versum usurpat & M. Terentius Varro Satyra, cui Testamentum περὶ διαθήκης, inscriptio, apud Nonium Marcellum in Nutritur; sed alio detorto sensu. Locum, ut legendus, adscribam, coniuncto, qui ex eadem Satyra apud Agellium lib. III. cap. XVII. *Natis*, ait, *quos Menippi haeresis nutricata est, Tutores do*

Varro apud Nonium correctus & conlectus

Queirem Romanam Latiumque augescere voltis.

Si quis mihi filius, unus aut plures in decem mensibus gignuntur, ij, si erunt ὄνοι λύρας, *exheredes sunto. Quod si quis undecimo mense,* κατ' Ἀριστοτέλην, *natus est, Accio idem, quod Titio, ius esto apud me.* Varronis prima capit, qui novit Menippi haeresin ibi appellari φιλαργυρίαν. Prosopopoeia Varronis ad eos, qui Privata publicis postponunt. Posterioribus lucem pete ab CL. V. Dionysio Gothofredo I. C. ad Novellae XXXIX. cap. II

Menippi haeresis

REM

REM ROMANAM 5.) Multi, quid *Res Romana*, multis dixerunt: ijs haec Iulij Rufiniani de Schemat. διανοίας addo, *Quale*, inquit, *forsitan Virgilianum illud possit videri:* Res Romana

Illum non populi fasces, nec purpura regum
Flexit, & infidos agitans discordia fratres,
Non res Romanae. perituraque regna . .

Nam, illum, sentit & dicit, Non res Romanae periturae & regna flexere. Verum per, res Romanae, latent (quid si *latenter?*) *Imperia dicta, sed regna vocat, tamquam non de Imperijs Romanis ista dicantur, sed de quibuslibet regnis.* Et hoc Coniectorum apud Attium in Bruto Iulius Rufinianus emendatus

. . . . . . nam quod ad dexteram
Coepit cursum ab laeva signum praepotens, polcerrume
Auguratum est, rem Romanam poblicam summam fore.

Adeundus M. Tullius libro 1. de Divinatione.

ADESTE 1.

Citat Servius ad Virgilium, corrupte & mutile: *Ad Musas quae pedibus pulsatis Olympum.* Ex *Ad*, feci, nulla licentia, *Adeste*; qua voce omissa, integer est apud Varronem libro VI. de Lingua Lat. Ennius apud Servium castigatus

Musae quae pedibus magnum pulsatis Olympum:

Coelum dicunt Graeci Olympum, montem eum in Macedonia omnes; a quo potius puto dictas Musas Olympiadas. Servius librum supprimit; Varro Auctorem, apud quem tamen quae praecedunt, quae sequuntur, facile convincunt esse Ennij. Ego ad librum 1. refero. *Poetae*, inquit Servius ad 1. Aeneidos, *in tris partes dividunt Carmen suum; Proponunt, Invocant, Narrant,* & cetera. Servat illa, & merito, Poetarum apud Latinos princeps. Propositio Ennij in primo versu, qui ex Calpurnio petitus. Invocatio duplex: hic Musarum, ut bene, credo, culte & polite; paullo post, Deorum Dearumque, Ennij Propositio Invocatio

Narratio

que, ut veritati conſentanee ſcribat. Narrationis initium in Verſu:

Quom veter occubuit Priamus ſub Marte Pelaſgo

Homerum imitatis Ennius

ADESTE 8.) Homerum exprimit, ut in multis noſter Poeta:

Ἔσπετε νῦν μοι μοῦσαι ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι.
Ὑμεῖς γὰρ θεαί ἐστε, πάρεστέ τε, ἴστε τε πάντα.

Et Heſiodus

quod imitatus Heſiodus in Theogonia:

Ταῦτά μοι ἔσπετε μοῦσαι ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι.

MVSAE 9.) In oculis fuit hic locus Varroni de re ruſtica lib.I. cap.I. Verba eius haec: *Et quoniam, (ut aiunt) Dei facientes adiuvant, prius invocabo eos: nec, ut Homerus & Ennius, Muſas, ſed XII. deos, conſentis. neque tamen eos urbanos, quorum imagines ad forum auratae ſtant, ſex mares & feminae totidem, ſed illos XII. deos, qui maxime agricolarum duces ſunt*

PEDIBVS 9.) Videnda quae notat Phoenix ille Galliarum in Conjectaneis ad M. Varronis librum de Lingua Lat. VI

Pulſare Olympum

POLSATIS 9.) DI Deaeque pedibus Olympi pulſant ſuperficiem; homines, quibus altior reliquis mens, eiuſdem convexa nomine & fama. Scite admodum M. Annaeus Lucanus ad Calpurnium Piſonem:

Ipſe per Auſonias Aeneia carmina genteis
Qui ſonat, ingenti qui nomine pulſat Olympum,
Moeoniumque ſenem Romano provocat ore

OLVMPVM 9.) Rationem huius ſcripturae reddam ad librum Annalium ſextum, XV.17

ET

ET QVAS COMMEMORANT 11.

Varro libro ſexto de Lingua Latina, ut vulgo legitur: *Cornua a curvore dicta, quod pleraque curvamus. At quas memorat noſſe vos eſſe Caſmenas. Caſmenarum priſcum vocabulum*, & cetera. Vetus a patre mihi codex: *Cornua a curuore dicta, quod pleraque curvamus: at quas memorant noſce nos eſſe. Caſmenarum.* Verborum prodigia. Magnus vir veriſſime: *Cornua a curvore dicta, quod pleraque curva.*

Ennius apud Varronem ingenioſiſſime emendatus

Muſas, quas memorant Caſmoenas eſſe . . .

Caſmoenarum priſcum vocab. Magni ducis indicem lubens in magnis tenebris, tam clara face praelata, ſequor; & quod ille feliciſſime Ennij carmen apud Varronem eruit, non incommode huic loco reſtituo? Omnino ſuperiori connectendum κατ’ ἀναφορὰν:

. . . . Adeſte
Muſai, quai pedibus magnum polſatis Olumpum,
Muſai, quas memorant Caſmenas eſſe . . .

Ennij duo fragmenta eleganter conjuncta.

Paullo ſequior de his tricis conjectura a me impreſſa: cujus caput, inſpectis jam ſummi viri Conjectaneis, *Muſai* decorarent, ſum paſſus, damnata in ejuſdem diminutionem voce tertia. Tanti eſt Clarorum virorum foetus conſulere

CASMOINAS 13.) Teſtatur diſertis verbis L. Calpurnius Piſo libro 1. de continentia veterum poetarum; pleroſque in Camenis pingendis quarto quintove loco vocalem ſimplicem notaſſe; unum Ennium quinto duplicem. Verba ſubobſcura. Mens Calpurnij illa, Pleroſque vel *Caſmenas* vel *Camenas*; ſolum Ennium *Caſmoenas* vel *Caſmoinas* ſcripſiſſe. De illa enim Bivocali Calpurnius exaudiendus. Quae praeſignis auctoris notata quamvis proba; probior tamen mihi & prior prior illa & ſimplex ſcriptura.

L. Calpurnio lux Camenae quomodo ſcriptae.

Camenis unde nomen

Servius tentatus

ſcriptura. Suadet etymon. *Camenae*, inquit Servius ad III. Virgilij Eclogam. *Muſae, quibus a cantu nomen eſt inditum.* Malim ſcripſiſſet *a carmine*. Sex. Pompeius Feſtus libro III. de verb. ſig. *Camenae Muſae a carminibus ſunt dictae, vel quod canunt antiquorum laudes, vel quod ſint caſtae mentis praeſides.*

Muſae canere dicútur illuſtrium virorum praeclara facinora

Canebant quidem Camenae Muſae inluſtria magnorum virorum facinora, Homerus VIIII. Odyſſ.

Αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος, καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἔντο,
Μοῦσ' ἄρ' ἀειδὸν ἀνῆκεν ἀειδέμεναι κλέα ἀνδρῶν

Muſae caſtae

Caſtae item erant, quod de illis ſcribit apud Diogenem Laërtium Plato:

Ἁ κύκρις μόυσαισι, κοράσια τὰν Ἀπροδίταν
Τιμᾶτ', ἢ τὸν ἔρον ἧμιν ἐφοπλίσομαι.
Χ' ἀι μοῦσαι ποτὶ Κύπριν Ἄρει τὰ ςώμυλα ταῦτα:
Ἡμῖν δ' ὀυ πέταται τοῦτο τὸ παιδάριον

Paulli Diaconi gloſſ. ad Feſtum

Camenae Muſae

Videntur tamen mihi poſteriora illa apud Paullum Diaconum ipſius Paulli verius, quam Feſti genium ſpirare. Recte autem utrobique *Camenae Muſae*, ut in Gloſſario I. Benedicti: *Camenae* μοῦσαι; & II. μοῦσα *Camena*. Quod igitur hodie *Carmen*; olim *Caſmen Caſmenis*, quod nos, *Carminis*.

E pro I

Saepe enim E apud veteres I loco fuit, teſte Quintiliano libro I. cap. IV. Inde *Caſmenae* & *Carmenae* olim, hodie *Camenae*

LVNAI. I

A. Perſius Flaccus Satyra VI:

Lunai portum eſt operae cognoſcere cives.
Cor iubet hoc EnnI, poſtquam deſtertuit eſſe
Maeonides, Quintus pavone ex Pythagoreo.

Ad quorum primum Anneius Cornutus, non mutilus ille, qui hodie pleris in manu, ſed qui locupletior ex M.S. apud CL. V. Bonaventuram Vulcanium, Graecarum litterarum in Academia Lugdunenſi Profeſſorem digniſſimum,

mum, sic scribit: *Hunc versum ad suum carmen de Ennij carminibus transtulit.* Quae totidem verbis in veteribus Glossis, quae nuper prodierunt magno reip. litterariae bono ex bibliotheca V.CL.Petri Pythoei, exstant. Pergit Cornutus: *Merito ergo ait:*

Cor iubet hoc EnnI, postquam destertuit esse

Sic enim ait Ennius in Annalium suorum principio: ubi se dicit vidisse in somnis Homerum, dicentem fuisse se quomdam pavonem, & ex eo translatam in se animam esse, secundum Pythagorae Philosophi diffinitionem, qui dicit animas humanas per παλιγγενεσίαν, *id est, per iteratam generationem exeuntes de corporibus in alia posse corpora transire. Ideo* Quintus *dixit, propter eam opinionem, quae dicit animam Pythagorae in Pavonem translatam, de Pavone vero ad Euphorbum, de Euphorbo ad Homerum, de Homero ad Ennium.* *Somnium EnnI* Idem ad eiusdem Satyrae initium: *Sed* inquit, *eum* (Caesium Bassum) *dicit Persius apud Liguriam fuisse in loco, ubi portus naturali flexu curvatus fluctus in se recipit, qui propter curvationem Portus Lunae vocatur.* Quibus ex M.S. addenda: *Cuius etiam meminit Ennius in principio Annalium suorum, hoc versu, quem etiam Persius carminibus suis iunxit, & refert ab Ennio ablatum, qui Ennius hoc scripsit, dum se somniasse in Parnasso dixisset, & visam Homeri animam secundum Pythagorae dogmata per aliorum corpora ad se venisse.* Et ad praefantis Persij illud; *Portus Lunae* *Cornutus auctior*

Nec in bicipiti somniasse Parnasso:

Parnassum, inquit, *montem Delphiorum dicit, qui habet cacumina duo: Nysam* (M. S. *Nison,* scribendum *Nisam*) *Libero sacrum, Cyrrham* (M.S. rectius *Cirrham*) *Apollini. unde Lucanus.* Quae sequuntur Lucani & alia addit M.S:

Cardine Parnaßos gemino petit aethera collo, *Iterum*
Mons Phoebo Bromioque sacer

Tangit autem Ennium, qui dicit se vidisse per somnium in Par-

nasso Homerum, sibi dicentem, quod eius anima in suo esset corpore. Refert etiam ad principium Annalium hoc somnium Porphyrion ad libri II. Horatij epistolam I

Advocatis igitur Musis, Ennius, ne quis miraretur se inter Latinos primum Heroice scribere, exponit somnium, quo commemorat, ut canit libro I. de natura rerum Lucretius, sibi exortam semper-florentis speciem Homeri, qui Heroici carminis pater nuperas illas ingenij vires & pronam in id genus carmen felicitatem in corpus suum transfundere per quietem videbatur.

Duplex EnnI somnium

Duplex autem indicat EnnI somnium Vir Nobilissimus Iosephus Scaliger in Conjectaneis ad Varronis librum IV. de Lingua Latina, quorum unum in Annalibus, alterum in Epicharmo:

Epicharmus EnnI

quod opus sic inscriptum ab poeta Pythagorico, cuius quaedam περὶ τῆς παλιγγενεσίας interpretatus est noster poeta. Si verum, duplex fuisse somnium (nam non lubens de somnijs cum tanto viro contenderim) certe quod in Annalibus, hic varie describitur, primum ab loco; deinde ab eo, qui visus, visique oratione; postremum ab fructu & efficacia. Ab loco dixi. Anno enim ab V. C. IƆLV. M. Porcius M. F. Cato, qui postea ab gravissima Censura, quam

Cato Graecis litteris ab Ennio institutus

cum L. Valerio Flacco egit anno ab V. C. IƆLXIX, Censorius fuit cognominatus, quum Praetor Sardiniam provinciam obtineret, reditum parans, Q. Ennium poetam, a quo Graecis litteris erat institutus. Romam inde secum deduxit,

Cato Ennium Romam ducit

quemadmodum testantur Livius libro XXXI. Plutarchus in eius vita, M. Tullius in Catone sive de Senectute, Auctor de Viris Illustribus cap. XLVII. Aemilius Probus in eius vita, & alij. Verisimile est autem Catonem, quum Romam rediret, ex Sardinia in Lunae portum, qui isti provinciae adversus & in conspectu, cum doctissimo comite trajecisse: Vbi quum Ennius se somno dedisset, visus est per quietem esse in Parnasso, compellari ab Homero poeta,

poeta, ſuam animam narrante per Pavonem in ſomniantis corpus migraſſe. Iſtius Somnij meminerunt praeter Cornutum (cuius ex tribus locis verba auctiora indicavi) non pauci. Varius omnino apud omnes Transformatorum ordo: Tertulliano libro de Reſurrectione Carnis hac ſerie recenſentur; *Euphorbus, Pythagoras, Homerus, Pavus, Ennius:* Cornuto, *Pythagoras, Pavo, Euphorbus, Homerus, Ennius:* Lactantio Placido ad v. Thebaidos Statij, *Euphorbus, Pythagoras, Pavo, Homerus, Ennius.* Variant, vide, & omnes faciunt Pythagoram Homero antiquiorem. Buttubata NaevI. Quid ad nos, qui in quos migrarint; certe ubique in ſomniculoſa hac animarum migratione Ennius eſt quintus: unde etiam Cornuti ſomnium, qui monet a Perſio recte ſcriptum:

Varietas in deſcribendo EnnI ſomnio mira

Tertullianus, Cornutus & Lactantius reprehenſi

Cornuti ſomnium de praenomine EnnI

Cor iubet hoc EnnI poſtquam deſtertuit eſſe
Moeonides, Quintus Pavone ex Pythagoreo

Atqui *Quintus* ibi non numeri vox, ſed praenomen EnnI. Citant PerſI illa & Priſcianus libro x. & Chariſius libro I. apud quem in libro, qui cum vetuſtiſſimo exemplari commiſſus ſervatur apud Nobiliſſimum virum Ianum Duzam, ſic legitur:

Pavus quum deſtitit eſſe
Moeonides, Quintus Pavone ex Pythagoreo

Perſius emendatus apud Soſipatrum

Vere & eleganter: facile ex *Pavos quum* factum *Poſtquam.* Mea mente mens illa PerſI, Ennium iubere, ut Annales lecturi ante cognoſcant Lunai portum, quum iam deſtiterat Homerus eſſe Pavus, Q. vero Ennius ex eodem Pavo, ſecundum Pythagorae diſciplinam, factus eſſet poeta, Homero ſimilis. Quanti autem apud Ennium fuerint precij ſomnia huiuſmodi Pythagorea, ipſe in Epicharmo videtur ceciniſſe. Horatius libro II. epiſtola I.

Perſius illuſtratus

Ennius parvi fecit παλιγγενεσίαν

Ennius & ſapiens & fortis & alter Homerus,
Ut Critici dicunt, leviter curare videtur,
Quo promiſſa cadant, & ſomnia Pythagorea

Videndi eo Acron & Porphyrion : quorum ille non uno loco inculcat Pythagorae animam in ſomnis veniſſe in corpus EnnI, nec tamen Ennium, qui arti poeticae erat addictior, Pythagorae philoſophiam fuiſſe ſequutum: fruſtra. Canit Horatius Ennium leviter curare ſomnia Pythagorea; non quod Pythagorae anima per quietem in ſuum corpus migraſſet, quod vult Acron, ſed quod ex ſententia ſomniaſſet Pythagorae : cuius inter alia apud Ovidium libro Metamorph. XV. haec:

Acron reprehenſus

O genus attonitum gelidae formidine mortis,
Quid Styga, quid tenebras, & nomina vana timetis,
Materiem vatum, falſique pericula mundi?
Corpora, ſive rogus flamma, ſeu tabe vetuſtas
Abſtulerit; mala poſſe pati non ulla putetis.
Morte carent animae: ſemperque priore relicta
Sede, novis domibus vivunt, habitantque receptae.
Ipſe ego (nam memini) Troiani tempore belli
Panthoides Euphorbus eram : cui pectore quomdam
Haeſit in adverſo gravis haſta minoris Atridae.
Cognovi clypeum laevae geſtamina noſtrae
Nuper Abanteis templo Iunonis in Argis.
Omnia mutantur; nihil interit: errat & illinc
Huc venit, hinc illuc, & quoſlibet occupat artus
Spiritus: eque feris humana in corpora tranſit,
Inque feras noſter, nec tempore deperit ullo

Pythagorae παλιγγενεσία

Et

Et quae ibi ſequuntur. Hoc Pythagorae dogma deſcribunt, praeter Ovidium, Plutarchus, Diogenes Laertius, Lactantius Firmianus lib. III. de falſa ſapientia, Servius ad III. AEneidos, alij

[Lunae portus] LVNAI 15.) Vnde huic portui id nomen, indicavit iam Cornutus ad Satyrae PerſI VI. initium, quod eo loco naturali flexu curvatus fluctus in ſe reciperet. Graeci vocant Σελήνης λιμένα, καὶ πόλιν, apud Strabonem libro V. Geograph. qui & de Urbe & de Portu haec ſubiungit: ἡ μὲν πόλις οὐ μεγάλη. ὁ δὲ λιμὴν, μέγιςός τε καὶ κάλλιςος, ἐν αὐτῷ περιέχων πλείους λιμένας, ἐγχιβαθεῖς πάντας, οἷον ἂν γένοιτο τὸ ὁρμητήριον θαλαττοκρατησάντων ἀνθρώπων, τοσαύτης μὲν θαλάττης, τοσοῦτον δὲ χρόνον, περικλείεται δὲ ὁ λιμὴν ὄρεσιν ὑψηλοῖς, ἀφ' ὧν τὰ πελάγη κατοπτεύεται, καὶ ἡ Σαρδὼν, καὶ τῆς ἠιόνος ἑκατέρωθεν πολὺ μέρος. Plinius etiam lib. III. Natur. Hiſtor. cap. V. Lunam primum Etruriae opidum nominat, portu nobile: habere autem inter alias eius regionis urbes nobiliſſima vina, idem docet libri XIII. cap. V. Meminit & Lunae Pomponius Mela in Italiae deſcriptione. *[Etruriae longitudo]* Ab hoc portu ad Oſtia uſque Tiberis metiebantur veteres per littus maximam Etruriae longitudinem, quae erat διςχιλίων καὶ πεντακοσίων ςαδίων, ut ibidem notat Strabo. *[Cariara]* Quod *Cariara* quondam ab Etruſcis dicta haec urbs, probare nituntur, quae Catonis nomine circumferuntur, fragmenta de Originibus, ubi *[Ioannes Viterbenſis]* Ioannes Viterbenſis, vir ingenio maximus, ſed; nihil addam; oſtendit *Car,* teſte Hieronymo, urbem eſſe; & *Iaram,* Lunam

VEISVS I

M. Tullius Academicarum quaeſtionum lib. IV. qui inſcribitur Lucullus: *Eadem ratio eſt,* inquit, *ſomniorum. num cenſes Ennium, quum in hortis cum Ser. Galba vicino ſuo ambulaſſet dixiſſe,* viſus ſum mihi cum Galba ambulare. *At quum ſomniavit, ita narravit:*

VIſus

VIſus Homerus adeſſe poeta.

Idemque in Epicharmo;

Nam videbar ſomniare ego med eſſe mortuum.

Vnum EnnI ſomnium

Itaque ſimul experrecti ſumus, viſa illa contemnimus; neque ita habemus, ut ea, quae in foro geſſimus. Suadet hic Cicero, ut utrumque locum de uno Somnio capiendum exiſtimem, quod tamen bis ab Ennio deſcriptum, & in Annalibus & in Epicharmo, pace hoc dixerim maximi viri. Ibidem: *Ea ſunt eiuſmodi, quae a te diligentiſſime tractata ſunt. Dormientium & vinolentorum & furioſorum viſa imbecilliora eſſe dicebas, quam vigilantium, ſiccorum, ſanorum: quo modo? quia quum experrectus eſſet Ennius, non diceret ſe vidiſſe Homerum, ſed viſum eſſe.* Neſcio an huc pertineat idem libro II. de Divinatione: *Aliquot ſomnia vera, inquit Ennius, ſed omnia non eſt neceſſe. Quae tandem iſta diſtinctio, quae vera, quae falſa habet? & ſi vera a Deo mittuntur, falſa unde naſcuntur?* Deſunt fortean hujus verſus principio, quae apud Virgilium lib. II: AEneid.

Ennius apud Ciceronem ſuppletus

In ſomnis ecce ante oculos moeſtiſſimus Hector
Viſus adeſſe mihi.

Nam totus ille Virgilij locus ex libro Annalium primo eſt ſumtus & fere ad verbum transſcriptus. Fortaſſis integer EnnI verſus:

In ſomneis mihi veiſus Homerus adeſſe poeta

Confirmant, quae apud Cornutum ad Satyram VI. nam inter alia: *Sic enim ait Ennius in Annalium ſuorum principio, ubi ſe dicit vidiſſe* in ſomnis *Homerum dicentem*, & cetera

VEISVS 18.) Virgil. II. AEneid. *Viſus adeſſe.* ubi Servius: *Bene, viſus*, inquit, *quia Somnia videntur tantum, non ſunt naturaliter vera.* & Donatus, vel ejus nomine quis alius: *Virgilius tractat non veras*, ait, *ſed veriſimiles imagines videri, quum aliquae dormientibus offeruntur*

HOME-

HOMERVS 18.) M.Tullius in Somno Scipionis: *Hic mihi (credo equidem ex hoc, quod eramus loquuti: fit enim fere, ut cogitationes ſermoneſque noſtri pariant aliquid in ſomno tale, quale de Homero ſcribit Ennius, de quo videlicet ſaepiſsime vigilans ſolebat cogitare & loqui) Africanus ſe oſtendit.* Ennius autem eum, cuius anima per Pavonem in ſuum corpus migrarat, ſtudioſiſſime eſt imitatus. Docent hoc alij. Hinc Cicero libro 1.de finibus bonor.& malor. *Locos quidem quoſdam, ſi videbitur, transferam, & maxime ab ijs, quos modo nominavi, quum inciderit, ut id apte fieri poſſit, ut ab Homero Ennius, Afranius a Menandro ſolet*

Ennius Homerum imitatus

Menandrum Afranius

HEI MIHI I

AEneas apud Virgilium II. Aeneidos in ſomnis ſqualentem & moeſtiſſimum Hectorem videns,

Hei mihi, exclamat,

qualis erat, quantum mutatus ab illo!

ubi Servius hunc EnnI eſſe verſum notat. Quod Ennio in Aeneae ſomnio deſcribendo Virgilius ſubripuit, hoc loco reponendum cenſui. Quo pertineat? Conquerebatur ſpectrum illud ex Acherunte profectum & Homeri ſpeciem indutum, ſe in Pavonem damnatum, quod lib. de anima indicat Tertullianus, ubi diſputat adverſus Pythagorae & Empedoclis opiniones de Metempſychoſi & Metenſomatoſi: *Nimirum*, ait, *magna merces bonis in animalia quaeque reſtitui. Pavum ſe meminit Homerus, Ennio ſomniante: ſed poetis nec vigilantibus credam, & ſi pulcerrimus pavus, & quo velit colore cultiſsimus, ſed tacent pinnae, ſed diſplicet vox. Et poetae nihil aliud, quam cantare malunt. Damnatus eſt igitur Homerus in pavum, non honoratus.* Et poſt pauca, ubi refutat opinionem Simonis haeretici: *Sed neceſſarie*, inquit, *hanc quoque ſpeciem intulimus & excluſimus, ut ſuperioribus cohaerentem, quo perinde in pavone tunderetur Homerus, ſicut in Py-*

Homeri ſpectrum apud Ennium per quietem queribundum

Et Lacrumans

thagora Euphorbus. Nec conquerebatur solum, sed & lacrumas effundebat salsas. Lucretius lib. I. de rer. natura:

Et si praeterea tamen esse Acherusia templa
Ennius aeterneis exponit vorsibus edens,
Quo neque permanent animae, neque corpora nostra;
Sed quaedam simulacra modeis pallentia mireis
Vnde sibi exortam semper-florentis Homeri
Commemorat speciem, lacrumas ecfundere salsas
Coepisse, & rerum naturam expandere dicteis

Lucretius Ennium transscribit

Quorum potiorem proculdubio partem mutuatus ille ex primo EnnI libro. Quod Lucretio, *lacrumas ecfundere salsas*; Virgilio, quo dixi loco, *largosque effundere fletus*. Alterutrum EnnI, & magis puto quod apud Lucretium: id autem paullo ornatius apud Virgilium, nescio an efficacius.

Lucretius apud Donatum emendatus

Obiter addo LucretI illa, *Semper-florentis Homeri* laudari ab interprete TerentI Andr. Act. I. Scena II. ubi tamen male *Honoris*. M. S. qui apud CL. V. Rodolphum Snellium, praeceptorem olim meum, *Homeri* legit, recte

Septingentei I

Apud M. Terentium Varronem de re rustica libro III. cap. I. est hic versus, alij, quem alio ex loco petijt idem, praemissus: *Etenim*, inquit, *vetustissimum opidum quum sit traditum Graecum, Boeotiae Thebae, quod rex Ogyges aedificarit: in agro Romano Roma, quam Romulus rex. Nam in hoc nunc denique est, ut dici possit, non quum Ennius scripsit:*

Septingentei sunt paullo plus vel minus anni,
Augusto augurio postquam incluta condita Roma'st.

Ennius vindicatus ab nonnullorum calumnijs

Temporum rationem ignorat, qui conjunctos opinatur ab Ennio: quem tam immensum aberrasse ab annorum notatione, qui credam? Ennius non septingentesimo ab V.C.

V. C. ſed quingenteſimo fere & ſexageſimo anno floruit, & Annales ſcripſit. Concinnati optime Varronis aevo quadrant, qui circa ſeptingenteſimum Vrbis annum libros ſcripſit de re ruſtica; hoc Centone notavit Enniano. Prior igitur (de poſteriore in ſequentibus) vere mihi huic loco debetur. Sic adfari meo judicio coepit Ennium Homerus: Septingentos eſſe plus minus annos, quum anima ſua ex corpore humano migraret in Pavonem. Sane tot circiter anni inter abeuntem ſunt ex rebus humanis Homerum & Ennium ſomniantem. Floruit enim Homerus anno ANT. V. C. CLX. imperante Albanis Agrippa Sylvio: ſomniavit autem Ennius, ut paullo ante dixi, anno AB V. C. IↃLV. qui additi totum efficiunt, annos ſeptingentos, & qui pauci excurrunt. Non diſſimulabo tamen ſcrupulum, quem injiciunt mihi voces, *nunc denique*, apud Varronem. Et ſcio non ſemper ad veritatis normam dirigenda eſſe poetarum carmina. Certe Ioſephus Scaliger, vir admirandae doctrinae, locum Varronis attentius perpendendum ad me ſcripſit; & Varroni ſine dubio viſum, Ennium putaſſe tot annos ab Vrbis conditione ad ſua tempora fluxiſſe

QVOM MEMINEI I

Interpres Terentij tribus locis, corrupte admodum. Andria, Actus II. Scena V: *Ennius tribus locis apud Donatum purgatus.*

Ego illam vidi virginem: forma bona
Memini videre,

ubi ille; quiſquis ſit: *Memini videre; Aut memor ſum me vidiſſe. Aut memini videre, hoc eſt intelligo, ſcio: Memini quod viderim. Memini videre pro vidiſſe. Ennius: Memini me tum fieri pavidum. Alibi ſic: Memini videre, non probare.* Manuſcriptus, qui apud eruditum virum Snellium *quum* legit pro *tum*. Adelphis, Actus I. Scena II:

Injurium est. nam si esset unde id fieret,
Faceremus

Donatus notatus

Fieret, inquit Interpres, *producta prima syllaba. Ennius: Minime nomine fieri pravum.* Cui bono advocet ibi Ennium, non video: an ut doceat primam τȣ̃ *Fieri* & apud poetam nostrum productam? Nugae. Phormione Actus I. Scena III:

Memini relinqui me, deo irato meo

Domino, adscribit ille, *dixit, an vero deo? Et bene meo; ne esset* ἀμφίβολον. *Et sic dixit, Memini relinqui, ut in Andria: Memini me videre; Et, Memini me fieri parum. Ennius:* Emendandum ex locorum omnium collatione:

Quom meminI fierI me pavom

Propius accedit Sosipater Charisius lib. I. Instit. Grammat. *Et ut Pavus & Pavo*, inquit, *Ennius: Memini me fieri pavum.* Addit; *Persius ait*; ut vetus exemplar;

pavos quum destitit esse
Moeonides, Quintus pavone ex Pythagoreo

Huc obiter repetenda illa Tertulliani lib. de anima: *Pavum se meminit Homerus, Ennio somniante.* Et: *Damnatus est Homerus in Pavum, non honoratus.* Item: *In pavone tunderetur Homerus, sicut in Pythagora Euphorbus.* Sic igitur per μετεμψύχωσιν illam factus est (esto enim) Ennius apud Latinos, quod Homerus ante septingentos annos, & quod excurrit, fuerat apud Graecos; prodijt, inquam, repente, ut adludit Persius in Scazonte, poeta Heroicus; prodijt & sapiens, quod canit Horatius, & fortis & alter Homerus

SCRIPSERE I

Haec cum apud alios, tum varijs locis apud M. Tullium: qui in Bruto seu de Claris Oratoribus: *Sed ipse*, Ennium designans, *dicit, cur id faciat,*

Scripsere,

. . . *Scripſere, inquit, alij rem*
Verſibus . . . .

& luculente quidem ſcripſerunt, etiamſi minus, quam tu, polite. In Oratore: *Nec vero reprehenderim,*

. . . . . *Scripſere alij rem:*

& ſcripſerunt *eſſe verius ſentio: ſed conſuetudini auribus indulgenti libenter obſequor.* De Divinatione libro I: *Eodem enim modo multa a vaticinantibus ſaepe praedicta ſunt, neque ſolum verbis, ſed etiam*

Verſibu', quos olim Fauni vateſque canebant

Similiter Marcius & Publicius vates ceciniſſe dicuntur. M. Terentius Varro libro VI. de L. L:

Verſus, quos olim Fauni vateſque canebant

Fauni Dei Latinorum, ita ut Faunus & Fauna ſint in verſibus, quos vocant Saturnios, & cetera. Legendum hic cum alijs, *Verſibu', quos.* Origo gentis Romanae, quam nonnulli Sex. Aurelio Victori attribuunt: *Sed urbem Saturnus, quum in Italiam veniſſet, condidiſſe traditur. Eius rei Ennius teſtis eſt, quum ait:*

Varro leviſſime correctus

Verſibu', quos olim Fauni vateſque canebant.

Hunc Faunum plerique, eumdem Silvanum, a ſilvis; Inuum deum; quidam etiam Pana vel Pan eſſe dixerunt. Non video quid velit auctor, quiſquis ſit. Certe Ennius non teſtatur eo verſu, urbem ab Saturno, quamquam id hiſtoriae loquuntur, in Italia conditam. M. Fabius Quintilianus lib. IX. Inſtit. Orat. cap. IV. *Neque vero tam ſint intuendi pedes, quam univerſa comprehenſio: ut verſum facientes totum illum decurſum, non ſex vel quinque partes, ex quibus conſtat verſus, adſpiciunt. Ante enim carmen ortum eſt, quam obſervatio carminis. Indeque illud:*

Auctor de Origine gentis Romanae reprehenſus

Verſibu', quos olim Fauni, vateſque canebant

 Iterum

Iterum M. Tullius in Bruto: *Quid nostri veteres versus ubi sunt?*

. . . . . quos olim Fauni, vatesque canebant,
Quom neque Musarum scopulos quisquam superarat,
Nec dicti studiosus erat . . . . . ante hunc

Ciceroni distinctio adhibita

Ait ipse de se: nec mentitur in gloriando. sic enim sese res habet. Ita illa collocanda, & EnnI ab Ciceronis verbis separanda censeo: ut & in Oratore: *Ergo Ennio licuit vetera contemnenti dicere,*

Versibu', quos olim Fauni, vatesque canebant,

mihi de antiquis eodem modo non licebit? praesertim quum dicturus non sim,

. . . . Ante hunc

ut ille: nec quae sequuntur;

Nos ausi reserare . . . . .

legi enim, audivique nonnullos, quorum propemodum absolute concluderetur oratio. Haec illi: alios praetereo. Scribendum omnia & connectendum, ut expressi. Ennius iam poeta factus heroicus, imo alter Homerus, videtur polliceri se excelsa & heroica scribendi industria superaturum omnes retro Latinos poetas; quibuscum se committit. In primis autem tacito scommate percellit Naevium, qui bellum Punicum I. scripsit Saturnio versu. Eleganter M. Tullius in Bruto, cuius verba, quod Naevium laudent & excusent, Ennium etiam inlustrent, digna adscribi: *Atque utinam exstarent,* inquit, *illa carmina* (huiusmodi antiquorum Carminum mentio apud Suetonium lib. de inlustribus Grammat. ubi de Cratete Mallote, qui primus in Urbe Grammaticus) *quae multis saeculis ante suam aetatem in epulis esse cantitata a singulis convivis de clarorum virorum laudibus in Originibus scriptum reliquit Cato:* (legendus & Cicero lib. I. & IIII. Tusculan.

Naevius ab Ennio tacite taxatus

Carmina antiqua de clarorum virorum laudibus

Catonis Origines

Tuſculan. Diſputat.) *tamen illius, quem in Faunis & vatibus enumerat Ennius, bellum Punicum quaſi Myronis opus, delectat.* Naevi opus de bello Punico I *Sit Ennius ſane, ut eſt certe, perfectior: qui ſi illum, ut ſimulat, contemneret, non omnia bella perſequens, primum illud Punicum, acerrimum bellum reliquiſſet. Sed ipſe dicit quur id faciat,*

. . . ſcripſere, inquit, alij rem
Verſibus . . . . . .

& luculente quidem ſcripſerunt, etiam ſi minus, quam tu polite. Nec vero tibi aliter videri debet, qui a Naevio vel ſumſiſti multa, ſi fateris: vel, ſi negas, ſubripuiſti. Quid de hoc Ciceronis loco ſentiam, an probari inde poſſit bellum Punicum I. ab Ennio non fuiſſe deſcriptum, dicam alias

REM 30.) Romanam intelligit. Sic alibi: Res

Unus homo nobis cunctando reſtituit Rem.

Eleganter Auſonius:

Imperium, Litem, Venerem quur una notat Res

Cicero tamen (expendantur enim eius verba) per vocem Ciceroni lux hanc Ennianam exaudiamus videtur velle bellum Punicum I. Cauſſa enim ibi, quam ob poeta noſter non omnibus ſuis coloribus illud, quod alioqui acerrimum, depinxerit: ante ejus ſcilicet tempora alij Rem ſcripſerant. Hinc, quod verear, ne aliquot, quae hoc loco, fragmenta collocanda ſint initio lib. VII. ut ijs quaſi excuſet ſe poeta, quod parcius de bello dixerit, plenius ab alijs iam deſcripto

VORSIBV') Quintilianus libri I. cap. VII. *Quid dicam* O pro E Vortices & Vorſus, *ceteraque ad eumdem modum: quae primo Scipio Africanus in E litteram ſecundam vertiſſe dicitur?* Quem ſequitur Victorinus de Orthographia, *Voſter, vortit & ſimilia,* inquit, *per* E *non per* O *ſcribere debemus* Scipionis Africani Orthographia

VORSIBV') Semel dicam, antiquam hanc eſſe ſcribendi

bendi consuetudinem. Cicero in Oratore: *Quinetiam*, ait, *quod iam subrusticum videtur, olim autem politius, eorum verborum, quorum eaedem erant postremae duae litterae, quae sunt in* Optumus *postremam litteram detrahebant, nisi vocalis insequebatur. Ita non erat ea offensio in versibus, quam nunc fugiunt poetae novi. Ita enim loquebamur:*

. . . . Qui est omnibu' princeps,

non, omnibus princeps: &,

. . . . Vita illa dignu' locoque,

non, dignus. Ab eadem mente, obscurius tamen, Marius Victorinus de ratione Metrorum, ubi de Liquentibus litteris, *Sunt autem*, inquit, *duplicis potentiae. Nam longam syllabam positione facere possunt, si ita poeta voluerit, & brevem non producunt. Quod dico hujusmodi est exemplum, ut hic LucretI versus*; lib. I.

Nam fuerant iuvenes subito ex infantibus parvis,

Sic habetur, quasi diceret, ex infantibu' parvis, *subtracta* S *littera. Hic enim S littera interit. Ennius quoque ait:*

. . . . . Vita illa dignus locoque,

quasi dixerit,

. . . . . Vita illa dignu' locoque

Similiter Lucilius:

Tum lateralis dolor certissumus nuncius mortis,

Pro:

Tum laterali' dolor certissumu' nunciu' mortis

Sic habetur, quasi subtractis S *litteris*, & cetera. Quam varie

S.extritum

autem S littera apud veteres poetas fuerit extrita, non hic docebo; paucis illud, at solide, aperit V.CL. Obertus Gifanius I.C. ad Lucretium

REM VORSIBV' 30.) De Poetis, qui res gestas versibus

sibus describunt, eleganter auctor elegans Petronius Arbiter V. Cos. M. Annaeo Lucano, qui funestissimum illud inter Cn. Pompeium Magnum & C. Iulium Caesarem bellum descripsit, σύγχρονος, in Satyrico: *Ecce belli civilis ingens opus quisquis attigerit, nisi plenus litteris, sub onere labetur,* inquit. *Non enim res gestae versibus comprehendendae sunt, quod longe melius Historici faciunt quam Poetae: sed per ambages Deorumque ministeria & fabulosum sententiarum tormentum praecipitandus est liber spiritus, ut potius furentis animi vaticinatio appareat, quam religiosae orationis sub testibus fides*

Petronius Arbiter σύγχρονος Lucano

Tacitum scomma in Lucanum

QVOS OLIM 31.) Quod Carminis genus Romanis in usu vetustissimis temporibus fuerit, non admodum certum. Difficile est dicere de Saliorum versibus, quorum frequens apud Scriptores mentio; quales *Ianualij*, *Iunonij*, *Minervij*, *Axamenta*, ut eos cum distinctione nominat Paullus Diaconus ex Pompei Festi libro I. Iis inserebant Salij nomina eorum, quos eximio aliquo honore volebant adfectos; quod contigit *Mamurio Veturio*, apud Varronem libro V. de L.L. Ovidium lib. III. Fastor. Plutarchum in Numae vita, & Festum libro XI. *Luciae Volumniae*, apud eumdem Varronem libro VIII. de L.L. *Germanico*, Drusi Neronis Germanici ex Antonia minore F. apud Cornelium Tacitum libro II. Annal. *Vero Antonino*, apud Iulium Capitol. in M. Antonini Philosophi vita; & alijs proculdubio, qui ignorantur. Vocum, quibus usi, relliquiae apud varios. Varroni recensentur libro IV. de L.L. *Inficia*, ab eo, quod insecta caro: libro V. *Agonia*, Liberalia (quo vide & Macrobium lib. I. Sat. cap. IIII.) & libro VI. *Cosauli, Dolosi, Eso. Omnia vero adpatula coemisse. Iam Cusiatij, Muses, Ruse, Dumque Ianus venet: post, Melios, melior; Foedesum, foederum; Plusima, plurima; Asena, arena; Ianitos, janitor.* Quorum prima fere, qui pacto, monente V.N. Iosepho Scaligero, legenda,

Saliorum versus Ianualij Iunonij Minervij Axamenta

Benemeritorum nomina in Saliorum carminibus

Vocum, quae olim in Saliorum versibus, catalogus

Varro auctus & emendatus

dixi ad vocem *Duellum*, I. 2. Extrema utrimque in vetuſtiſſimo apud me Codice concepta auctius & emendatius: *Orculo, Doloſi, Eſo, pro oſculo, dolori, ero. Omnia vero*: ut paullo ante; deinde; *poſt Melios, melior; Foedeſum, foederum; Pluſima, plurima; Melioſem, meliorem; Aſenam, arenam; Ianitos, janitor.*

Diſceſſum modeſte a magni viri Conjectura

Magnus vir docet primam illam vocem *Caeſuli* legendam pro *Caeruli*; vel *Coſaullae*, pro *Corollae*: Dubitat tamen: merito. His, paucis interjectis, ſubnectit Saliare hoc carmen Varro:

Divom exta cante, Divom Deo ſupplice cante

Paullus Diaconus ex Feſti mente correctus

pro canite. Ejus vocis veſtigium video apud Paullum Diaconum; *Canta pro cantata ponebant*: ſcripſerat, ſcio, Feſtus, *Cante pro cantate.* Locum Varronis, vel hoc idem carmen legerat Macrobius libro I. Saturnal. cap. IX. ubi de Iano. *Saliorum quoque antiquiſſimis carminibus*, inquit, *Deorum Deus canitur*: legendum fortaſſis *Divom Deus.*

Macrobius forte emendatus

Eidem Varroni lib. VIII. nominatur *Mania*, mater Larum. Varroni, modo bene illi, ſuffragatur Macrobius libro I. Saturnal. cap. VII. *Hic Albinus Cecinna ſubjecit. Qualem nunc permutationem ſacrificij, Praetextate, memoraſti; invenio poſtea Compitalibus celebratam, quum ludi per urbem in compitis agitabantur, reſtituti ſcilicet a Tarquinio Superbo Laribus ac Maniae ex reſponſo Apollinis, quo praeceptum eſt, ut, pro capitibus, capitibus ſupplicaretur. Idque aliquamdiu obſervatum, ut pro familiarum ſoſpitate pueri mactarentur Maniae Deae, matri Larium.* Apud quem niſi illa exſtarent,

Dubitatum de Varronis ſcriptura

putarem (nec omnino cedo) Varronem *Maniam*, non matrem *Larum*, ſed *Larvarum* vocaſſe. Firmaſſet meam mihi facile mentem Feſtus libro XI. ab antiquo meo codice paullo caſtigatior:

Feſtus caſtigatior

Manias AElius Stilo dici ait, ficta quaedam ex farina in hominum figuras, quia turpes fiant, quas alij Maniolas appellant. Manias autem, quas nutrices minitantur pueris parvis eſſe Larvas, id eſt Manes, quos Deos Deaſque putabant, quoſque

quosque ab inferis ad superos emanare credebant. Sunt qui Maniam Larvarum matrem aviamve putant. Stabilivisset etiam nullo negocio meam conjecturam Ovidius, qui *Larum* matrem non *Maniam*, sed *Laram* indicat, II. Fastorum, ubi ille:

Forte fuit Nais Lara nomine: prima sed illi
Dicta bis antiquum syllaba nomen erat;

Et, commemorata ducendae Iovis iussu ad manes nymphae caussa, ex Mercurio

Fitque gravis, geminosque parit, qui compita servant:
Et vigilant nostra semper in aede Lares

Laram nominat: quam Sabinae originis cum alijs DIs Deabus & Varro de L.L. lib. IV. *Feronia, Minerva, Novemsiles a Sabineis: paullo aliter ab ijsdem dicimus Laram, Vestam, Salutem, Fortem Fortunam, Fidem.* Eadem paullo post Varroni *Larunda: Nam, ut Annales dicunt, vovit,* (loquitur de T. Tatio Sabinorum rege) *Opi, Floraeque, Dijovi, Saturnoque, Soli, Lunaeque, Volcano, Summanoque; itemque Larundae, Termino, Quirino, Vortumno, Laribus, Dianae, Cloacinaeque:* quod *Larum* matri nomen etiam apud Ausonium in Monosyllab.

Nec cultor nemorum reticebere, Maenalide Pan;
Nec genius domuum, Larunda progenitus Lar

Idem, & tertium illi apud Lactantium lib. de falsa relig. I. cap. XX. *Quis, quum audiat Deam Mutam, tenere risum queat? Hanc esse dicunt, ex qua sint nati Lares: & ipsam Laram nominant, vel Larundam. Quid praestare colenti potest, quae loqui non potest?* Nusquam ecce *Larum* mater *Mania*, quam apud Macrobium, ubi non esset, si forte voces, *matri Larium*, ut quae ex margine in textum inrepserunt, expungerentur: & Varronem, qui, quod dixi, mihi videtur in vitio, eoque tam inveterato, ut etiam Arnobius ab eius sententia scripserit

Glossema fortean in Macrobio

Inveteratum in Varrone forte vitium

pserit libro III. adversus gentes: *Possumus, si videtur, summatim aliquid & de Laribus dicere, quos arbitratur vulgus vicorum atque itinerum Deos esse, ex eo quod Graeci vicos cognominant* λαύρας. *In diversis Nigidius scriptis* (intelligit praecipue P. NigidI Figuli libros de DIs) *modo tectorum domuumque custodes, modo Curetas illos, qui occultasse perhibentur aeribus Iovis aliquando vagitum, indigetes Samothracios, quos quinque indicant Graeci, Idaeos Dactylos nuncupari: Varro similiter haesitans nunc esse illos manes, & ideo Maniam matrem esse cognominatam Larum; nunc aerios rursus Deos & heroas pronunciat appellari.*

Conciliatio auctorum quorumdam inter se pugnantium

Gloss. apud Arnobium

Quibus inlustrandis, adeundus Strabo Geographiae libro X. ubi de Idaeis Dactylis non pauca notatu digna. Sed omnia facile conciliari possent, si verum, quod ex Varrone praecedentibus adnectit Arnobius: *Nunc antiquorum sententias sequens, Larvas esse dicit Lares, quasi quosdam genios defunctorum*: ceteras ibi voces *animas mortuorum*, non addo; nam recte suspicatur V. CL. Theodorus Canterus, ob eruditionem maximam maximi faciendus, illas glossema sapere eorum, quae praecedunt: si, inquam, *Lares* ijdem cum *Larvis*, quod vult etiam, cum discrimine tamen, L. Apuleius de Deo Socratis: *Ex hisce ergo Lemuribus, qui posteriorum suorum curam sortitus, pacato & quieto numine domum possidet, Lar dicitur familiaris: qui vero propter adversa vitae merita, nullis bonis sedibus in terra vagatione, ceu quodam exsilio punitur, inane terriculamentum bonis hominibus, ceterum noxium malis; hunc plerique Larvam perhibent. Quum vero incertum est, quae cuique eorum sortitio evenerit, utrum Lar sit an Larva, nomine Manium Deum nuncupant, & honoris gratia Dei vocabulum additum est.* Sed Larvas tandem faciamus missas. Apud Festum etiam non paucae Saliares voces, libro XI. *Manuos*, bonos; *Cerusmanus*, creator bonus, (vide & fol. LVIII. 14.) *Molucrum*, quod sub mola ponitur: libro XIIII; *Pa*, parte; *Po*, populo; *Pennas impennatasque agnas*, spicas cum aristis;

Agnas

Agnas novas, ſpicas ſine ariſtis; *Peſcia*, ex pellibus agninis facta; *Pilomnoe poploe*, Romani, pilis uti adſueti, vel quia praecipue pellant hoſtes; *Praeceptat*, ſaepe praecipit; *Promenervat*, promonet: libro XVI. *Redandruare*, motus referre; (ut apud Paullum Diaconum libro I. *Andruare*, currere) libro denique XVII. *Saturnus*. Quintilianus libro I. cap. VI. quatuor laudat: Primam *Topper*, (quam in antiquiſſimis ſcriptis, celeriter ac mature, ſignificare notat Feſtus lib. XVIII.) Secundam *Exanclare* (quae exhaurire Paullo Diacono ad Feſtum, & Nonio: Gloſſario Exanclat, ἐξαντλεῖ, δαπανῇ, ἀρύεται.) Tertiam *Antigerio*: quam vocem antiqui, teſte Paullo Diacono ex Feſto, pro valde dixerunt. De qua idem Quintilianus lib. VIII. cap. III. *Quid neceſſe eſt dicere oppido, quo ſunt uſi paullum tempore noſtro ſuperiores? Vereor ut iam non ferat quiſquam: certe Antigerio, cuius eadem ſignificatio eſt, nemo, niſi ambitioſus, utetur.* In Gloſſario eſt: *Antegerio*, πρόλημμα, νίκη. αντιοιρασιο. Πρόλημμα, νίκη. Lego; *Antegerio*, πρόλημμα, νίκη. *Anticipatio*, πρόληψις δίκης. Quod moneo, ne cui vocum ſimilitudo imponat, quamquam poſterior mihi ſuſpectior: *Anticeſſum*, ibidem etiam πρόλημμα exponitur. Quartam denique *Proſapia*: quod verbum vetus agnoſcit etiam M. Tullius in Timaeo ſeu de Univerſo: *Sic igitur*, inquit, *ut ab his eſt traditum, horum Deorum ortus habeatur, atque dicatur, ut Oceanum Salaciamque Coeli ſatu Terraeque conceptu generatos editoſque memoremus: ex his Phorcyn, Saturnum & Opem: deinceps Iovem atque Iunonem, reliquos, quos fratres agnatoſque uſurpare atque appellare videmus, & eorum; ut utamur veteri verbo, proſapiam.* Vetus verbum appellat, quod Saliorum. Antiquitatem commendat Etymon, quod varium. *Proſapia* Feſto lib. XIV. *progenies eſt a porro ſparſis & quaſi iactis liberis: quia Sipare ſignificat iacere & diſiicere.* In antiquo meo codice *ſuperare* legitur pro *Sipare*; forte *Supare*, quod accedit ad Nonij Marcelli Etymologiam. *Proſapies*, ait ille, *generis longitudo,*

Gloſſarium inſigni menda liberatum

Varia apud Feſtum lectio

Nonius correctus

Catoni in Orig. lux

gitudo, dicta a prosupando aut proferendo (legendum omnino *proserendo*) *Cato Originum lib.* I. *Veteres prosapias & multa alia apud multos.* Cato etiam hic *Veteres prosapias* nominat, quod vocabulum illud apud veteres, imo Salios; ut multa alia apud multos antiquioris aevi scriptores. In Glossario D. Benedicti *Prosapies*, γένους καταγωγή: *Prosapia*, ἐκ προγόνων εὐγένεια, καὶ Συγγένεια. Talia igitur Saliorum verba conservata nobis apud veteres Grammaticos; prisca omnia, & si non ante, certe cum Numa Pompilio orta, ut docet Varro initio lib. VI. de L. L. *At hoc*, ait, *quid ad verborum poeticorum aetatem? quorum si Pompilij regnum fons in carminibus Saliorum, neque ea a superioribus accepta; tamen habent septingentos annos. Quare quur scriptoris industriam reprehendis, qui herois tritavum atavumque non potuerit reperire, quum ipse tui tritavi matrem non possis dicere. Quod intervallum multo tanto propius nobis, quam hinc ad initium Saliorum, quo Romanorum prima verba poetica dicuntur Latina.* Verba, ne suis quidem sacerdotibus intellecta, quemadmodum eleganter Quintilianus libro I. Instit. cap. VI. ut Symmachus etiam libro III. Epistol. XLIV. odiosum ἀρχαισμοῦ sectatorem cum risu ad Saliorum versus invitet, his verbis: *Si tibi vetustatis tantus est amor, pari studio in verba prisca redeamus, quibus Salij canunt.*

C. Aelius Stilo interpres Saliorum carminum

Quod magis; ipse C. Aelius Stilo, qui ex professo hos versus sua interpretatione inlustrare conatus, coactus est multos, ut obscuros & nimis antiquatos, praeterire, scribente Varrone lib. VI. de L. L. *Sed ut in soluta oratione, sic in poemateis verba omnia, quae habent* ἔτυμα, *possunt dici nec multa. ab eo quod non erunt in lucubratione litterae prosequutae: licet multum legerent C. Aelij, hominis in primo in littereis Latineis exercitati, interpretationem carminum Saliorum: videbis & exili littera expeditam, & praeterita obscura multa.* Aelium Stilonem laudat praeter alios Festus in Manuos, Molucrum Nusciosum, alibi. Haec tamen talia Carmina, in axibus

(unde

(unde & Axamenta) ſeu tabulis deſcripta ſtudioſiſſime a Praeſule & Magiſtro Salijſque ediſcebantur: unde Iulius Capitolinus in M. Antonino Philoſopho: *Fuit,* inquit, *in eo ſacerdotio* (Saliorum vult) *& Praeſul & Vates & Magiſter, & multos inauguravit, atque exauguravit, nemine praeeunte, quod ipſe carmina cuncta didiciſſet.* Haec de Saliorum verſibus dicta obiter ſufficiant. Haud pronum item iudicare de numeris Hymnorum, quos in templo Apollinis Palatini, Ludis Saecularibus primis, canebant ter noveni pueri praetextati, totidemque virgines, omnes patrimi matrimi; quorum, praeter alios, mentionem facit Zoſimus libro Hiſtoriarum II. Aeque arduum certi quid in medium velle adferre de Carminibus, quae priſco aevo in epulis de clarorum virorum laudibus ab ſingulis convivis cantitata, quorum, praeter Dionyſium Halicarnaſſ. & alios, meminit in Originibus M. Porcius Cato apud M. Tullium in Bruto, & ipſe Cicero, non ſemel, alibi. Non minus operoſum ſententiam dicere de nonnullorum veterum vaticinijs, quorum Cn. Marcij Vatis (qui duo volumina ſcripſit) unum legere eſt, admiratione dignum, deterſa vetuſtate, apud T. Livium libro ab V.C. XXV. & Macrobium lib. Saturnal. I. cap. XVII. quod ſuis numeris (modo Hexametros Marcius ſcripſerit) & priſtinis verbis reſtituit V. Nobiliſſ. Ioſephus Scaliger, hoc fere modo:

Carmina ediſcebantur ab Salijs

Hymni ludis Saecularibus cantari ſoliti

Carmina antiqua de Clarorum virorum laudibus

Cn. Marcij vaticinia.

Romolidai ſI perduellis expellere voltis
Et vomicam, quai gentium longe alienigenarum
Venit; ApolinerI voveatis cenſeo loudos,
QuIqui ApolinerI ſIant commoune quotannis.
Praitor ibous loudis faciondis ollu' praieſto,
QuI ſummum poplo plebeique endo urbe dabit Ious.
Poplos poblicitus quom diderit e ſtipe partem,

Confe-

Conferinant uti prIvatim pro seque sueisque.
At bis quinque virei sacra Graico rItu obeunto.
Haic sI faxItis recte, gaudebiti' semper,
Atque adeo fIet melios res poblica vostra.
Nam is DIus vostros perduellis stinguet ad unum,
Quei vostros campos placide nunc rouraque pascunt

Marcij vaticiniorum reliquiae, cum apud Priscianum libro VI. tum apud Festum in Negunate & Ningulus; & alios. Grave denique judicem agere, & magni laboris aliquid, quod aliorum reprehensionem effugiat, diffinire

Nelei carmen

de Nelei carmine, quod nominatur a Festo in Stuprum, Topper & fortean Strigores; & a Charisio libro I. Instit.

Varians lectio in Charisio

Gramm. ubi tamen in antiquissimo codice, qui apud maximum ubique virum Ianum Duzam, *Menelai* non *Neleì* nomen est expressum: non bene, me judice. Certe paullo

Carminum genera paullo ante Ennium

ante Ennium in Comoedijs & Tragoedijs, quas poetae Latini vel interpretabantur, vel novas faciebant, Graecorum videntur leges, non tamen stricte, sequuti. Heroum & magnorum virorum gesta ab Graecis scripta vorsa interpretatione vulgabant; ab se noviter inventa novo versus genere, Saturnio plurimum, prodebant. Testantur, quae

Comoediae & Tragoediae veterum

dixi, LivI Andronici, Cn. NaevI, posteriorum quoque Comoediae & Tragoediae, quae ad Graecorum exemplum Iambis & Trochaeis; Dimetris, Trimetris & Tetrametris; Brachycatalectis, Catalectis, Acatalectis & Hypercatalectis maxime decurrunt.

LivI Odyssea

Idem Livius Odysseam ab Homero Heroico carmine scriptam, ut & ab Latinis legeretur, prorsa oratione, mistis ubique Saturnijs, aliquando Iambis, exposuit: cui praeclarum etiam visum carmen Heroicum nonnunquam inserere: qualia apud Priscianum illa; libro II:

Inferus

Inferus an superus tibi fert Deu' founera Ulusses

libro VII:

Quai haic daps est? quis festu' dies? . . .

Ibidem:

At celer hasta volans perrumpit pectora ferro

libro VIII:

Quom socios nostros mandisset impiu' Cuclops

Naevium Saturnio carmine bellum Punicum I. exposuisse scribit Festus lib. XVII. *Versus quoque antiquissimi,* inquit, *quibus Faunus fata cecinisse hominibus videtur, Saturnij appellantur, quibus & a Naevio bellum Punicum scriptum est, & a multis alia plura composita sunt.* Sic M. Terentius Varro libro VI. de L.L: *Naevi bellum Punicum*

Versibu', quos olim Faunei vatesque canebant:

Fauni, dei Latinorum, ita ut Faunus & Fauna sint in versibus quos vocant Saturnios; in silvestribus loceis traditum est solitos fari; a quo Fando Faunos dictos. Defectum suppleo duarum litterarum, & lego: *ita ut Faunus & Fauna cecinerint* (cecinisse scribit Festus) *versibus, quos vocant,* & cetera. Sic exsulare iussa, quae in verbis insidebat Varronis, obscuritas. *Varro emendatus*

Neque omnino extra vitium mihi Festus, qui forte ita scripsit, *quibus Faunus & Fatua cecinisse hominibus videntur.* Quae Varroni *Fauna,* ea Festo *Fatua,* quod Faunae quasi cognomen, ut *Fatuus* Fauni. Servius ad VII. Aeneid. ubi Virgilius: *Coniectura in Festo*

Hunc Fauno & nympha genitum Laurente Marica:

Quidam Deus, inquit, *est Fatuellus* (quid si *Fatuus* hic?) *Hujus uxor est Fatua: ijdem sunt Faunus & Fauna. Dicti autem sunt a vaticinando, id est Fando: unde & Fatuos dicimus inconsiderate loquenteis. Ergo Faunae & Fatuae nomen quasi asperum fugit poeta, & Maricam dixit uxorem fuisse Fauni.* Donatus, vel *& Servio*

quis alius, ad Eunuchum Terentianam: *Fatuus, inepta loquens: a fando fatuus dicitur. Inde Fauni Fatui, & Nymphae* (nympham nominat & Virgilius) *Fatuae dictae ſunt.* Fatuam Fauni uxorem agnoſcit etiam Macrobius libro I. Saturn. cap. XII. ubi nonnulla de ejus ſacris & alijs cognominibus. Lactantius libro I. de falſa religione, cap. XXII. Fatuam Faunam Fauni facit ſororem & conjugem: *Sed ut Pompilius apud Romanos inſtitutor ineptarum religionum fuit: ſic ante Pompilium Faunus in Latio; qui & Saturno avo nefaria ſacra conſtituit, & Picum patrem inter Deos honoravit; & ſororem Fatuam Faunam eamque conjugem conſecravit.* Redeo ad carmen Saturnium, quod Terentiano Mauro, & Mario Victorino, Graecae originis. Ei ab Saturni diritate & malitia (quae ab Veterum ſcriptis nobiliſſima) nomen indit vir admirandi ingenij & rarae eruditionis Hadrianus Iunius, Bataviae noſtrae ſuo aevo decus & inluſtrator. Conſtat Dimetro Iambico & Ithyphallico, ut notat Servius Honoratus in Centimetro, hoc exemplo:

Carmen Saturnium quale

Iſis pererrat orbem cornibus profuſis.

Terentianus ſtruit ex Iambico Dimetro claudo & tribus Trochaeis. Exempla, ibi:

Et Naevio poetae - ſic ferunt Metellos,
Quum ſaepe laederentur, - eſſe comminatos:
Dabunt malum Metelli - Naevio poetae.

Victorino componitur ex Dimetro & Quadrato, conſtatque pedibus ſex & ſemipede; quorum tres primi & ſemipes ex parte prima Dimetri; reliqui tres a parte prima Tragici Trochaici, ut:

Quum victor Lemno claſſem Doricam appuliſſet.

Addit hujus exemplum Metellos propoſuiſſe de Naevio, aliquoties ab eo laceſſitos, ita:

Malum

Malum dabunt Metelli Naevio poetae,

Idem esse cum Senario Hypercatalectico indicat Paedianus in II. Verrinam, apud quem Cn. Naevius Metellos per ora hominum traducit, hoc Senario:

Faato Roomae fiunt Metellei Consoles;

designans non tam, qui retro fuerant ex Metellorum familia isthoc honore praediti, quam Q. Caecilium Q. F. Q. N. Metellum, qui Consul fuit cum L. Veturio L. F. L. N. Philone, anno ab V. C. IↃXLVII. biennio ante abitionem Naevij, qui Romanis esse desijt, anno IↃXLIX. M. Cornelio M. F. M. N. Cethego, P. Sempronio C. F. C. N. Tuditano coss. quemadmodum testatur M. Tullius in Bruto, a quo ibidem paullum dissentit M. Terentius Varro. Metellus factus est Consul ex Magistro Equitum, quo illum honore adfecerat Dictator M. Livius M. F. M. N. Salinator, Comitiorum habendorum caussa: quum iam Aedilis plebis fuisset anno ab V. C. IↃXLIII. Curulis vero biennio post. Ex quibus manifestum, quur fato quasi factum Consulem hunc Metellum notet Naevius, quod non solum non esset aetatis consularis, sed quod nondum fuisset Praetor, quem magistratum gesserat eius collega L. Veturius anno IↃXLV. An vero verat (ut EnnI mei voce utar) Naevius, Metellum fato factum Consulem? Imo egregia ejus in bello contra Poenos eorumque ducem Asdrubalem virtus, anno IↃXLVI. C. Claudio Ti. F. Ti. N. Nerone, M. Livio M. F. M. N. Salinatore coss. hunc illi honorem peperit. Apud Livium libro XXVII. in triumpho M. Livij de Poenis, Equites L. Veturium & Q. Caecilium Legatos magnis ferunt laudibus; hortanturque plebem, ut eos Consules in proximum annum crearent: quod accidit. Sed non evasit virtus illa (ut plerumque fit, hodieque) Livoris aculeos; qui parent in Naeviano versu, ad quem acute adludit M. Tul-

Q. Caecilium Metellum notat Naevius.

Naevium: ege,

lius II. in Verrem: *Nam hoc Verrem dicere ajebat, te* (Metellum vult) *non fato, ut ceteros ex vestra familia, sed opera sua Consulem factum.* Caecilius igitur hoc scommate se laceratum existimans, talionem minitatur, retorto in Naevium Saturnij generis, (quod contumeliam passis & ira percitis conveniens) versu:

& Caecilius

Dabunt malum Metellei Naivio poetai

Sic qui male dicit, male audit. Sunt quidem & apud Servium & reliquos Terentianum, Victorinum & Paedianum, versus Trimetri Hypercatalectici (ut notissima utar appellatione) quemadmodum & apud Priscianum ille;

Jämque
Ejus mentem fortuuna fecerat quietem

Iäm διασυλλάβως: at vero non omnes NaevI, quibus bellum Punicum absolvit, tales fuisse, indicat, quem paullo ante ex Calpurnio citavi,

Quei terraal Latiaal hemoones tuuserunt:

Hic enim Trimeter Acatalecticus, ut & ab Charisio laudatus:

Marcus Valerius Consol partem exercitei
In expedItionem duucit . . . . .

Naevius apud Charisium emendatus

ubi *Maniu'* legendum esse dicam ad librum VII. Annalium EnnI: & plures alij ab alijs citati. Quin infinita NaevI ita aliena ab numeris, ut versuum in ijs vestigia nulla deprehendantur. Merito, ubi de Saturnio metro (quod Graecis adscribi iam monui) Terentianus:

Metra apud Naevium ἄμετρα

Sed est origo Graeca;
Illique metron istud
Certo modo dederunt:
Nostrique mox poetae

Rudem

Rudem sonum sequuti,
Vt quaeque res ferebat,
Sic dispariis figurae
Versus vagos locabant.

Latini non observarunt Leges Graecorum in Saturnio carmine

& quae ibi plura. Quibus accedit & Victorinus: *Nostri antiqui usi sunt*, ait, *ea non observata lege, nec uno genere custodito: sed praeterquam quod durissimos fecerunt, etiam alios longos, alios breves inseruerunt.* Alter ex altero descripsit. Concludam Saturnium hoc & mordax genus ductu primum & auspicijs Q. EnnI, in, quod generosius, Heroicum serio degenerasse, quo excelsiore incederent gressu & viri principes Latini. Eam enim gloriam compararant iam sibi per Homerum suum Graeci. De quo Horatius in arte poetica:

Saturnius versus degenerat in Hexametrum

Res gestae regumque, ducumque, & tristia bella
Quo scribi possent numero, monstravit Homerus

De Poeta nostro Isidorus libro Originum I. cap. XXXVIII. *Hexametros Latinos primum fecisse Ennius traditur, eosque Longos vocat.* Legerat Isidorus M. Tullium II. de Legibus: qui, *Exstrui autem vetat sepulcrum altius*, inquit, *quam quod quinque diebus absoluerint; nec e lapide excitari plus, nec imponi, quam quod capiat laudem mortui, incisam quatuor Heroicis versibus, quos Longos appellat Ennius*

Longi versus

Fecit sane primus Hexametros Latinos Ennius, & tam feliciter, ut qui sequuti, non solum, pulcerrimo exemplo invitati, praesignem ejus diligentiam imitati; sed etiam multa, quum nec melius nec felicius possent, ab poeta principe cum laude fuerint mutuati. Quis enim non flores aliquot Ennianos in suis scriptis exsurgere voluit? In Homero cauta lectione deprehenduntur Orpheus, Musaeus, alij, qui aetate priores: Homerus legitur cum in alijs, tum in Ennio: Ennius omnium scriptis, ut anuli pa-

Scriptores plagij insimulantur

laegemma, infertus cum admiratione conſpicitur. Sint Poetae & veteres & novi; ſi divinius quid canendum, Ennium ſpirant. Sint Oratores; ſi quid nervoſius dicendum, Ennium advocant. Sint Hiſtoriographi, ſint alij; ſi quid elegantius ſcribendum, EnnI amant, praeter rem nonnulli & ſordide, quam ſuis verbis uti. Vires, quis inficiabitur? ſuis omnes ſcriptis ab uno Ennio conciliare ſoliti: quae ſingulario fortean libello alias docebo

Auctorem de bello Hiſpaniensi noto

Fauni 31.) Faunos multis fabulis involvit Antiquitas. De ijs, quid ab veritate non prorſum abhorrens obſervarim, paucis indicabo. Aboriginum rex primus ſcribitur fuiſſe (nihil enim in re, ab noſtro aevo tam remota, dictum velim adfirmantius) Sabus, Chuſi F. Chami N. Noaei Pron. Alij Sabatium Sagam vocant; Sabinum videtur appellare Virgilius libro Aeneid. VII. Is fertur ex Caſpijs montibus (qui Virgilio propter altitudinem Olympus) ubi Bactris & Armenis imperarat, claſſe ad Iavanum (Latinis poſtea Ianum) propatrui ſui Iapheti F, qui ad Albulam regnabat, veniſſe; ut ibi lateret (unde a סָתַר, quod occultare ſe vel latere Syriaca lingua, qua uſi & Tuſci, Latina poſt inflexione Saturnus dictus) veritus ſcilicet Ninum Nimrodi fratris ſui nepotem, &, ut Virgilius canit VIII. Aeneidos;

Sabus primus Aboriginum rex

Cognomen illi Saturnus, unde

Arma Iovis fugiens, & regnis exſul ademtis.

Fons enim odij manarat in Ninum a Iove Belo II. Babyloniorum rege, qui Nino filio Sabum exterminandum teſtamento reliquerat. Iavanus Sabo comiter excepto imperium dicitur dediſſe in quoſdam Aboriginum, (ij enim gens antiquiſſima Italiae, Aberrigines nonnullis dicti ab multo errore)

Aborigines

Quis neque mos neque cultus erat; nec jungere Tauros,

Aut

Aut componere opes norant, aut parcere parto;
Sed rami atque asper victu venatus alebat,
quemadmodum de ijs ibidem Virgilius: idque in dextra Albulae ripa, ubi Saturnus,
Et genus indocile ac dispersum montibus altis
Composuit, legesque dedit
Sabo Saturno, quibusdam intermedijs, successisse perhibetur *Picus Priscus*; huic *Faunus Priscus*; Fauno *Amnus*, qui a patre *Faunigena*, cuius mentio apud Sillium Italicum libro v; Amno *Mars Italus*, cognomine *Ianus Iunior* (cuius & quatuor sequentium meminit Eusebius) Marti *Caeculus*, qui & Saturnus Iunior; Saturno *Picus Iunior*, qui putatur, a quo picus avis apud Festum; Pico *Faunus Iunior*, quem Martis pronepotem Dionysius Halic. nominat, intelligens Martem Italum, qui huic Fauno proavus. De eo, eiusque patre & avo Lactantius lib. I. Fauno denique subfectus traditur *Latinus*, de quo, cuius patre Fauno, Avo Pico, Proavo Saturno, Virgilius VII. Aeneidos:

Picus Priscus *Faunus Prisc.* *Amnus* *Mars Italus* *Caeculus* *Picus Iunior* *Faunus Iun.* *Latinus*

. . . *Rex arva Latinus, & urbes*
Jam senior longa placidas in pace regebat.
Hunc Fauno & nympha genitum Laurente Marica
Accipimus, Fauno Picus pater; isque parentem
Te Saturne refert, tu sanguinis ultimus auctor

Saturno Iuniori vel Caeculo adscribit poeta, quod Sabo vel Saturno Prisco erat dandum. *Accipimus* notat Servius Virgilium dixisse, *propter varias opiniones*. Et me, quibus sum usus, voces excusabunt a temeraria elocutione & praecipiti forte in recensendis Aboriginum regibus diffinitione. Certe nihil dicere Timidi est; omnia, Temerarij. Latino imperante, diruta Troia, &

veter

veter occubuit Priamus sub Marte Pelasgo

ut postea dicam, II.36.

Coniectura in Varrone contra Isidori mentem

VATESQVE 31.) *Antiquos poetas*, inquit Varro libro VI. de L.L. *Vates appellabant a versibus viendeis, ut in poematis cum scribam, ostendam.* Acerrimi iudicij vir Iosephus Scaliger, mendum notat, & legendum suspicatur, *vagiendeis.* Si recte; necessum est antiquum esse vitium, & ante Isidori aetatem ortum. Is enim ex Varronis mente libro VIII. cap. VII. Origin. *Vates*, ait, *a vi mentis appellatos, Varro auctor est, vel a viendis carminibus, id est flectendis, hoc est modulandis, & proinde Poetae Latine Vates olim, & scripta eorum Vaticinia dicebantur, quod vi quadam & quasi vesania in scribendo commoverentur: vel quod modis verba connecterent. Viere enim antiquis pro Vincire* (sic emendandum) *ponentibus*, & cetera. Adeundus idem libro VII. cap. XII. *Viere* quid, indicant Varro lib. IV; Schidae, quae, Festi fragmento detractae, apud Pomponium Laetum exstant; Nonius Marcellus cap. II. § 925. Paullus denique ex Fest. lib. ult. Magis est, ut *Vates* sit Latinis ab Graeca voce φάτης.

Isidorus emaculatus

Elegantia Latij sermonis & divitiae ab Ennio

NEC DICTEI II.2.) Antiquitas Latij sermonis elegantiam non admodum adfectabat. Rudiora erant omnia, & publice; & privatim in Poetis, Historiographis, Oratoribus, alijs. Docent Fragmenta, quae superant. Lepos Romanae linguae & copia ab Ennio nata. Eleganter Horatius ad Pisones de arte poetica:

quid autem
Caecilio Plautoque dabit Romanus, ademtum
Virgilio Varioque? ego quur adquirere pauca,
Si possum, invideor? quum lingua Catonis & Enni
Sermo-

Sermonem patrium ditaverit, & nova rerum
Nomina protulerit?

Huc pertinent Isidori illa, nescio quam bene per aetates distincta, de quatuor Linguis Latinis libro IX. cap. I. ubi tertia *Romana, quae post reges exactos a populo Romano coepta est:* (sic corrigo, pro *gesta est,*) *quam Naevius, Plautus, Ennius, Virgilius, Poetae: ex Oratoribus Gracchus, & Cato* (haec addit meus M.S.) *& Cicero vel ceteri effuderunt*, mallem, *qua effulserunt*

Isidorus reprehensus, correctus, auctus, iterum correctus

ANTE HVNC II

Haec Poetae ab M. Tullio citari, & praecedentibus adhaerere paret ex ijs, quae dixi folio LXXVIII. Sunt qui ex Cicerone hos versus eruere conati:

Nec dictei studiosus erat ante hunc ait ipse,
De se, nec mentitur in gloriando

Versus supposititi

Quae ita ab Ennio numquam credam scripta. Videtur poeta designare in vocum biga Naevium, quem virulenta ferire solitus lingua: immerito. Nam apud Naevium fuerunt, quibus Ennius doctior. Sed quod NaevI manes passi ab Ennio; idem EnnI (talionem erat reddendum) ab Lucilio. Docet illud Horatius lib. I. Satyra X:

Ennius immerito carpit Naevium
Ennius talionem passus

Tu nihil in magno doctus reprendis Homero?
Nil comis Tragici mutat Lucillius Atti?
Non ridet versus EnnI gravitate minores,
Quum de se loquitur, non ut maiore reprensis?

Ego Metianum illis sepulcrum precor, qui Sitorum manes sollicitant: sit ipse Ennius, qui huic uni noxae obnoxius in Naevio, cetera probus

NAM LATOS POPOLOS II

Vir doctissimus, & qui in veterum auctorum lectione ver-

ſatiſſimus, Hieronymus Columna haec EnnI citat ex Probo in arte Inſtit. *Cluvebat* poſui pro *Cluebat*; cuius ſcriptionis cauſſam alibi aperio. Forte de Naevio poeta hoc dixerat, ne dicterijs ubique videretur operire virum, qui, ut tempora ferebant, non infeliciter bellum Punicum deſcripſerat, quod potis ille, quum a quibus quae geſta probe ſciret; Latinas inſuper Muſas clueret, &, ut qui maxime, amaret. V. N. Ianus Duza *Cluebunt* legendum putat. Quid ſi?

Ennius leviter emendatus

NaevI induſtria

Conjectura in Ennio

Nam LatiI popolei Res atque Poemata noſtra
Cluvebunt . . . .

ut in ijs quaſi ſit EnnI augurium de ſuorum Scriptorum vita & immortalitate. Vere vero auguratus eſt. Intra LatI fines concluſa fuit Ennium plene & plane cognoſcendi felicitas: ibi ab Gotthis, Vandalis & Hunnis cum alijs perijt, laceratus, tanta crudelitate, ut vix fragmina pauca tam pulcro corpori ſuperſint

NOS AVSEI RESERARE II

Quis citet, quo referendum, jam dixi. Docet Ennius ſe primum apud Latinos auſum penitiora reſerare Muſarum adyta, de quorum aditu & ingreſſu deſperarant omnes retro-poetae. Magnifice ſane de ſe Ennius, in humanis agens; ut & Satyrarum libro III. apud Nonium Marcellum in Propino & Medullitus:

EnnI φιλαυτία

EnnI poeta ſalve, quI Mortalibus
Vorſus propInas flammeos medollitus

Nec minus ambitioſe, vita functus, cum alijs

Inſcribi poſito ſibi volt poſt fata ſepolcro:
Hic voſtrum panxit maxuma facta Patrum

Et quis faſtus in primo Annalium verſu:

Horrida Romoleum certamina pango duellum.

Audet

Audet etiam libro XI. gloriari, se

Graica lingua longos per tempori' tractus

Romanos pavisse. Modestia quidem foelicissima quaeque & doctissima ingenia comitatur; non potest tamen, quin aliquando nescio quo ab cuius gloriolae titillatione abripiantur: quod ipse fatebitur Ennius libro XVIII. ubi de hoc vitio, si tamen ita sit appellandum, (nam sordidi est & abjectissimi ingenij omnem laudem adspernarier) ita canit:

Modestia plurimum in magnis vere viris

Omnes Mortales sese laudarier optant;
Adsectari omnes cupiunt . . .

Trahimur omnes studio laudis, inquit magnus Orator, *& optimus quisque maxime gloria ducitur*

NEC QVISQVAM II

SEX. Pompeius Festus libro de verborum signif. XVII. *Sas Verrius putat significare eas, teste Ennio:* & paullo post: *sicuti ejusdem libro septimo, fatendum est eam significari, cum ait: Nec quisquam philosophia (quam doctrinam Latina lingua non habet sapientia quae perhibetur) In somnis vidit prius, quam sam discere coepit.* Paullus Diaconus ad eum locum nimius fuit in expungendis, quae parum ad auctoris mentem facere visa; sic enim ille: *Sam, eam. Idem Ennius, neque quisquam philosophiam Insomnis vidit prius, quam sam discere coepit.* Iosephus Scaliger, quo doctiorem in omnibus linguis vix habuit, vel habitura aetas, divine haec emendat, rejectis spurijs glossematis, quae temere in poetae verba irrepserant:

Paullus Diaconus taxatus

Nec quisquam Sophiam, Sapientia quae perhibetur,
In somnis vidit prius, quam sam discere coepit

Ennius apud Festum optime emendatus

Petita omnino ex primo (quae vox pro *septimo* reponenda) Annalium libro. Occurrit tacite obtrectatoribus suis poeta & Zoilis, qui insana quadam maledicendi libidine institutum ejus maligne vellicabant: quasi quae prudenter

Festus correctus

vel dicta vel ſcripta, non eſſent ab auctore domive ejus nata; ſed ab Homero, qui in ſomnis auctori apparuerat, mutuo ſumta: ijs reſpondet, non poſſe quemquam in ſomnis videre Sapientiam, niſi eam prius didicerit. Somniamus enim, quae attentius cogitamus vigilantes. Eleganter Conjectores ſomnij Tarquiniani apud Attium in Bruto:

Somniamus plurimum interdiu cogitata vel facta

Rex, quai in vIta uſurpant homines, coogitant, coirant, vident,
Quaique agunt vigilantes, agitantque; ea ſI quoi in ſomno accidunt,
Minus mIrum eſt

Aliorum hic ſcrinia non compilabo

Sophia, Sapientia

SOPHIAM, SAPIENTIA 15.) Erudite adnotat noſtrae Europae Mithradates Romanos ſcriptores ſolere Sophiam, ignotum plebi verbum, Latine ſemper reddere. Sic Afranius in Sella:

Uſus me genuit, maater peperit Memoria
Sophiam vocant me Graicei; vos Sapientiam

NEQVE ME II

Quum Aureliani operam darem Iuri Civili, familiariter ibi uſus ſum VV. CLL. cum Ioanne Roberto, Guilielmo Fornerio, alijs; tum Petro Daniele, qui ſaepius eo, rerum ſuarum, commeabat. Is, neſcio quibus indicijs, animadvertebat me non parum tangi palaeſtrae Criticae deſiderio; ideoque, non ſemel, qui illius erga me erat amor, obtulit ex infinita veterum Codicum copia, praeter alios, Servium VirgilI interpretem, manu ſcriptum, & copioſiorem multo, quam qui impreſſus circumfertur. Sed quum perſuaſum haberem Ius totum requirere hominem, & augurarer, falſo, mihi ejuſmodi librorum, qui manu exa-

nu exarati, cum impreſſis commiſſiones nulli uſui futuras; oblatum ab optimo viro beneficium non quaſi dedignatus, reſpui; ſed, gratijs actis, curioſam illam diligentiam ſum avorſatus, ut, quod totum cordi erat, in eo ſtudio facilius excellerem. Illud ſane minime feciſſem, ſi liquido mihi conſtitiſſet, me aliquando ab arena forenſi, quam quadriennium ex Gallijs reverſus in Palatio Comitum Bataviae cum fructu calcavi, in hanc Provinciam, cui Hiſtoria & Antiquitas praefectae, poſt abitum viri magni Iuſti LipſI, deducendum. Oſcitantiae igitur hac in re meae obviam ivit humanitas V.N. Ioſephi Scaligeri, quem anno CIƆ IƆ XCIII. Ampliſſimi Ordines Bataviae, Zelandiae & Occidentalis Friſiae in hanc Academiam ex Gallia vocarunt. Cum illo quae mihi intercedit Amicitia, proclivis plane eſt ad omnem comitatem facilitatemque. Ab eo in ſcriptis accepi omnia veterum Auctorum, non EnnI ſolum, ſed & aliorum fragmenta, quae, inviſa hactenus & inlecta pleriſque, ſervantur in Servij, quem nominavi, ſchidis. Inter illa & quod hic a me collocatum. Quo ſenſu? Duplici nomine reprehendit Naevium Ennius: & quod incomtius ſcripſerit, (id autem manifeſtum, ex, quae hactenus, fragmentis) & quod ſcriptis ſuis maledicta, quibus in primores urbis eſt debacchatus, adſperſerit. Cecinit jam; comtius Naevio, Vatibuſque, qui Muſarum ſcopulos nondum ſuperarant, ſe ſcripturum: Hoc loco canit ſe ſua editurum chartis non carinantibus, ſeque, exemplo NaevI, in alterius famam non incurſurum; (illud enim non decere:) ſed cum candore quodam Annales ſuos emiſſurum, intortis nuſquam in alios contumelijs

EnnI fragmenta ex Servio Petri Danielis

Naevius maledictis laceravit viros reip. Rom. principes

NEQVE ME 19.) Ut Cn. Naevium. Teſtatur D. Auguſtinus libro II. de Civit. Dei, cap. IX. *Patiamur, inquit,* (deſignat P. Cornelium Scipionem Africanum, quem Cicero lo-

ro loquentem facit in libris de Rep.) *& si hujusmodi cives a Censore melius est, quam a Poeta notari: sed Periclem, quum jam suae civitati maxima auctoritate plurimos annos domi & belli praefuisset, violari versibus, & eos agi in scena non plus decuit, quam si Plautus,* inquit, *noster voluisset, aut Naevius P. & Cn. Scipioni, aut Caecilius M. Catoni maledicere.* Et cap. XII. *Indignum videlicet fuit, ut Plautus aut Naevius P. & Cn. Scipioni, aut Caecilius M. Catoni malediceret: & dignum fuit, ut Terentius vester flagitio Iovis Optimi Maximi adolescentium nequitiam concitaret.* Eorum, quae de Naevio dicit Augustinus, reliquiae apud Agellium Noct. Atticar. libro VI. cap. VIII. qui sic ait: *Sed hanc utramque declamatiunculam super Alexandro & Scipione celebraverint, quibus abunde & ingenij & otij & verborum est: nos satis habebimus, quod ex historia est, id dicere, Scipionem istum verone an falso incertum; fama tamen, quum esset adolescens, haud sincera fuisse, & propemodum constitisse hosce versus a Cn. Naevio poeta in eum scriptos esse:*

Poetae veteres qui quos notarint.

Etiam quI res magnas manou saipe gessit glorioose,
Quojus facta vIva nunc vigent; quI apud genteis soolus
Praistat: eum suus pater cum pallio uno ab ameica abdouxit

Scipionum Genealogia

Qui Scipiones isti, loquuntur historiae. Anno ab v. c. CCCCLV. coss. fuerunt L. Cornelius Cn. F. L. N. Scipio & Cn. Fulvius Cn. F. Cn. N. Max. Centumalus; quorum Scipio duos habuit filios L. & Cn. Hic, Asina etiam cognomine, Consulatus gessit, primum cum C. Duilio M. F. M. N. anno ab v. c. CCCCXCIII. secundum cum A. Atilio A. F. C. N. Calatino II. anno ab v. c. CCCCXCIX, quem sequente triumphavit de Poenis, quos in Sicilia, capto Panormo, vicerat. Ex hoc natus P. Cornelius Scipio Asina Cos. cum

M. Mi-

M. Minucio Rufo anno ıↄxxxii. Ille, L. inquam, Cos. anno ab v.c.ccccxciv. cum C. Aquilio M. F. C. N. Floro, re contra Poenos, eorumque ducem Annonem, Sardos & Corſos, feliciter geſta, triumphavit. Filios habuit tres: L. Scipionem, cognomine etiam Hiſpalum, qui nullo magiſtratu inſignis; Cn. Scipionem, qui & Calvus dictus; & P. Scipionem; quorum Cn. & P. nominat Auguſtinus; alterutrum vero, magis puto P. deſignat Naevius. Cn. quidem Cos. fuit cum M. Claudio M. F. M. N. Marcello anno ıↄxxxi. Proc. in Hiſpaniam miſſus, ut Aſdrubalem Annibalis fratrem inde expelleret, proſpere cum Annone pugnavit, anno ab v.c. ıↄxxxv. Sexto poſt anno Punica fraude perijt. Pater hic fuit P. Cornelij Scipionis Naſicae, qui ab Senatu vir optimus judicatus; Avus iſtius, qui Corculum appellatus; Proavus Serapionis, qui primus abſens Pont. Max. factus. P. vero (Cn, quem dixi, frater) in Conſulatu Collegam habuit Ti. Sempronium C. F. Longum anno ıↄxxxv. quo coeptum bellum Punicum ii. Annibali ex Alpibus in Italiam deſcendenti ad Ticinum oppoſitus, ab eo acie fere caeſus, ſervatus eſt ſingulari filij ſui, adoleſcentis xiix. annorũ, virtute & induſtria. Proc. Hiſpaniam ſortitus, poſt multa ſecunda contra Poenos praelia, ab Aſdrubale inſidijs circumventus, lancea ictus occubuit, unde trigeſimo ante Cn. fratrem die, anno ab v.c. ıↄxli. Duos habuit filios P. & L. Scipiones, quorum ille Africani, hic Aſiatici cognomina meruerunt ab devictis provincijs

Auguſtino lux, & Naevio

Haic 19.) Sic emendandum duxi pro *hanc*

Carinantibus 19.) *Carinantes*, inquit Paullus ex Feſti libro iii. *probra objectantes, a carina dicti, quae eſt infima pars navis: ſic illi ſortis infimae.* In veteri meo Codice *objicientes* legitur. In Iſidori Gloſſis *Carinantes* ſunt *illudentes*. Gloſſar. D. Benedicti *Carinari* exponit χαριεντίζεσθαι. Ioſephus Scaliger

Carinari

Varia in Feſto lectio

Scaliger ad me ſcripſit hoc EnnI carmen aliunde, non eſſe ex Annalibus, quum vox *Carinantibus* in Hexametro locum habere non poſſit. Putarem tamen κατ' ἔκθλιψιν τοῦ I recipiendam

Chartae, libri

CARTEIS 19.) Ennium imitati alij etiam ſuos libros appellant *Chartas*. *Chartos* (nam & ejus generis vox illa) *Socraticos* nominat Lucilius libro Satyrar. XXVII. apud Nonium cap. III. §. 40: *Nec ſic ubi Graeci, ubi nunc Socratici charti, quidquid quaeritis petimus*. Emendant docti viri: *Neſcis ubi nunc Graeci, ubi Socratici charti, quidquid quaeritis? primus*, alij *perimus*. Quid ſi (nam quur & mihi non aliquid auſum?) Lucilius ſcripſerit; *Leſſus ubi Graeci, ubi nunc Socratici charti?* ut intellegat Graecorum ſcripta & libros, quibus indigna cum aliorum, tum praecipue Socratis mors ab Athenienſibus defleta: qui notum quam doluerint ſublatum. Ἀθηναῖοι δ' εὐθὺς μετέγνωσαν, inquit Diogenes Laertius, in ejus vita, ὥστε κλεῖσαι καὶ παλαίστρας καὶ γυμνάσια: καὶ τοὺς μὲν ἐφυγάδευσαν, Μελίτου δὲ θάνατον κατέγνωσαν. Σωκράτη δὲ χαλκῆς εἰκόνος ἐτιμήσαντο, ἣν ἔθεσαν ἐν τῷ πομπίῳ, Λυσίππου ταύτην ἐργασαμένου: Ἄνυτόν τε ἐπιδημήσαντα αὐθημερὸν ἐξεκήρυξαν Ἡρακλεῶται. Huic ſenſui ut adſonent LucilI reliqua, lego, novam orſus periodum: *Quidquid queruli petimus*, & quae ſequebantur.

Lucilio medicina & lux

Leſſus

Leſſus quid, docet M. Tullius II. de Legibus: *Mulieres genas ne radunto, neve leſſum founeris ergo habento. Hoc veteres Interpretes Sex. Aelius, L. Acilius non ſatis ſe intelligere dixerunt, ſed ſuſpicari veſtimenti aliquod genus funebris. Laelius leſſum, quaſi lugubrem ejulationem, ut vox ipſa ſignificat. Quod eo magis judico verum eſſe, quia lex Solonis idipſum vetat.* De hac voce vide quid notet V. CL. Iuſtus Lipſius libro Epiſtolic. quaeſt. IV. epiſt. XII.

TE NUNC II

Nonius Marcellus cap. IV. §. 385. *Parumper cito & velociter. Virgilius lib. VI:*

pulſuſque

pulsusque parumper
Corde dolor, tristi gaudet cognomine terrae.

Ennius Annalium libro I:

Te nunc sancta precor Venus & genetrix patri' nostri,
Ut me de coelo visas cognata parumper

Duplex, quod jam docui, Q. EnnI invocatio: prior, Musarum; posterior, Deorum Dearumque. Musas invocat, I. 8: hoc loco Deos Deasque; cui fini dixi, LXIII. 30. Calpurnius meus libro I. de Continentia Veterum poetarum: *Precatur*, inquit, *Ennius more poetarum Divos & Divas reip. Ro. parentes, auctores, custodes; Venerem, Minervam, Mavortem, Romulum & alios. Incipiebant enim*, ait Asconius Paedianus in Divinat. Cicer. *Veteres ab invocatione Deorum, quale est:* *Invocatio EnnI duplex* *Ab Deorum invocatione principium.*

Praefatus Divos solio rex infit ab alto;

aut ab reprehensione superioris temporis, ut ait Lucilius:

Vellem cum primis fieri, si forte petisset

Suspecta mihi vox ultima. Repono, quo mage clareat sententia; *pote essem. Pote* pro *potis* non semel mihi lectum; ut vicissim *potis* pro *pote*. Vtrumque servatum ab Ennio, qui invocat, I. Musas; II. Deos Deasque; & reprehendit superiorum temporum poetas. *Veteres* autem, ait Paedianus, intelligens, vir infinitae lectionis, non poetas solum, sed & alios scriptores. Exempla passim, huic firmando ritui, obvia. Τὼς θέλομένως, inquit Charondas Catanaeus apud Stobaeum de Legibus & Consuet. Sermone XLII. καὶ πράττοντας τι ἀπὸ θεῶν ἄρχεσθαι χρή. Suffragatur Xenophon de Cyri paidia libro I: πολλὰ γὰρ μοι συνόντες ἐπίςασθαι, ὀυ μόνον τὰ μεγάλα, ἀλλὰ καὶ τὸ τὰ μικρὰ πειρώμενον ἀπὸ θεῶν ὁρμᾶσθαι ἀεὶ. Et in Oeconomico: Καλῶς μοι δοκεῖς λέγειν, κελεύων πειρᾶσθαι σὺν τοῖς θεοῖς ἄρχεσθαι παντὸς ἔργου, ὡς τῶν θεῶν κυρίων ὄντων, ὀυδὲν ἧττον τῶν εἰρηνικῶν, ἢ τῶν πολεμικῶν ἔργων. Demosthenes etiam in Epist. *Omnis serij dicti & facti* *Lucilius correctus*

principium ab DIs immortalibus maxime ducendum cenſet. Cicero II. de Legibus, *capienda* docet *ab iiſdem agendi primordia:* Et in Vatinium, *omnium rerum magnarum exordia ab iis ſumenda* monet. Rationem omnium indicat tribus verbis Varro libro I. de re ruſtica: Namque *DI facientes adjuvant.* τὸ γὰρ ἄριστον, (addit praecedentibus Catanaeus) ὥσπερ ἁ παροιμία φατὶ, τὸν θεὸν ἦμεν ἄιτιον πάντων τούτων. Invocandus Deus; ſolus homo nihil poteſt. Scivit hoc Graecus vates, qui canit:

> Τηλέμαχ᾽ ἄλλα μὲν αὐτὸς ἐνὶ φρεσὶ σῇσι νοήσεις,
> Ἄλλα δὲ καὶ δαίμων ὑποθήσεται.

Quod uſurpatum etiam M. Tullio libro Epiſtolarum ad Atticum IX. Livius tamen negat hiſtoriographis in more poſitum, ut, quemadmodum poetae, operis ſui initio Deos invocent. *Sed querelae,* inquit, *ne tum quidem gratae futurae, quum forſitan & neceſſariae erunt: ab initio certe tantae ordiendae rei abſint, cum bonis potius ominibus, votiſque ac precationibus Deorum Dearumque, ſi, ut poetis, nobis quoque mos eſſet, libentius inciperemus, ut orſis tanti operis ſucceſſus proſperos darent.* Reſpicit mihi Livius ad Invocationem Deorum Dearumque, quae hic EnnI

DI Sancti

SANCTA 21.) In Precationibus DI plerumque *Sancti*, Deae *Sanctae*, appellati. Exempla apud V. CL. Barnabam Briſſonium (qui dira nuper & acerba morte periit) libro I. de formulis antiquis

Precor Venerorque

PRECOR 21.) Vox uſitata orantibus; qui tamen plurimum conjunctim *Precor venerorque* dicebant. Quae legere eſt apud nullum non auctorem: *Veneror* paullo poſt Ennio uſurpatur

VENUS 21.) V. N. Ioſephus Scaliger putat in Conjectaneis

ctaneis mentionem Veneris ab Ennio parum prudenter induci I. Annal. quo, inquit, ad III. uſque regiorum temporum geſta continuaſſe poetã, facile demonſtrari poteſt. Atqui Veneris nomen ſub regibus ignotum fuiſſe conſtat ex Varrone libro v. de L. L. Arnobio libro II. & alijs. Alia mihi mens, cum pace hoc dixerim magni viri: non enim haec verba adfinguntur ab Ennio alicui, qui ſub regibus vixit; ſed invocantis ſunt Venerem EnnI, cujus illa tempore Romanis nota

Ennius ab magno viro imprudentiae accuſatus;

A me defenſus

GENETRIX 21.) Sic Venerem appellant etiam apud Briſſonium, Suetonius in C. IulI Caeſaris vita; Appianus libro III. de bell. civil. Dio libris XLIII. & XLIX. Plinius libro VII. cap. XXXVIII. libro IX. cap. XXXV. libro XXV. cap. IV. & XII. Epitome LivI libri CXVI. Macrob. lib. I. Saturn. cap. XII. Solinus in Polyhiſt. Servius ad Virg. II. Georg. quibus praemittendi hoc loco Ennius, & Lucretius lib. I. in principio. *Genetrix* autem quur ſcribam, alibi doceo

Venus Genetrix

PATRI' NOSTRI 21.) Intellegit Aeneam Trojanum, qui reipublicae Ro. princeps; eam ob cauſſam toties ab Virgilio *Pater* appellatus. Ab eo Romani *Aeneadae* dicti Iuſtiniano Imperat. Novella XLVII. in praefat. cujus verba adſcribi digna: *Si quis reſpexerit*, inquit, *ad vetuſtiſſima hominum & antiqua reipublicae: Aeneas nobis, Trojanus rex, reipublicae princeps, & nos quidem Aeneadae ab illo vocamur. Genetricem* igitur *Aeneae* deſignat Ennius; *AEneadum* nominat Lucretius libro de rerum natura I:

AEneadum genetrix, hominum divomque voluptas,
Alma Venus . . . . . .

Aeneas pater

PARUMPER 22) Exponit Nonius cito, velociter. Vide num melius apud Feſtum Paullus Diaconus: *Parumper*

Parumper

significat paulisper, quasi per parum, hoc est valde parum. refertur autem ad tempus: quemadmodum usus Plautus in Amphitruone, Sc. Satin':

. . . *atque ipsa de me scio, cui voluptas*
Parumper data'st

TEQVE QVIREINE II

Nonius Marcellus cap. II. §. 394. *Hora Iuventutis Dea. Ennius Annalium libro* I:

Te Quirine pater veneror, Horamque Quirini

Ennius correctus

Teque Quireine, ut sibi constet Ennius, scripsi; utque haec superioribus tenacius adhaereant. Romulus invocatur, ut urbis Romae conditor. Post mortem enim inter Deos relatus Quirini nomine cultus ab Romanis

Quirinus

QVIREINE 24.) Romulus, unde Quirinus, variant scriptores. Alij appellatum sic volunt ab hasta, quae *Quiris* (quibusdam *Curis* dicitur) Sabinis. Legendi Ovidius II. Fast; Festus libro III. in ea voce, & Caelibari; Servius ad illud I. Aeneid. *Remo cum fratre Quirinus Iura dabant*; Isidorus libro Etymol. IX. cap. II: Alij, ut Varro lib. IV. de L. L. & quidam apud Ovidium, & Festum a Curibus, opulentissima Sabinorum urbe: Nonnulli apud eumdem Ovidium sic nominatum putant ab Civibus, qui, adscito in regni societatem T. Tatio, Quirites nuncupati. Servius etiam sic dictum auguratur, quod κοίρανος Graecis, qui rex Latinis.

Mars Quirinus

Sunt qui nuncupatum sic scribunt ab Marte, qui, Romuli pater, Quirinus Varroni dicitur lib. IV. de L. L. Servio ad lib. VI. Aeneidos, alijs. In Glossario etiam Ἄρης exponitur *Mars Quirinus, Mavors Gradivus:* tollenda enim distinctio male adjecta. Cujus qui mentis, nomen hoc illi, non in humanis agenti, sed jam consecrato, & in Deorum relato numerum imponunt. Consulendus Augustinus lib. II. de ci-

de civit. Dei, cap. xv. Unde Virgilius lib. vi. Aeneidos:

. . viden', ut geminae stent vertice cristae?
Et pater ipse suo superum jam signet honore:

quasi diceret, Viden' ut Mars ipse, Romuli pater, filium jam superum, & Deorum numero adscriptum suo honore, & Divinitatis & Cognominis, faciat insignem: Divinitatis quidem, ut divini honores illi tribuantur, ut Templum illi condatur, Flamen creetur, Dies festus instituatur; Cognominis vero, ut non secus ac pater, Quirinus posteris nominetur, & loca publica Mons & Porta inde appellentur. Quae notiora, quam ut multis a me probentur. Quorum ergo, non immerito Romulus Ovidio *Novus Mars* nuncupatur, qui lib. I. Fastor. canit: *Virgilio lux* *& Ovidio* *Novus Mars*

Et jam Dardaniae tangent haec littora pinus
Hic quoque caussa novi foemina Martis erit

Cui haec fini? ut ostenderem nutare omnes, nec minus me, nisi hoc, id quod est: Romulum etiam, quum in vivis ageret, *Quirinum* cognominatum: Linguam enim matrem & principem principes & duces appellare כָּרִים: inde primos Italiae cultores, Tuscos, aliosque, qui, quam dixi, lingua usi, *Corim* & *Curim* suos etiam principes, atque adeo suorum principum urbem ac domicilium, nominasse; manifesta ejus rei vestigia in Sabinis servata: Romulum autem, quum suis esset rex, Latina flexione *Corinum* vel *Curinum*, & posterioribus *Quirinum* dictum: Hastam autem, qua Curim, ut insigni regio, utebantur, ejusdem fuisse appellationis. Certe *per ea tempora reges hastas pro diademate habebant, quas Graeci σκῆπτρα dixere,* inquit Iustinus ex Trogi Pompei libro XLIII

PATER 24.) Deos omnes a precantibus Patres appellatos, docent infinita auctorum exempla. Quirini patris *DI Patres*

tris & aliorum meminit Lucilius apud Lactantium lib. IV. de vera ſapientia cap. III. Hic elegantiſſime, *Omnem*, inquit, *Deum, qui ab homine colitur, neceſſe eſt inter ſolemnes ritus & precationes Patrem nuncupari, non tantum honoris gratia, verum etiam rationis; quod & antiquior eſt homine; & quod vitam, ſalutem, victum praeſtat, ut pater. Itaque & Iuppiter a precantibus Pater vocatur, & Saturnus, & Ianus, & Liber, & ceteri deinceps; quod Lucilius in Deorum concilio irridet*

Vt nemo ſit noſtrum, quin pater optumu' Divom;
Aut Neptunu' pater, LIber, Saturnu' pater, Mars,
Ianu', QuirInu' pater, nomen dIcatur ad unum

M. Furius Camillus Dictator apud Livium lib. V. ab V. C. *Mars Gradive* (exclamat in nervoſa oratione, qua adverſus Tribunos plebis ſuadet non deferendam eſſe Romam, ut Vejos migraretur) *tuque Quirine pater, haec omnia in profano deſeri placet ſacra, aequalia urbi, quaedam vetuſtiora origine urbis?*

Hora Quirini — *Nonius correctus*

Horamqve qvirInI 24.) *Hora*, inquit Nonius, *Iuventutis Dea*. Scribo: *Hora, Iuventas Dea:* de qua vide Auguſtinum de Civit. Dei libro III. cap. XI. & libro VI. cap. I. Livium libro V. & XXXVI. In Gloſſario eſt *Iolinta*, ἥρα: Lego: *Ioventas*, ἥρα. Paullus Diaconus ex Feſti lib. XI: *Iuventutis ſacra pro juvenibus ſunt inſtituta*. Scripſit Feſtus *Iuventatis ſacra*. Ludorum Iuventatis meminit Cicero in Bruto. *Hora* autem *Quirini* celebratur etiam in Antiquis Orationibus apud Agellium libro XIII. cap. XXI. vide infra XII. 27

Gloſſarium emendat. Paullus emaculatus

Teqve pater II

Citat Macrobius libro VI. Sat. cap. I; qui cum verſu Enniano VirgilI hoc committit:

Tuque o Tibri tuo genitor cum flumine ſancto

Tiberinus

Tiberinus invocatur, ut cui adcolae Romani. Putant nonnulli hoc fragmentum pertinere ad Horatium Coclitem, qui, teſte Livio libro II. Tiberinum patrem precatur, ut ſua arma & ſe militem propitio flumine acciperet. Atqui hiſtoriam illam deſcribit Ennius libro Annalium IV: hoc autem fragmentum ab Macrobio abſque mendae ſuſpicione citatur ex libro I. Malui igitur pertinere ad EnnI Invocationem. Et Tiberinum intelligit forte Calpurnius per verba, *& alios*

TIBERINE 26.) Bene *Tiberine. Nam in Sacris*, teſte Servio ad lib. VIII. Aeneidos, *Tiberinus: in κοινολεξίᾳ, id eſt, communi ſermone, Tiberis; in Poemate, Tibris* (ſic legendum) *vocatur*. Tiberinum fecit Deum Romulus, quod ſcribit Auguſtinus de Civit. Dei lib. VI. cap. X. Deum ab Tiberi dictum, notat Varro libro IV. de L.L. Patris & illi nomen, quod reliquis etiam DIs commune, tribuitur hoc loco, & apud Livium libro II. Virgil. lib. IV. Georg. & VI. Aeneid. Claudian. de bello Getico, & apud Ped. Albinovan. in carmine conſolatorio ad Liviam

Servius leviter correctus

Tiberinus Deus, & Pater

CVM FLVMINE SANCTO 26.) *Sic enim*, ait Servius ad VIII. Aeneid. *invocabatur in precibus:* ADESTO TIBERINE CVM TVEIS VNDEIS. Ab hoc credo ritu Horatius Cocles, apud Livium, invocato Tiberino advocat & adprecatur propitium flumen: *Tiberine pater*, inquit, *te ſancte precor haec arma, & hunc militem propitio flumine accipias*

Livio non nihil lucis

MAVORS II

Hoc ex ſuperioribus CalpurnI verbis adſcripſi. Invocatur hic, quia pater Romuli. Dicam alibi. *Mamers* Oſca vox, Feſto libro XI; vel Sabina, Varroni libro IV. de L.L. Inde Latinis *Mars*; non, quemadmodum Varro ibidem addit, *quod*

Ab Varrone diſceſſum

Isidorus reprehensus

quod maribus in bello praesit: vel, ut nugatur, ſuo more, Iſidorus libro VIII. Etym. cap. x. *quaſi mas, quia per viros pugnatur; vel quaſi mortium effector.* Qui *Mars* alijs; poetis eſt, Paullo ſcribente ad Feſti librum XI, *Mavors*, κατ᾽ ἐπέκτασιν. Cicero tamen libro II. de natur. Deor. ſic, *quod magna vortat*, vocatum innuit; alij, *quod mares voret*: vere mares vorat Ἄρης τειχεσιπλήτης, αἱμοχαρὴς, μιαιφόνος & βροτολοιγὸς, ut eum appellat Homerus: neſcio tamen an Etymon acu tactum.

DAIDALA MENERVA II

Minerva Vrbis cuſtos

Dixit Calpurnius Deos hic ab Ennio Deaſque invocari, parentes, auctores, cuſtodes reip. Romanae: Minerva autem non ſemel M. Tullio urbis Rom. Cuſtos dicitur. πολιοῦχον vocat Dio cum alijs. Ciceronem etiam ſignum Minervae dedicaſſe Cuſtodis titulo, antequam iret in exſilium, auctores ſunt Plutarchus in ejus vita, & Dio libro XXXIIII. Vrbis, quae orbem debellaret, & debellato leges ſcriberet, merito Cuſtos illa, quam praefecerunt Veteres

Praeſes ſapientiae & belli

& Sapientiae, cujus ſedes Caput, unde illa fingitur nata; & rei bellicae. Canit enim Homerus hymno in Venerem de Minerva:

> ου γὰρ οἱ ἕυαδεν ἔργα πολυχρύσου Ἀφροδίτης;
> Ἀλλ᾽ ἄρά οἱ πολεμοίτε ἅδον καὶ ἔργον αρήος
> Ὑσμῖναιτε, μάχαιτε: καὶ ἀγλα᾽ ἔργ᾽ ἀλεγύνειν

Daedala

Daedala vocem praemiſi, audacior fortean, ex Paullo Diacono ad Feſtum. *Daedalam*, inquit ille, *a varietate rerum artificiorumque dictam eſſe apud Lucretium Terram, apud Ennium Minervam, apud Virgilium Circen; facile eſt intelligere quum Graece* δαιδάλλειν *ſignificet variare.* Lucretius non ſolum *Tellurem Daedalam* lib. I. de rerum natura nominat; ſed & *Linguam verborum daedalam*, libro IIII. *Naturam rerum daedalam*, libro V. *Carmina Chordeis daedala*, libro II. & *daedala ſigna*, libro V. *Menerva* autem ſcripſi, ſequutus Quintilianum libro I. cap. IV. Inſtit. cujus verba folio LVIII. 20

QVOM.

QVOM VETER II

Priscianus libro II: *Etiam Veterrimus notandum, quod, quum in us eius Positivum desinat, tamen formam in Er terminantium servat in Superlativo, Veterrimus, quasi a Veter Positivo; quod Capri quoque adprobat auctoritas, & usus antiquissimorum. Ennius:*

Quom veter occubuit Priamus sub Marte Pelasgo

Male in quibusdam exemplaribus *occuluit* legitur pro *occubuit*. *Priscianus emaculatus* Absolutis Propositione & duplici Invocatione, sequitur Narratio. *Narratio* Quid in singulis libris narret poeta, ad I. fragmentum obiter indicavi, LIV.32. Ab hoc loco, brevibus passim verbis, pertexitur a me perpetua rerum, quae a Priami morte ad EnnI obitum mille annorum spatio gestae, series & narratio: cujus hoc esto fundamentum:

HISTORIA

ANno ab orbe condito CIↃ CIↃ IↃ CCXXCVII. ANT.V.C. qui ante Christum natum CIↃ CXXCII. *(ut exactissimos sequar Chronographos:)* quum vicesimum octavum annum imperaret Teutanius, vicesimus septimus Assyriorum monarcha, *(Eusebio in Chronic. scribente:)* decimum vero octavum regnaret Mycenis Agamemnon, Atrei F. *(teste, praeter Eusebium, Dionysio Argivo apud Clementem Alexandrinum ςρωματέων λόγῳ δευτέρῳ:)* ante V.C. CCCCXXXII. CCCCXXXII. *(ut notat Dionysius Halicarnass. libro Antiq. Rom. I. Alij alium annorum numerum edunt:)* quinto Abdonis Pharothonitidis, Iudicis Israel, *(Iudicum capite* XII:*)* primo Demophoontis, Thesei F. regis Atheniensium, *(in-*

dicante Dionyſio Argivo, quem dixi:) tertio Polyphidis, Adraſti F. regis Sicyniorum, *(quod conſtat ex Euſebio:)* primo ab Tyro condita, *(ut eſt apud Juſtinum ex Trogi Pompei libro* xviii:*)* exercente apud Tuſcos tyrannidem Mezentio; Latino vero Fauni F. Pici N. Aboriginibus ad ſiniſtram Albulae ripam imperante, *(quemadmodum omnes produnt Hiſtoriographi:)* ὀγδόῃ φθίνοντος Θαργηλιῶνος, qui nobis x. Kalend. Iun. *(Plutarch. in Vitis, Dionyſ. Halic. lib.* 1. *& Rerum Atticarum ſcriptor apud Clementem Alexandrinum:)* decimo ſeptimo die ante Solſtitium aeſtivum *(Dionyſ. Halic.)* media nocte *(Parvae Iliados ſcriptor apud Clem. Alex)* quae nobis inter xxiii. & xxiv. MaI: capta eſt, diruta & incenſa ab Graecis Troja; occiſa, ſpectante patre, proles regia; manu denique Neoptolemi Achillis F. ad aram crudeliſſime trucidatus,

. . veter occubuit Priamus ſub Marte Pelaſgo.

Vrbe, quod antiquus fatorum terminus volebat, funditus everſa: Aeneas cum lecta Trojanorum iuventute *(qui Aeneſi dicuntur Paullo Diacono ex Feſti libro* 1.*)* circa Aequinoctium Autumnale *(Dionyſio Halic. notante libro* 1.*)* ex Phrygia ſolvit, non omnino cum laude: *(Patriae proditionem aperiunt pauci; a pleriſque varijs illa coloribus obducitur; Poetae non modo celant, ſed a multa virum in patriam patremque pietate commendant. Qui, quod in Cyro fecit Xenophon,*

Aeneam

Aeneam depingunt, non qualis fuerit, sed qualem esse oportuit. Eo pertinet versus Naevianus, qui a me citatus & emendatus folio L. 5. *quo nescio quis non alicuius sceleris insimulat, sed*

Blande & docte percontat Aineam, quo pacto
Trojam urbem liquisset . . . .)

& Hellesponto trajecto, in Thracia *(Dionys. Halic. Macedoniam nominat Livius libro* 1.*)* cum suis hiber- cccc xxxi
nat. Inde, sequente anno, veris initio in Siciliam *(nam de Africa expeditione ficta omnia)* profectus, reliquum anni tempus in insula nobilissima manet, comites ibi refovet, & patrem Anchisen, quem secum eo ex Phrygia vexerat, senio & morte confectum apud Drepanum sepelit. Aestatis medio navigat in cccc xxx
Laurentem agrum, ubi ab Latino Aboriginum rege & Evandro comiter exceptus, Laviniam regis filiam, Turno Rutulorum regi pactam, uxorem ducit. Turnus aegre ferens advenam sibi praelatum, bellum & Latino & Aeneae infert, auxilijs a Mezentio Etruscorum principe inpetratis. Neutra acies ex eo certamine laeta abit. Triumphatur Rutulus, Aeneas triumphat, sed amisso Socero *(Livius libro* 1*)* Gener, conjugis nomine, succedens in regnum, tres cccc xxix
annos Latinis imperio praeest, *(Dionys. lib.* 1.*)* & Lavini ab uxore moenia ponit; *(Dionys. libro* 1. *Isidorus libro* xv. *cap.* 1. *alij)* quod opidum primum stirpis

P 2 Troja-

cccxxvi Trojanae *(apud Varronem lib.* IV. *de L.L.)* Quarto regni sui anno contra Rutulos & Mezentium regem iterum pugnans, soceri fatum sequutus, cadit, septimo fere post captum Ilium anno *(Dionys. lib.* I.) a suis consecratur, Iovis Indiges dicitur, dicatur illi Templum. *(Livius libro* I. *Dionysius libro saepe dicto, Festus libro* IX. *Tibullus lib.* II. *Ovidius libro* XIV. *Metamorph. alij)*

Veter Priamus

VETER 36.) Sic etiam appellari videtur Priamus in carmine, quod illi scribit Attius, apud Varronem libro VI. de L.L. Locus in vulgatis mendosior: *In carmine Priami apud Attium quod est, Veteres Casmenas cascas res volo profari & primum.* Emendo, distinctione adhibita:

Attius apud Varr. correctus

. . veterem, Casmenai, cascas res, volo profarier
Priamum . . . .

Priamus, cascae res, Senex

ubi *Priamus* etiam per Appositionem, ut cum Grammaticis loquar, *cascae res.* Rex idem *Senex* dicitur Propertio libro II. Eleg. XXVIII:

Et quot Troja tulit, vetus & quot Achaia formas,
Et Phoebi, & Priami diruta regna senis.

Dardanius Senex appellatur ab Ovidio III. Trist. Eleg. V:

Majus apud Trojam forti quid habemus Achille?
Dardanij lacrumas non tulit ille senis

CORPORE II

Quatuor hoc loco versus optimo sensu conjuncti. Primus unice est apud M. Terentium Varronem libro VI. de L.L. Ait enim:

Corpore Tartarino prognata Paluda virago:

S i *Tarta-*

Tartarino a Tartaro dictum. Plato in quarto de fluminibus, apud inferos quae ſint, in heis unum Tartarum appellat: quare Tartari origo Graeca. Paluda a paludamenteis. Sunt haec inſignia & ornamenta militaria. Ad quem locum notat V. N. Ioſephus Scaliger in EnnI verbis purum putum eſſe Hellenismum:

Ταρτάρου ἐκγεγαῦα μελάμπεπλος ἀντιάνειρα;

& Enniano verſu deſignari Alecto, Furiarum primam, quam apud Maronem horrenda Iuno

. . . dirarum ab ſede ſororum
Inferniſque ciet tenebris: cui triſtia Bella
Iraeque, Inſidiaeque, & Crimina noxia cordi:
Odit & ipſe pater Pluton; odere ſorores
Tartareae monſtrum, tot ſeſe vertit in ora,
Tam ſaevae facies, tot pullulat atra colubris:

quamque his adloquitur & verbis acuit:

Hunc mihi da proprium Virgo ſata Nocte laborem.

Quod ſi verum, non video quo ſenſu huic adnectatur ſecundus verſus apud Probum ad VI. Virgilij Eclogam: *Si ergo*, inquit, *Coelum pro Igni acceperimus: ſupereſt in eo, quod ait; Spiritus intus alit; Aerem dictum praeſumamus. Hic eſt etiam, qui nobis vivendi ſpiritum commeatum* (meliora mihi exemplaria deſunt; divino legendum, *Hic eſt enim qui nobis viventibus ſpiritum commeantem*, id eſt, ultro quaſi citroque euntem; vel *comitantem* perpetuo) *largitur. Hoc* (vocabulo *Spiritus*) *illum* (*aerem*) *& Ennius appellavit in Annalibus:* *Diſceſſum modeſte ab mente magni viri* *Probus emendatus*

Corpore tartareo prognata palude virago;
Quoi par Imber, & Ignis, Spiritus & gravi' Terra

Paludam virginem corpore prognatam tartarino innuit Ennius apud Varronem: idem apud Probum ſcribit viraginem, quaecumque illa ſit, corpore eſſe tartarino, palude progna-

prognatam; & paria illi facit Imbrem, Ignem, Spiritum & Terram. Haereo, utrum Varronis sint an vero Probi probiora; & quae probem, non video: utriusque locus non caret vitio. Agitur de rerum omnium principijs, quibus emoliendis quae partes possunt esse vel Viragini, quae Ennio apud Probum palude prognata, id est, ut nonnulli interpretantur, Minervae, quam ad Tritonidem paludem constat editā; vel Alecto virgini, quae Iunoni apud Virgilium nocte sata; vel denique Paludae, id est, ut Varro videtur elicere, Paludatae viragini, &, ut quidam exponūt, Minervae Paludatae; cui alia ab re militari dederunt Antiqui cognomina, Νίκης & λαφρίας Athenienses; Ἀθρυτώνης Phlyenses & Myrrhinusij; Ζωστηρίας Thebani; *Bellonae* vel *Duellonae* Latini; Παλλάδος multi; alia alij. Immane quantum intricata omnia & incerta. Videant mihi majora ingenia, an quid medicinae & lucis poetae nostro accedere possit ab Diodoro Siculo, cujus Bibliothec. Histor. libro I. haec verba: Τὸν δ' ἀέρα προσαγορεῦσαι φασὶν Ἀθηνᾶν, μεθερμηνευομένης τῆς λέξεως, καὶ Διὸς θυγατέρα νομίσαι ταύτην, καὶ παρθένον ὑποστήσασθαι, διά τε τὸ ἄφθαρτον εἶναι φύσει τὸν ἀέρα, καὶ τὸν ἀκρότατον ἐπέχειν τόπον τοῦ σύμπαντος κόσμου. διόπερ ἐκ τῆς κορυφῆς τοῦ Διὸς μυθολογηθῆναι συνέβη ταύτην γενέσθαι. ὠνομάσθαι δὲ αὐτὴν Τριτογένειαν ἀπὸ τοῦ τρὶς μεταβάλλειν αὐτῆς τὴν φύσιν κατ' ἐνιαυτὸν, ἔαρος, καὶ θέρους, καὶ χειμῶνος. λέγεσθαι δ' αὐτὴν καὶ Γλαυκῶπιν, οὐχ, ὥσπερ ἔνιοι τῶν ἑλλήνων ὑπέλαβον, ἀπὸ τοῦ τοὺς ὀφθαλμοὺς ἔχειν γλαυκοὺς (τοῦτο μὲν γὰρ εὔηθες ὑπάρχειν) ἀλλ' ἀπὸ τοῦ τὸν ἀέρα τὴν πρόσοψιν ἔχειν ἔγλαυκον. Sane dulcis hinc Auctorum, quos nominavi, conspiratio oritur. Nam quae Diodoro Ἀθήνη παρθένος; alijs vero *Pallas Virgo*; ea Ennio apud Varronem & Probum *Paluda virago*; utrobique autem *Aer*; cui quae sequuntur apud Probum, rectissime paria, *Imber, Ignis spiritus, Terra*. Sic salva Probo erit sua de omnium rerum initijs disputatio; & Varro, qui omnium vocum Latinarum fontes apud ipsos quaerit Latinos, non absurde *Paludam* imaginabitur ut *Paludatam*, quamvis *Paluda* EnnI vere mihi

Turnebum de signo lib. XXIII. Advers. cap. XVI.

Minervae ab re militari cognomina

Diodoro lux

Ennio

Probo

Varroni

mihi ſit Graeca *Pallas*, haéc autem non a Paludamentis Romanorum, ſed *ἀπὸ τȣ̃ πάλλειν τὸ δορὺ* dicatur. Non notat ibi Varro, quid ſit EnnI Paluda, ſed, amore ſuae linguae, unde ſiet. Ennius, ut, quid hic velit, doceam, anteaquam deſcriptionem occipiat Albanarum rerum, regum, qui Albae dominati, majores aperit, ab ipſo fere ovo & rerum omnium principijs: quae illi quatuor hoc loco: I. *Aer* (delineatus, ut jam monui ex Diodoro, in verſu *Corpore Tartarino*) II. *Aqua* (quam ſequenti verſu vocat *Imbrem*) III. *Ignis* (qui poetae *Ignis Spiritus*, *πυρὸς μένος*, ut docte notat V. N. Ioſeph. Scaliger) IIII. *Terra* (quae *gravis* eleganter appellatur) Haec inquam, Ennio quatuor rerum principia, ita tamen, ut ea etiam aliunde nata adſerat, quum paullo poſt addit:

Principia rerum omnium quatuor Ennio

Quos omneis Erebo perhibent & Nocte creatos

Eadem edit noſter poeta ex ſententia Epicharmi Pythagoraei, apud M. Varronem lib. I. de re ruſtica cap. IV: *Ejus principia* (loquitur de Agricultura) *ſunt eadem, quae Mundi eſſe Ennius ſcribit: Aqua, Terra, Anima & Sol. Animam* hoc loco *Aerem* vocat, *Solem* vero *Ignem*: quod erudite monet V.CL. Hieronymus Columna. *Epicharmi* autem addidi, inductus ab Menandro, cujus de illo hi verſus:

Ο μὴν Επίχαρμος τοὺς θεοὺς ἔιναι λέγει
Πῦρ, ἥλιον, γῆν, ὕδωρ, ἀνέμους, ἀςέρας

Locus hic ſuo quodammodo jure poſtulat, ut de Univerſi, quod videmus, & Efficiente & Materia pauca delibem. De ijs ingens eſt inter Philoſophos alioſque controverſia. Eorum nonnulli Cauſſam Efficientem, quae Materiam deinde vel ex nihilo parat, vel paratam ab aeterno adſumit, reſpiciunt: plerique, poſthabito Efficiente, circa Materias, vel unam vel plures, verſantur: alij alia imaginantur principia. Primae claſſis ſumus imprimis Chriſtiani. Dicere enim audemus cum Moſaeo, qui eruditus

Variorum ſententiae de rerum principijs

Moſaei & Chriſtianorum

ditus quidem omni ſapientia Aegyptiorum, ut de illo teſtatur Ambroſius libro 1. Hex. cap. II. non perſuaſus tamen ab humana ſapientia, ſed a ſpritu ſancto & ipſa veritate edoctus, tamquam teſtis divini operis, Geneſeos initio ſic ſcribit: *In Principio creavit Deus Coelum & Terram. Terra autem erat inanis & vacua, & Tenebrae erant ſuper faciem Abyſſi: & Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, & quae ſequuntur. Totius hic univerſi ex nihilo (quod negant cum Democrito, Epicuro, Diogene, Ariſtotele, alijs, Lucretius libro de rer. nat. 1. & Perſius Satyra III.) Unitrinum Conditorem ſancte confitemur: *Patrem*, in verbis *creavit Deus*; *Filium*, quum dicimus *In Principio*; *Spiritum ſanctum*, quum addimus, *Et Spiritus Domini*, vel *Dei ferebatur ſuper aquas*. Et Trinitatem, quae ex nihilo omnia creavit, & creata ſingulari providentia conſervat, inculcant nobis principes litterae in myſtica voce בראשית, quae ordine prima ſacroſanctam γενέσεως hiſtoriam orditur. Nam א Patrem deſignat, qui אב Hebraeis; ב Filium, qui בן ijſdem; ר vero Spiritum, qui רוח. Eamdem proponit regius Propheta Pſalmo XXXII. *Verbo Domini Coeli firmati ſunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*. Moſaei de Creatione Mundi teſtimonium proxime ſequuti Orpheus, Sophocles, Plato, Ovidius, & Anthiſtenes.

Orphei

Orpheus Deum verum, magnum, πρωτόγονον appellavit, ante ipſum nihil fuiſſe genitum, ab ipſo omnia eſſe generata faſſus, quemadmodum de eo ſcribit Lactantius libro 1. de falſa relig. cap. V. Ejuſdem, huic ſtabiliendae ſententiae, ſunt & hi verſus:

Εἷς δ᾽ ἐς᾽ αὐτογενὴς, ἑνὸς ἔκγονα πάντα τέτυκται.
Ἐν δ᾽ αὐτοῖς αὐτὸς περινίσσεται· οὐδέ τις αὐτὸν
Εἰσοράα θνητῶν, αὐτὸς δέ γε πάντας ὁρᾶται.

Vide Clementem Alexandrinum Προτρεπτικ. πρὸς Ελλ. ubi &

Sophoclis

Sophocles:

Εἷς ταῖς ἀληθείαισιν, εἷς ἐςὶν θεὸς,

Ὅς οὐρανόν τ' ἔτευξε, καὶ γαῖαν μακρὴν,
Πόντον τε χαροπὸν οἶδμα, κἀνέμων βίας:

& quae ibi sequuntur. Longum sane esset alios veteres poetas, qui non aliter sentientes de stupendo hoc artificio apud Graecos olim floruerunt, huc advocare. Platonem potius audiamus, Aristonis F. Atheniensem, qui apud Diogenem Laertium lib. III. adserit, δύο τῶν πάντων ἀρχὰς, Θεὸν (quem idem teste Lactantio lib. I. Fabricatorem Mundi vocat) καὶ ὕλην. Deum appellat Νοῦν & Αἴτιον; Materiam vero agnoscit ἀσχημάτιστον καὶ ἄπειρον; & ex illa fieri addit συγκρίματα; eamque, quum aliquando temere & inordinate moveretur, a Deo in locum unum coactam; hujusmodi autem οὐσίαν in quatuor στοιχεῖα conversam, πῦρ, ὕδωρ, ἀέρα, γῆν; ex ijs τὸν κόσμον, καὶ τὰ ἐν αὐτῷ nata. Et paullo post idem vult τὸν θεὸν αἴτιον εἶναι τῆς ὅλης γενέσεως, τὸ δὲ οὐρανοῦ τῆς γενέσεως τὸ ἄριστον αἴτιον, τὸν δὲ κόσμον συνεστάναι ἐκ πυρὸς, ὕδατος, ἀέρος, γῆς. Ex Igne quidem, ut visibilis sit; ex Terra, ut solidus; ex Aqua & Aere, ut ἀνάλογος & proportione non vacet; ex omnibus vero, ut perfectus & immortalis. Ipse Plato in Timaeo; οὕτω δὲ πυρός τε καὶ γῆς, inquit, ὕδωρ ἀέρα τε ὁ Θεὸς ἐν μέσῳ θεὶς, καὶ πρὸς ἄλληλα καθ' ὅσον ἦν δυνατὸν ἀνὰ τὸν αὐτὸν λόγον ἀπεργασάμενος: quae sic interpretatur M. Tullius de universo: *Ita contingit, ut inter Ignem & Terram Aquam Deus Animamque poneret, eaque inter se compararet & proportione conjungeret.* Imo Timaeus Platonis totus in eo est, ut Deum probet hujus universitatis parentem, pulcerrimique operis molitorem, fabricatorem, effectorem. Ovidius, eodem Lactantio teste, in principio praeclari operis sine ulla nominis dissimulatione a Deo; quem fabricatorem Mundi, quem Rerum opificem vocat; Mundum fatetur instructum. Sic enim canit I. Metamorphos.

(Marginal notes: Platonis; Ovidii)

Ante Mare & Terras &, quod tegit omnia, Coelum,
Unus erat toto Naturae vultus in orbe,

Q   Quem

Quem dixere Chaos, rudis indigeſtaque moles:
Nec quidquam, niſi pondus iners, congeſtaque eodem
Non bene junctarum diſcordia ſemina rerum

Et paullo poſt:

Hanc Deus, & melior litem Natura diremit.
Nam Coelo Terras, & Terris abſcidit Undas,
Et liquidum ſpiſſo ſecrevit ab Aere Coelum

Deinde:

Sic ubi diſpoſitam quiſquis fuit ille Deorum
Congeriem ſecuit, ſectamque in membra redegit

Et:

Sic onus incluſum numero diſtinxit eodem
Cura Dei . . . .

Item:

His quoque non paſſim Mundi fabricator habendum
Aera permiſit . . . .

Denique:

Sanctius his Animal, Mentiſque capacius altae
Deerat adhuc, & quod dominari in caetera poſſet,
Natus homo eſt: ſive hunc divino numine fecit
Ille Opifex Rerum, Mundi melioris origo

Et quae multa ibi alia de admirando Dei opificio & praeclara Mundi ſtructura. Quam divine divini, vates Orpheus, & Sophocles, & Philoſophus Plato! quam Ovidius non Chriſtianus Chriſtiane! Hujus ſane pleraque ex Moſaeo parent tranſſcripta. Quod ſi vel illi vel hic, *quae, Natura ducente, ſenſerunt, in perpetuum defendiſſent: eamdem, quam nos ſequimur doctrinam, comprehenſa veritate, tenuiſſent,* inquit Lactantius, quem dixi, loco

Iam Antiſthenes Athenienſis, quamvis multos Deos populares agnoſceret, unum tamen dixit naturalem, id eſt, ſummae totius artificem. Legendus Lactantius *Antiſthenis*

Secunda claſſis eorum, qui Efficientem non Dei nomine oſtendunt; ſed vel Ἑνὸς, vel Νοὸς, vel *Spiritus*, vel Ἀγαθοῦ Δαίμονος, vel denique Ποιοῦντος appellatione obvelant; qui ſane non longe fuerunt a veritate, ut de Virgilio teſtatur Lactantius. Clemens enim Alexandrinus ϛρωματ. λογ. quinto, ſupremum illud Numen nomen non unum habere, ſed varie ab varijs appellari ſcribit, ἤτοι Ἕν, ἢ τ᾽ Ἀγαθὸν, ἢ Νοῦν, ἢ αὐτὸ τὸ Ὄν, ἢ Πατέρα, ἢ Θεὸν, ἢ Δημιουργὸν, ἢ Κύριον

Muſaeus Eumolpi F. qui cũ Lino circa Trojana tempora floruit (teſte Theodoreto ad Graecos Infidel. ſerm. IV.) quique diſcipulum habuit Orphea, (ut notat Clemens Alexandr. ϛρωματ. λογ. primo) docet (docente Laertio in Prooemio) ἐξ Ἑνὸς τὰ πάντα γίνεσθαι, καὶ εἰς ταυτὸν ἀναλύεσθαι. *Muſaei* Anaxagoras Clazomenius Hegeſibuli F. πάντα χρήματα γεγονέναι ὁμοῦ, νοῦν δ᾽ ἐλθόντα αὐτὰ διακοσμῆσαι, canit in Operis ſui principio, & de eo Timon Phliaſius in Sillis. Meminerunt Diogenes Laertius libro II. Plutarch. de Placit. Philoſoph. Ariſtot. de Phyſic. auſcult. Scribit etiam Cicero de nat. Deor. Anaxagoram primum *omnium rerum deſcriptionem & modum Mentis infinitae vi ac ratione deſignari & confici* voluiſſe: in eo non vidiſſe, *neque motum ſenſui conjunctum & continentem in Infinito ullum eſſe poſſe, neque ſenſum omnino, quo non ipſa natura pulſa ſentiret.* Clemens Alexandrinus Προτρεπτικ. πρὸς Ἕλληνας: Ἀναξαγόρας ὁ Κλαζομένιος, καὶ ὁ Ἀθηναῖος Ἀρχέλαος τὸν Νοῦν ἐπεστησάτην τῇ ἀπειρίᾳ. Fuit autem Anaxagoras imprimis Anaximenis ſtudioſus: οὗτος, ait de illo Laertius, ἤκουσεν Ἀναξιμένους, accepit ab Anaximene diſciplinam, inquit Cicero I. de Nat. Deor. Strabo item libro Geogr. XIV. Κλαζομένιος δ᾽ ἦν ἀνὴρ ἐπιφανὴς Ἀναξαγόρας ὁ φυσικὸς, Ἀναξιμένους ὁμιλητὴς τοῦ Μιλεσίου. διήκουσε δὲ τούτου Ἀρχέλαος ὁ φυσικὸς, καὶ Εὐριπίδης ὁ ποιητής. Le-

Anaxagorae

 gendus

gendus & Laertius in vita Archelai. Lapſus eſt Sudas vel ejus exſcriptor, qui Anaxagoram hunc diſcipulum videtur facere Archelai: Ἀναξαγόρας, legitur, ὁ φυσικὸς, Ἀναξιμένους μὲν ἦν ὁμιλητὴς τοῦ μιλησίου: διδάσκαλος δὲ Ἀρχέλαος ὁ φυσικὸς καὶ Εὐριπίδης ὁ ποιητής.

Sudas emendatus

Suadet verborum contextus, & ſuadent cum Strabone tempora, ut legamus: Διδάσκαλος δὲ Ἀρχελάου τοῦ φυσικοῦ, καὶ Εὐριπίδου τοῦ ποιητοῦ.

VirgilI

Sequitur Virgilius, cujus de ſummo Deo, omnium rerum opifice, quem Spiritum ac Mentem (νοῦν Anaxagoras & alij) nominat, haec ſunt verba:

Principio Coelum ac Terras, Campoſque liquenteis,
Lucentemque globum Lunae, Titaniaque Aſtra
Spiritus intus alit; totamque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet

Probus improbus Virgilij interpres

Spiritum eo loco Probus improbe interpretatur ad VI. Virg. Eclogam, non Efficientem Univerſi *Deum*, ſed ejus Materiam, *Aerem*; & confirmando quod ſentit, advocat hoc EnnI:

Quoi par imber & ignis ſpiritus & gravi' terra

quum *Spiritus* ibi non *Aer*; ſed conjunctim *Ignis ſpiritus*, qui Homero μένος πυρὸς, id eſt, *Vis ignis*. *Aer* autem, ut ex Diodoro dixi, Ennio deſcribitur in *Paluda Viragine*. Melius

ServI pulcra de rerum principijs opinio

Servius ad locum Virgilij jam indicatum: *Quatuor*, inquit, *ſunt Elementa, Terra, Aqua, Aer, Aether; & Deus: praeter haec nihil eſt aliud: & hoc* τὸ πᾶν *Mundum non poſſumus dicere. Nam Mundus non eſt Totum. Ergo Deus eſt quidam divinus Spiritus, qui per quatuor infuſus elementa gignit univerſa:* & quae multa ibi notatu digna. Idem paullo poſt, ubi Virgilius *Spiritus intus alit*, *Divinus*, ait, *& eſt unum, ſive Mentem dicat, ſive Animum, ſive Spiritum. Intus alit; Vegetat & in aeternitate cuſtodit, quia mixtus eſt, & nulla pars Elementi ſine Deo eſt.* Pergo ad perrogandum aliorum ſententias.

Magi

Magi δυό εἶναι ἀρχὰς tradunt ἀγαθὸν δαίμονα, καὶ κακὸν δαίμονα; & quod illi quidem nomen ſit Ζεὺς καὶ Ὡρομάσδης; huic vero Αδης καὶ Αρειμάνιος; apud Ariſtotelem primo de Philoſophia libro; Hermippum primo de Magis, Eudoxum ἐν τῇ Περιόδῳ; Theopompum octavo τῶν φιλιππικῶν. Ευδαίμων Generans, qui procreat omnia & conſervat; κακοδαίμων Cauſſa eſt Corrumpens, quae abolet eadem & labefactat. Μάγοι autem Perſis erant, qui Aegyptijs Προφῆται; Aſſyrijs Χαλδαῖοι; Gallis Δρυΐδαι & Σαμαναῖοι; Bactris & Celtis Φιλοσοφήσαντες; Indis Γυμνοσοφισταὶ; alijs Φιλόσοφοι βάρβαροι: quemadmodum eleganter ſcribit Clemens Alexandrinus στρωματ. λογ. πρωτ. Magi certe apud Perſas Deorum vacabant cultui; preces illis, vota, ſacrificia obferebant; de Deorum ſubſtantia & generatione diſſerebant; ſigna & ſtatuas reprehendebant; de Iuſtitia verba faciebant; iniquum arbitrabantur πυρὶ θάπτειν; iuſtum vero matri ac filiae miſceri; μαντικὴν & πρόῤῥησιν exercebant; adſerebant Deos ſibi adparere; plenum eſſe aera daemonibus; προκοσμήματα & χρυσοφορίας interdicebant: Veſtis ijs candida; Lectus, humus; Eſca, Olus, Caſeus & Panis cibarius; Arundine pro baculo utebantur, cujus in ſummo praefixum caſeum ori adplicantes mandebant; Ignem, Terram, Aquam Deos colebant; Daemonas ſervitio ſuo obſtrictos jactabant; grandinem minantem abigebant incantatione & ſacrificijs. Legendi Clemens Alexandr. προτρεπτικ. πρὸς Ελλην. Στρωματ. λογ. tertio & ſexto; Zotion, Hermodorus, alij apud Diogenem Laertium. Magicae illos divinationis ignaros male tradunt Ariſtoteles libro quem μαγικὸν inſcripſit, & Dinon quinto Hiſtoriarum libro. Hi tales, quod obiter notat Clemens Alexand. στρωματ. λογ. primo, τοῦ Σωτῆρος προεμήνυσαν τὴν γένεσιν, ἀστέρος αὐτοῖς καθηγουμένου εἰς τὴν Ιουδαίαν ἀφικνούμενοι γῆν. neque ſolum (ut idem ſcribit in Epitomis ἐκ τῶν Θεοδότου &c.) ἀστέρα noverunt Domini;

Magorum

Ariſtoteles notatus & Dinon

Domini; ſed &, quod verum, didicerunt, ὅτι βασιλεὺς ἐτέχθη; καὶ ὢν βασιλεὺς, ὅτι θεοσεβῶν

Zenonis
Cleanthis
Chryſippi
Archedemi
Poſidoni

Zeno Mnaſeae F. Cittieus περὶ οὐσίας, libro, item περὶ ὅλου; Cleanthes περὶ ἀτόμων; Chryſippus I. Phyſicorum in fine; Archedemus περὶ στοιχείων, & Poſidonius ſecundo φυσικοῦ λόγου; ejus ſunt mentis, duo eſſe rerum omnium principia, τὸ Ποιοῦν καὶ τὸ Πάσχον. Πάσχον quidem eſſe τὴν ἄποιον οὐσίαν τὴν ὕλην; Ποιοῦν vero τὸν ἐν αὐτῇ Λόγον τὸν Θεὸν (Hoc omnino notandum; Verbum Deum agnoſcunt univerſi Efficientem: quam prope abſunt ab rege propheta, qui canit, *Verbo Domini Coeli firmati ſunt!*) τοῦτον γὰρ ὄντα ἀΐδιον διὰ πάσης αὐτῆς δημιουργεῖν ἕκαστα: (*qui per quatuor infuſus Elementa gignit Vniverſa*, dixit jam Grammaticus Servius non Grammatice) Vnum Deum eſſe, eum κατ᾽ ἀρχὰς καθ᾽ αὐτὸν ὄντα τὴν πᾶσαν οὐσίαν δι᾽ ἀέρος εἰς ὕδωρ convertiſſe; tum genuiſſe primum quatuor Elementa, πῦρ, ὕδωρ, ἀέρα, γῆν: Diogene teſte libro VII. Quin &

Zenonis firmior de univerſi efficiente opinio

Zeno apud Theodoretum ſermone IIII. ad Graecos infidel. propius ad Veritatem accedit, Dei primi omnium auctoris nomen non celat; τὸν Θεὸν, ait de illo, quem laudavi, καὶ τὴν ὕλην ἀρχὰς ἔφησεν εἶναι

Belliſſimae igitur fabricae parens & auctor, Deus: Moſaeo quidem & nobis verus ille, quem Sacrae nos litterae docent; Orpheo, Sophocli, Platoni, Ovidio & Antiſtheni, quem ipſa Natura ob oculos obſcurius ponebat; Muſaeo denique, Anaxagorae, Virgilio, Magis, Zenoni, Cleanthi, Chryſippo, Archedemo & Poſidonio, qui ſecretiore Ἑνὸς, Νόος, Spiritus, Ἀγαθοῦ Δαίμονος, & Ποιοῦντος velo obductus. Nam quamvis varia ab varia virtute Deo nomina, res tamen una Deus, qui vere τὸ Ἓν, qui, quum a ſeipſo, ut ſit, accipit a nullo; a quo vno, quum omnibus vere ſit Νοῦς, Spiritus & ἀγαθὸς Δαίμων, quique ſolus quaecumque fecit, omnia; non a ſeipſis ſunt & conſtant; qui ſolus menſus eſt pugillo aquas,

aquas, ſolus Coelos palmo ponderavit, ſolus adpendit tribus digitis molem terrae. ὀυδὲ γὰρ ἐςιν, οὗ μὴ τὴν ἀιτίαν τοῦ εἶναι ὁ θεὸς παρέχεται. Κἀκείνου ἕνεκεν τὰ πάντα; κἀκεῖνο ἄιτιον ἁπάντων καλῶν

Neque longe ab ſuperioribus abit Pythagoras Mneſarchi F. Samius, Pherecydis diſcipulus, Italicae ſectae conditor, qui primus Philoſophum ſe nominavit. Hic adſeverat apud Alexandrum ἐν ταῖς τῶν φιλοσόφων διαδοχαῖς, magni primordia mundi eſſe Μονάδα, ἐκ δὲ τῆς Μονάδος ἀόριςον Δυάδα, ὡς ἂν ὕλην τῇ Μονάδι ἀιτίῳ ὄντι ὑποςῆναι; ex Unitate vero & indefinita Dualitate τοὺς Αριθμοὺς gigni; ex Numeris τὰ Σημεῖα; ex his τὰς Γραμμὰς; inde τὰ ἐπίπεδα σχήματα; hinc τὰ ςερεὰ Σώματα; eorum & quatuor Στοιχεῖα eſſe Πῦρ, Υδωρ, Γῆν, Αέρα; ex ijs fieri Κόσμον ἔμψυχον, νοερὸν, &c. Idem apud Iuſtinum Philoſophum & Martyrem λόγῳ παραινετικῷ πρὸς Ελλην. eodem ſenſu ἀρχὰς dicit eſſe τοὺς Αριθμοὺς καὶ τὰς Συμμετρίας, &, quae ex ijs conſtant, Αρμονίας; & ex utriſque συνθετα ςοιχεῖα, nec non Μονάδα καὶ τὴν ἀόριςον Δυάδα. Unitatis Deus auctor, qui ſupra illam. Εν δὲ ὁ Θεὸς (inquit Clemens Alexandr. παιδαγώγου libro I.) καὶ ἐπέκεινα τοῦ Ενὸς, καὶ ὑπὲρ ἀυτὴν Μονάδα. Pythagoras autem ille, qui, ut canit Ovidius lib. xv. Metamorph.

Mente Deos adijt, &, quae natura negabat
Viſibus humanis, oculis ea pectoris hauſit

Succedit tertius ordo, eorum, qui Cauſſam non Efficientem (quam dubium non eſt eos tacite vel τὸν Θεὸν, vel τὸ Εν, vel τὸν Νοῦν, vel Spiritum, vel τὴν Τύχην, vel denique quid aliud intellexiſſe) ſed Materialem, Elementa inquam prima huic tam venuſto operi advocant; eaque, unum vel Plura: circa unum verſantur Anaximenes, Diogenes, Heraclitus, Stoici, Thales

Anaximenes Euryſtrati F. Mileſius, Anaximandri auditor apud M. Tullium in Lucullo; *Infinitum Aera eſſe dicit, ex quo omnia gignerentur.* Idem Tullius libro I. de Natura Deor. *Anaximenes*, inquit, *Aera Deum ſtatuit, eumque gigni, eſſeque*

Pythagorae

Anaximenis

esseque immensum & infinitum, & semper in motu. Augustinus lib. VIII. cap. II. (videndum & cap. V.) *Iste* (ait de Anaximandro) *Anaximenem discipulum & successorem reliquit; qui omnes rerum caussas Infinito Aeri dedit: nec Deos negavit aut tacuit; non tamen ab ipsis Aerem factum, sed ipsos ex Aere ortos credidit.* Quae Tulli & Augustini faciunt ut credam corruptum locum apud Diogenem Laertium libro II. ubi de Anaximene, οὗτος, inquit, ἀρχὴν Ἀέρα εἶπε, καὶ τὸ ἄπειρον. Legendum enim Ἀέρα εἶπε τὸν ἄπειρον. Sic & Archelaus apud Plutarchum, ut postea dicam, Ἀέρα ἄπειρον putat esse rerum principium. Ad Anaximenem redeo, ab cujus opinione Ἀέρα simpliciter nominant Plutarchus & Iustinus martyr. Ille περὶ τῶν Ἀρεσκ. Ἀναξιμένης ὁ Μιλήσιος ἀρχὴν τῶν ὄντων Ἀέρα ἀπεφήνατο. ἐκ γὰρ τούτων τὰ πάντα γίνεσθαι, καὶ εἰς αὐτὸν ἀναλύεσθαι. Hic vero λογ. παραινετ. πρὸς Ἑλλ. Τρίτος Ἀναξιμένης, inquit, καὶ οὗτος ἐκ τοῦ Μιλήτου ὑπάρχων, Ἀέρα τοῦ παντὸς ἀρχὴν εἶναι λέγει. ἐκ γὰρ τούτου τὰ πάντα γίνεσθαι, καὶ εἰς τοῦτο πάντα ἀναλύεσθαι φησίν

Diogenes emendatus

Diogenis

Diogenes Apollothemidos F. Apolloniates, Anaximenis auditor, apud Diogenem Laertium lib. IX. & Theodoretum ad Graecos infideles λόγῳ δ. περὶ ὕλης καὶ κόσμου, scribit Στοιχεῖον esse τὸν ἀέρα, κόσμους ἀπείρους, καὶ κενὸν ἄπειρον; τὸν τ᾽ Ἀέρα πυκνούμενον καὶ ἀραιούμενον γεννητικὸν εἶναι τῶν κόσμων: οὐδὲν ἐκ τοῦ μὴ ὄντος γίνεσθαι, οὐδ᾽ εἰς τὸ μὴ ὂν φθείρεσθαι. Sic M. Tullius libro I. de natura Deorum: *Quid Aer, quo Diogenes Apolloniates utitur Deo, quem sensum habere potest, aut quam formam Dei?* Hunc Aerem compotem rationis (ut caussae Efficientis) idem dicit apud Augustinum de Civit. Dei lib. VIII. cap. II. *Diogenes quoque Anaximenis alter auditor, Aerem quidem dixit rerum esse Materiam, de qua omnia fierent, sed eum esse compotem divinae rationis, sine qua nihil ex eo fieri posset*

Heracliti

Heraclitus Βλύσωνος F. Ephesius apud Diogenem Laertium lib. IX. Plutarch. lib. I. περὶ τῶν ἀρεσκ. & Iustinum παραινετικῷ λόγῳ πρὸς Ἑλλ. (qui illum vocat Metapontinum) arbitratur

tratur τὰ πάντα ἐκ Πυρὸς συνεστάναι, καὶ εἰς τοῦτο ἀναλύεσθαι. Idem apud Theodoretum λόγῳ δ (ubi Βλόσωνος filius nominatur; alter proculdubio ex altero emendandus) putat ἓν εἶναι τὸ Πᾶν, ἀκίνητον καὶ πεπερασμένον: ἀρχὴν δὲ τὸ Πῦρ ἐσχηκέναι. Eamdem hujus Philoſophi ſententiam aperit M. Tullius libro IV. Acad. quaeſtionum & III. de natura Deorum, ubi: *Sed omnia veſtri,* (loquitur de Stoicis) *Balbe, ſolent ad igneam vim* (eleganter: haec *vis ignea* Homero, ut indicavi, πυρὸς μένος, Ennio *Ignis ſpiritus*) *Heraclitum, ut opinor, ſequentes: quem ipſum non omnes interpretantur uno modo. qui, quoniam, quid diceret, intelligi noluit, omittamus.* Erat enim *valde obſcurus* Heraclitus, quod de eo ſcribit idem Cicero libro de divinat. III. ut etiam, eodem teſte II. de finibus bonor. & malor. Σκοτεινὸς cognomentum illi fuerit. Vitruvius lib. II. cap. II. *Heraclitus Epheſius, qui propter obſcuritatem ſcriptorum a Graecis* Σκοτεινὸς *eſt appellatus, Ignem principium rerum poſuit.* Eleganter autem Clemens Alexandrinus Στρωματ. λογ. ε. Καὶ μυρία ἐπὶ μυρίοις εὕροιμεν ἂν ὑπό τε φιλοσόφων, ὑπό τε ποιητῶν αἰνιγματωδῶς εἰρημένα. ὅπου γε καὶ ὅλα βιβλία ἐπικεκρυμμένην τὴν τοῦ συγγραφέως βούλησιν ἐπιδείκνυνται: ὡς καὶ τὸ Ἡρακλείτου περὶ φύσεως; ὃς καὶ δι' αὐτὸ τοῦτο Σκοτεινὸς προσηγόρευται. ὁμοία τούτῳ τῷ βιβλίῳ καὶ ἡ Φερεκύδους θεολογία τοῦ Συρίου. Εὐφορίων γὰρ ὁ ποιητὴς, καὶ τὰ Καλλιμάχου Αἴτια, καὶ ἡ Λυκόφρονος Ἀλεξάνδρα (alio nomine Caſſandra dicitur) καὶ τὰ τούτοις παραπλήσια, γυμνάσιον εἰς ἐξήγησιν γραμματικῶν ἔκκειται ἅπασιν. Σαφῶς οὐδὲν ἐκτίθεται, ait de illo Diogenes Laertius. Heracliti λόγον περὶ φύσιος rex Darius, ad illum ſcribens, appellat δυσνόητόν τε καὶ δυσεξήγητον. Fatetur ipſe obſcuritatem ſuam in epigrammate, quod apud Diogenem:

Diogenes vel Theodoretus correctus

Pherecydis Theologia

Euphorion poeta obſcurus

Kallimachi Αἴτια

Lycophronis Alexandra

Μὴ ταχὺς Ἡρακλείτου ἐπ' ὀμφαλὸν εἴλεε βίβλον
Τοὐφεσίου; μάλα τοι δύσβατος ἀτραπιτός.
Ὄρφνη καὶ σκότος ἐστὶν ἀλάμπετον: ἢν δέ σε μύστης
Εἰσαγάγῃ, φανεροῦ λαμπρότερ' ἠελίου.

Cauſſam aperit in alio Epigrammate, ſe non ἀμούσοις, ſed ἐπισταμένοις ſcripſiſſe:

Ἡράκλειτος ἐγώ· τί με ὧν κάτω ἕλκετ᾽ ἄμουσοι;
Οὐχ᾽ ὑμῖν ἐπόνουν, τοῖς δέ μ᾽ ἐπισταμένοις

Gradus rerum nascentium

Gradus Rerum notat ab Heracliti mente Plutarchus lib. I. περὶ τῶν ἀρεσκ. Ignem crassissimis particulis praeditum Terram fieri; deinde Terram, quum ab Igni laxatur, Aquam; hanc vero exhalantem & extenuatam, Aerem. Plutarchi verba sunt: ὅτι τὸ παχυμερέστατον τοῦ πυρὸς, εἰς αὐτὸ συστελλόμενον γίνεται γῆ: ἔπειτα ἀναχαλωμένη γῆ ὑπὸ τοῦ πυρὸς, ὕδωρ ἀποτελεῖται: ἀναθυμιώμενον δὲ ὕδωρ ἀὴρ γίνεται. Alij rerum nascentium gradus ab aliorum Philosophorum, qui non nominantur, sententia, sunt apud Lucretium lib. I:

Quin etiam repetunt a Coelo atque Ignibus ejus:
Et primum faciunt Ignem se vortere in auras
Aeris: hinc Imbrem gigni, Terramque creari
Ex Imbri, retroque a Terra cuncta revorti:
Humorem primum, post Aera, deinde Calorem:
Nec cessare haec inter se mutare, meare
De Coelo ad Terram; de Terra ad Sidera mundi

Heracliti autem opinionem varie refutat idem Lucretius:

Quapropter, qui Materiem Rerum esse putarunt
Ignem, atque ex Igni summam consistere solo;
Magnopere a veri lapsi ratione videntur:
Heraclitus init quorum dux praelia primus,
Clarus ob obscuram linguam magis inter inaneis
Quam de gravis Grajos inter, qui vera requirunt

Hippasi opinio

& quae apud doctum poetam sequuntur. Hujus autem cum Heraclito sententiae fuisse Hippasum Metapontinum notant Clemens Alexandr. προτρεπτ. λόγῳ πρὸς Ἑλλ. & Theodoretus sermone IIII. Idem apud Diogenem Laertium lib. VIII. dicit πεπερασμένον εἶναι τὸ πᾶν καὶ ἀεικίνητον

Hos

Stoicorum

Hos sequuti Stoici *Ignem*, apud Augustinum lib.VIII. de Civit. Dei cap.V. *id est, corpus unum ex his quatuor elementis, quibus visibilis mundus hic constat, & viventem & sapientem, & ipsius mundi fabricatorem atque omnium, quae sunt in eo, eumque omnino Ignem Deum esse putaverunt.* De his multa M. Tullius libro II. de nat. Deorum: apud quem IIII. Academ. quaest. de iisdem & haec lego: *Quamcumque vero sententiam probaverit, eam sic animo comprehensam habebit, ut ea quae sensibus: nec magis adprobabit nunc lucere; quam, quoniam Stoicus, hunc Mundum esse sapientem, habere Mentem, quae & se & ipsum fabricata sit; & omnia moderetur, moveat, regat:* & alia

Thaletis

Thales Milesius, *qui*, teste cum aliis Lactantio libro I. cap.V. de fals. religione, *unus e septem Sapientum numero fuit, quique primus omnium quaesisse de rebus naturalibus traditur: Aquam esse dixit, a qua nata sunt omnia: Deum autem esse Mentem, qui ex Aqua cuncta formaverit. Ita Materiam omnium posuit in Humore: principium caussamque nascendi posuit in Deo.* De eo M. Tullius lib. I. de nat. Deor. *Thales Milesius, qui primus de talibus* (scribendum, exscriptore Lactantio suadente, *naturalibus*) *rebus quaesivit, Aquam dixit esse initium Rerum; Deum autem eam Mentem, quae ex Aqua cuncta fingeret. Si DI possunt esse sine sensu & Mente: quur Aquae adjunxit, si ipsa Mens constare potest vacans corpore.* (*Cicero correctus*) Quae postrema faciunt refutandae Thaletis opinioni. De eo & Augustinus lib.VIII. cap.II. *Ionici generis princeps fuit Thales Milesius, unus illorum septem qui appellati sunt Sapientes. Sed illi sex vitae genere distinguebantur, & quibusdam praeceptis ad bene vivendum accommodatis. Iste autem Thales, ut Successores etiam propagaret, rerum naturam scrutatus, suasque disputationes litteris mandans eminuit, maximeque admirabilis exstitit, quod, Astrologiae numeris comprehensis, defectus Solis & Lunae etiam praedicere potuit. Aquam tamen putavit Rerum esse principium, & hinc omnia elementa Mundi, ipsumque Mundum, & quae in eo gignuntur, exi-*

ſtere. Videndi, idem ejuſdem libri cap.v. Vitruvius lib.II. cap.II. & in prooemio lib.VIII. Servius ad VI. Virgilij Eclogam. Sic Iuſtinus Martyr λογ. παραινετ. πρὸς Ελλ. Θαλῆς μὲν γὰρ ὁ μιλήσιος, ὁ πρῶτος τῆς φυσικῆς Φιλοσοφίας ἄρξας, ἀρχὴν ἐῖναι τῶν ὄντων ἁπάντων τὸ ὕδωρ ἀπεφήνατο. ἐξ ὕδατος γάρ φησι τὰ πάντα ἐῖναι, καὶ ὕδωρ τὰ πάντα ἀναλύεσθαι. Eumdem deſignat Lucretius lib.I. de natur. rerum; quum inquit:

. . . aut Humorem quicumque putarunt
Fingere res ipſum per ſe . . . . .

Per ſe, ait poeta, quum Thales, ſi, quae alij ſcribunt, vera, Aquam quidem putaret rerum eſſe principium: eam tamen non per ſe; ſed ex illa Mentem, quae philoſopho Deus, cuncta finxiſſe & formaſſe: Aquam, inquam, Materiam fuiſſe, qua in creandis omnibus uſus Deus, qui principium & cauſſa efficiens omnium. Thaleti autem ſex reliquos Sapientes conſenſiſſe primos, notat M. Tullius lib. IIII. Academicar. quaeſt. Sequutus vero videtur Thales Orphea vatem antiquiſſimum, qui ab Oceano omnes Deos, omneſque Res initium ſumſiſſe canit in Hymnis:

Sapientum reliquorum

Orphei

Ὠκεανὸν καλέω πατέρ' ἄφθιτον αἰὲν ἐόντα,
Ἀθανάτων τε θεῶν γένεσιν, θνητῶν τ' ἀνθρώπων,
Ὃς περικυμαίνει γαίης περὶ τέρμονα κύκλον,
Ἐξ οὗπέρ πάντες ποταμοὶ: καὶ πᾶσα θάλασσα

Hi igitur tales unum materiarium Mundi principium adgnoſcunt vel Aera, vel Ignem, vel Aquam. Nam Phyſicorum neminem illud τὴν γῆν pronunciaſſe teſtatur Ariſtoteles libro I. τῶν μετὰ τὰ φυσ. quamquam nonnullos fuiſſe videtur innuere Lucretius lib.I. Locum adſcribam non ſolum, quod dixi, probando; ſed indicando etiam, quid de Anaximene, Diogene, Heraclito, Thalete & id genus alijs, tribus quaſi verbis, ſenſerit poeta. Sic canit:

An quidam Philoſophi Terram rerum principium poſuerint

Quapropter qui Materiem rerum eſſe putarunt

Ignem;

Ignem; atque ex Igni summam consistere posse;
Et qui principium gignundis Aera rebus
Constituere; aut Humorem quicumque putarunt
Fingere res ipsum per se; Terramve creare
Omnia, & in rerum naturas vortier omnes;

An, quod res ipsa, divinarint? nequaquam: imo Lucretio

Magnopere a vero longeque errasse videntur

Errarunt sane: nec minus apud M. Tullium & Lactantium errabit paullo post cum magistris suis Lucretius: qui inter alia hoc loco conceptis verbis & digito quasi indicat Humi repentes & adfixos Terrae Philosophos; significans fortean Hesiodum & Xenophanem. Ille enim in Theogonia:

Γαῖα δέ τοι πρῶτον μὲν ἐγείνατο ἶσον ἑαυτῇ
Οὐρανὸν ἀστερόενθ' ἵνα μιν περὶ πάντα καλύπτῃ;
Ὄφρ' εἴη μακάρεσσι θεοῖς ἕδος ἀσφαλὲς αἰεί.
Γείνατο δ' οὔρεα μακρὰ θεῶν χαρίεντας ἐναύλους
Νυμφάων, αἳ ναίουσιν ἀν' οὔρεα βησσήεντα.
Ἡ δὲ καὶ ἀτρύγετον πέλαγος τέκεν οἴδματι θῦον
Πόντον ἄτερ φιλότητος ἐφιμέρου, αὐτὰρ ἔπειτα
Οὐρανῷ εὐνηθεῖσα τέκ' Ὠκεανὸν βαθυδίνην.

Xenophanis autem versus est apud Theodoretum sermone IIII:

Ἐκ γῆς γὰρ τάδε πάντα, καὶ εἰς γῆν πάντα τελευτᾷ.

Errassetne igitur Aristoteles Philosophorum princeps, qui quae ante scripta viderat, legerat, & facile, quo erat judicij acumine, intellexerat? Quis persuadebit? Liberabo, si possum, ab calumnia. Quod enim ad Hesiodi locum: *An Hesiodus*
primo; ejus is, credo, sensus; Omnia Elementa ex se invicem quasi gigni, eorum autem plerisque Terram esse sedem, ut videantur inde, non vere tamen, nasci. Hinc etiam Deorum illa & Hominum Mater. Orpheus:

Γαῖα θεὰ, μῆτερ μακάρων, θνητῶν τ' ἀνθρώπων.

Non ignoro, Γαῖαν, id eſt, Terram vel Tellurem, Deam apud Antiquos habitam, teſtibus Aeſchylo in Perſis, Euripide in Bacchis, Herodoto in Melpomene, Varrone apud Auguſtinum in libris de Civit. Dei, alijſque Latinis ſcriptoribus; adeo ut Sacra illi & Feſta fuerint ab Veteribus inſtituta; Templa ubique, non Romae tantum, condita; Sacerdotes conſecratae; (quod teſtatur etiam Pauſanias in Phocicis) Porcus mactari ſolitus: (Horatio canente) nec item me latet, Θεοὺς etiam ſimpliciter μάκαρας nuncupari: puto tamen ſcriptum ab Orpheo fuiſſe;

Orpheus fortean emendatus

Γαῖα θεῶν μῆτερ μακάρων, θνητῶν τ' ἀνθρώπων:

partim, ut fient hic ἀντίθετα Θεοὶ & Ἄνθρωποι; item μάκαρες & θνητοὶ; partim vero, quod animadvertam poſteriorum temporum poetas Orphea hic imitatos: Homerum, hymno in Tellurem:

Χαῖρε θεῶν μῆτερ, ἄλοχ' οὐρανοῦ ἀστερόεντος:

& Apollonium, libro III. Argonauticon:

Γαῖα θεῶν μῆτερ, ὅσσον σθένος ἐστὶν ἐμοῖο.

Secundo Heſiodus alio loco non Γαῖαν adſerit omnium rerum principium, ſed χάος; inde autem Γαῖαν natam:

Ταῦτά μοι ἔσπετε μοῦσαι ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι
Ἐξ ἀρχῆς, καὶ εἴπαθ' ὅτι πρῶτον γίνετ' αὐτῶν.
Ἤτοι μὲν πρώτιστα Χάος γένετ'; αὐτὰρ ἔπειτα
Γαῖ' εὐρύστερνος πάντων ἕδος ἀσφαλὲς αἰεὶ
Ἀθανάτων

Tertio Homerus τὴν Γαῖαν non, quod Heſiodus facit, Coeli matrem, ſed ejus uxorem appellat:

Χαῖρε θεῶν μῆτερ, ἄλοχ' οὐρανοῦ ἀστερόεντος

Herodotus in Melpomene neque Matrem neque uxorem Coeli; ſed Iovis, qui Coeli ex Saturno nepos, Uxorem facit: θεοὺς δὲ μόνους τοὺσδε ἱλάσκονται. Ἱστίην μὲν μάλιστα: ἐπὶ δὲ Δία τε, καὶ Γῆν, νομίζοντες (loquitur de Scythis) τὴν Γῆν τοῦ Διὸς εἶναι γυναῖκα.

γυναῖκα. Verum Poetica haec, & fabulas ſapiunt.

Iam quod ad Xenophanis carmen: Primo, non videtur ille, ut male proculdubio viſum Theodoreto, voluiſſe Terram rerum omnium eſſe principium, ſed inde concreta illa & conflata, quae videmus, corpora quotidie naſci. Nam τῶν Σομάτων, ait Diogenes Laertius in Epicuro, τὰ μέν ἐςι συγκρίσεις; τὰ δ' ἐξ ὧν αἱ συγκρίσεις: & Lucretius libro I: *An Xenophanes*

Corpora ſunt porro partim primordia rerum;
Partim concilio quae conſtant principiorum

Prioris generis apud Diogenem; poſterioris vero apud Lucretium ſunt πάντα illa, quae naſci dicit ἐκ Γῆς apud Theodoretum Xenophanes. Concilium autem Lucretio, quae Graecis σύγκρισις. Deinde idem, apud eumdem Theodoretum, ἓν ἐιναι τὸ πᾶν ἔφησε, σφαιροειδὲς καὶ πεπερασμένον, ὀυ γεννητὸν, ἀλλ' ἀΐδιον καὶ πάμπαν ἀκίνητον. Ex quibus conſtat neque Heſiodo, neque Xenophani Terram fuiſſe principem omnium rerum genitricem; & recte Ariſtotelem ſcripſiſſe Philoſophorum neminem adſerere ἐκ τῆς γῆς primitus omnia nata. *Ariſtoteles defenſus*

His ſuccedunt, *qui*, ut Lucretij verbis utar libro I;

. . . conduplicant primordia rerum
Aera jungentes Igni, Terramque Liquori:
Et qui quatuor ex rebus poſſe omnia rentur,
Ex Igni, Terra, atque Anima procreſcere & Imbri

Qui *Aera* iungunt *Igni*, mihi quidem nulli occurrunt; fuerunt forte: mea mens tamen, Lucretium hoc ſcripſiſſe, non, ut, ex quibus conjunctis ornatus hic natus, ſed nudam ſolum & qualem qualem elementorum confuſionem notaret *Lucretius explicatus*

Terram autem & *Aquam* committit Homerus apud Probum ad VI. Virg. Eclog. hoc verſu: *Homeri de rerum primordijs opinio*

ἈΛΛ'

Ἀλλ' ὑμεῖς μὲν πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε

Quae tamen possent alio facile trahi

Euripidis

Aerem & *Terram* inducit apud eumdem Probum Euripides

Parmenidis

Ignem & *Terram* ponit Parmenides Pyretis F. Eleates, Xenophanis auditor, qui apud Diogenem Laertium libro IX. adfirmat δύο εἶναι στοιχεῖα, Πῦρ καὶ Γῆν: Ignem quidem δημιουργοῦ τάξιν ἔχειν; Terram vero ὕλης. De eodem etiam Theodoretus sermone IIII. Αἴτιον τῶν ὅλων, οὐ τὴν Γῆν μόνον, καθάπερ ἐκεῖνος (Xenophanem notat) ἀλλὰ καὶ τὸ Πῦρ εἴρηκεν οὗτος: *Caussam rerum omnium non Terram solum, sicut ille* (quo modo Xenophanis verba sint exponenda, dixi) *verum etiam Ignem dixit.* Explicationem insolens addo, ne quis erret cum Interprete, qui, neglecta Terra, Ignem solum subjicit.

Interpres Theodoreti notatus

Lambini error

Haud bene V.CL. Dionysius Lambinus stabiliendis LucretI, nonnullos canentis Terram Liquori jungere, Parmenidem adducit.

Pherecydis sententia

Duobus Elementis Πυρὶ καὶ γῇ tertium quid addit Pherecydes, Badyos F. Syrius, Pittaci auditor, qui, teste Theopompo, primus de natura & de DIs scripsit. Addit, inquam, χρόνον apud Probum ad VI. VirgilI Eclogam, cujus haec de illo verba, ut ego legenda puto, sequutus vestigia antiqui libri: *Consentit & Pherecydes, sed diversa adfert* elementa: Ζεὺς μέν, *inquit*, καὶ χθὼν ἦν καὶ χρόνος; *Ignem, Terram ac Tempus significans:* Ζῆνα *esse Aethera, qui regat Terram, qua rigatur Tempus, in quo universa pars moderetur.* Quibus confirmandis sunt apud Diogenem Laertium lib. I. qui docet servari adhuc Pherecydis SyrI libellum, quem scripsit de rerum principijs, cujus initium erat: Ζεὺς μὲν καὶ χρόνος εἰς ἀεὶ, καὶ χθὼν ἦν. χθονίῃ δὲ ὄνομα ἐγένετο Γῆ, ἐπειδὴ αὐτῇ Ζεὺς γέρας διδοῖ

Probus emendatus

Quatuor Elementa rerum omnium primordia volunt Athamas, Xenophanes, Empedocles

Athamantis opinio

De Athamante testatur Clemens Alexandrinus στρωματ.

ματ. VI. ναὶ μὴν Ἀθάμαντος τοῦ Πυθαγορίου εἰπόντος: Ὧδε γεννᾶτο παντὸς ἀρχά: καὶ ῥιζώματα τέτταρα τυγχάνοντι, Πῦρ, Ὕδωρ, Ἀὴρ, Γῆ: ἐκ τούτων γὰρ αἱ γενέσεις τῶν γινομένων

Xenophanes DexI (vel ut Apollodorus & Theodoretus Orthomenis) F. Colophonius, apud Diogenem Laertium lib. IX. ait τέτταρα εἶναι τῶν ὄντων στοιχεῖα, κόσμους δ' ἀπείρους, ἀπαραλλάκτους δέ. Apud Probum tamen Terram ſolum & Aquam prodit. Apud Theodoretum vero ſermone IIII. idem, quod jam indicavi, ἐκ τῆς γῆς tantum φῦναι ἅπαντα εἴρηκεν *Xenophanis*

Ejuſdem ſententiae Empedocles Metonis, teſte Hippobuto, F. Agrigentinus, de quo Lucretius libro I: *Empedoclis*

Et qui quatuor ex rebus poſſe omnia rentur
Ex Igni, Terra, atque Anima, procreſcere & Imbri:
Quorum Acragantinus cum primis Empedocles eſt:
Inſula quem triquetris terrarum geſſit in oreis:
Quam fluitans circum magneis amfractibus aequor,
Jonium glauceis adſpergit littus ab undeis.

Videndi & Athenagoras in Apologia, M. Tullius lib. IIII. Academic. quaeſt. Servius ad VI. Virgilij Eclogam, & alij. Duas primarias Potentias *Amicitiam* atque *Diſſidium*, quarum altera uniendis, altera diſtrahendis inſerviat Elementis, addunt ex ejuſdem Philoſophi ſententia Clemens Alexandrinus, Iuſtinus Martyr, Diogenes Laertius. Clemens quidem προτρεπτ. πρὸς Ἑλλ. Ἐμπεδοκλῆς γὰρ, inquit, ὁ Ἀκραγαντῖνος, εἰς πλῆθος ἐμπεσὼν, πρὸς τοῖς τέτταρσι στοιχείοις τούτοις, Νεῖκος καὶ Φιλίαν καταριθμεῖται. Iuſtinus παραινετ. λογ. πρὸς Ἑλλ. Ἐμπεδοκλῆς Μέτωνος ὁ Ἀκραγαντῖνος, τέσσαρα στοιχεῖα, πῦρ, ἀέρα, ὕδωρ, γῆν: δύο δὲ ἀρχικὰς δυνάμεις, Φιλίαν τε καὶ Νεῖκος: ὧν ἡ μέν ἐστιν ἑνωτική; τὸ δὲ, διαιρετικόν. Diogenes vero Laertius libro VIII: Στοιχεῖα μὲν εἶναι τέτταρα, πῦρ, ὕδωρ, γῆν, ἀέρα: Φιλίαν τε, ᾗ συγκρίνεται; καὶ Νεῖκος, ᾧ διακρίνεται.

Versus, quibus Empedocles suam de Compositione tam speciosa opinionem aperuit, sparsim sunt apud Clementem στρωματ. λογ. ἐκτῷ, Diogenem libro, quem dixi, Probum ad VI. Virg. Eclogam, & Stobaeum ἐν τοῖς τῶν φυσικῶν γνώμων ἐκλόγοις. Eos sic lego & connecto:

Empedoclis versus conjuncti & emendati

Τέσσαρα τῶν πάντων ῥιζώματα πρῶτον ἔασιν:
Ζεὺς ἀργὴς, Ἥρη τε φερέσβιος, ἠδ᾽ Ἀϊδωνεὺς,
Νῆστίς θ᾽, ἣ δακρύοις ἐπιπικροῖ ὄμμα βρότειον.
Πῦρ καὶ ὕδωρ καὶ γαῖα καὶ αἰθέρος ἄπλετον ὕψος.
Ἐκ γὰρ τῶν, ὅσα τ᾽ ἦν, ὅσα τ᾽ ἔσσεται, ὅσσα τ᾽ ἔασιν.
Τῶν δὲ συνερχομένων ἐχθραντέον ἵστατο Νεῖκος:
Ἄλλοτε μὲν Φιλότητι συνερχόμεν᾽ εἰς ἓν ἅπαντα,
Ἄλλοτε δ᾽ αὖ δίχ᾽ ἕκαστα φορεύμενα Νείκεος ἔχθει

Clemens inlustratus

Primus est apud Clementem, praemissus Quarto & Quinto; quos ita, posthabitis Secundo & Tertio, conjunxit Christianus scriptor, non ut, quo modo scripserat Empedocles, ostenderet; sed quid ille mutuatus esset ex Athamante, cujus verba paullo ante a me laudata. Eumdem Primum, Secundum & Tertium citant Stobaeus (qui & Sextum addit) & Probus: Secundum, Tertium & duos postremos, disjunctim tamen, Diogenes, qui, sublatis numeris, intermedios suis verbis adjicit. Pro ἔασιν apud Clementem & Stobaeum legitur ἄκουε, male apud hunc, bene apud Clementem: pro Diogenis δακρύοις ἐπιπικροῖ ὄμμα βρότειον; apud Stobaeum corruptius, δακρύοις τέγγει κρούνωμα βρότειον; nec probius apud Probum, δακρύοις γε πικροῖς νῶμα βρότειον γένος. Ad posteriores versus respicit M. Tullius, quum scribit, *Agrigentinum doctum quemdam virum carminibus vaticinatum, quae in rerum natura totoque mundo constarent, ea contrahere Amicitiam, dissipare Discordiam.* De Lite autem illa & Contentione Cyrus Theodorus Prodromus in Amicitia exsulante:

Stobaeus correctus

iterum

& Probus

Cicero illustratus

Theodoro Prodromo lux

ὁ φλη-

Ο φλμνάφος γὰρ Ε᾽μπεδοκλῆς ἐῤῥέτω,
Τὸ Νεῖκος εἰπὼν δημιουργὸν τῶν κάτω

Variorum auctorum diſſenſio in explicandis Empedoclis verſibus de rerum primordijs

Secundus, ut & hoc addam, & Tertius varie ab varijs explanantur. Diſſenſio inde nata, quod certo certius eſſet, Empedoclem, quum vellet explicare, quid Ζεὺς eſſet, quid Η῞ρη, quid Α᾽ϊδωνεὺς, quid denique Νῆςις; turbatiore ordine proprias quatuor Elementorum appellationes quarto verſu ſubjeciſſe. Τὸν Δία enim Empedoclis, interpretantur Athenagoras, Diogenes, Achilles Statius, & Probus τὸ Πῦρ, Ignem; Plutarchus Αἰθέρα, Fervorem: τὴν Ηραν Philoſophi, exponunt ijdem Γῆν, Terram; Cicero vero apud Probum & Plutarchus Αέρα, Aerem: τὸν Α᾽ϊδώνεα, ijdem volunt eſſe Αέρα; Cicero & Plutarchus Γῆν; Gloſſa in VirgilI Eclogam VI. apud Probum, Ditem patrem: Νῆςις denique, omnibus eſt Υ῞δωρ, Aqua. Empedoclem autem, quo Sicilia

Empedocles & alij refutati ab Lucretio

. . . nil habuiſſe viro praeclarius in ſe,
Nec ſanctum magis, & mirum, carumque videtur;

& alios Philoſophos,

Quamquam multa bene ac divinitus invenienteis,
Ex adyto tamquam cordis reſponſa dedere
Sanctius, & multo certa ratione magis, quam
Pythia, quae tripode ex Phoebi lauroque profatur:
Principijs tamen in rerum feciſſe *ruinas;*
Et graviter magnos *magno* cecidiſſe *ibi caſu;*

canit primo de rerum natura libro Lucretius, ipſe paullo poſt, quod ruinam fecerit, & magno hic ceciderit caſu accuſandus

EnnI ſententia

In hac autem claſſe collocavi paullo ante Ennium, fol. CXIX

LucilI

An in horumdem numero Lucilius lib. XXIX. Satyra-

 rum?

rum? Verſus, qui nulli hactenus, emendatos ſubjicio & numeris reſtitutos; non tamen tam feliciter, ut lacunis careant; collectos autem ex Probo ad vi. VirgilI Eclogam; Feſto in *Remeligines*; Nonio Marcello in *Deferre, Dejectus, Fingere, Es, Favitorem, Palpatur, Conſortio, Referre*; Priſciano denique libro viii. Ei tales:

Vndecim LucilI fragmenta ex quatuor auctoribus conlecta, connexa, correcta & numeris reddita.

Quapropter certum eſt facere contra, & perſequi,
Et nomen deferre hominis: Hoc quum fecerim,
Cum cetereis reus una tradetur Lupo.
Non aderit Αρχαῖς *omnium & StoichIs; ſimol*
Detruſum tota vei dejectumque Jtalia
Privarit eum; Igne & Aqua interdixerit: duo
Habet Στοιχεῖα: *id nolit, privabit tamen.*
Sed fingitur fuga, timido vadit pede
Percitus . . . . .
. . *te conjice intro, atque es animo bono:*
Favitorem me tibi amicum & amatorem putes.
Quaenam vox ex te reſonans meo gradu
Remoram facit? . . . . .
Hic me ubi videt: blanditur, palpatur, caput
Scabit . . . . . *dejerat*
Eum ſcripſiſſe, & poſt non ſcripturum: redi in
Conſortionem . . . *a me auxiliatus es.*
Quod te intromiſi, gratiam referas mihi

Elegantiſſimus διαλογισμὸς, quo neſcio quis conſilium capit de accuſando, dubium quo. Primo nominis delationem animo volutat, &, quae delatum manet, interdictionem, velit nolit Reus, Aquae & Ignis. Deinde fugam accuſandi deſcri-

deſcribit; & opem, neſcio a quo, fortean ab ipſo, qui accuſare inſtituerat, fugienti latam. Non habebit autem, ait poeta, omnium (ſic enim, id eſt, τῶν πάντων, lego apud Probum, pro *hominum)* ἀρχὰς & ϛοιχεῖα, ſimul interdictum fuerit damnato Aqua & Igni; quibus carere coacto vita invita. Quis enim Aere ſolum & Terra vivet? quum, notante Pompeio Feſto lib. I. de verb. ſignific. Aqua & Ignis vitam maxime contineant. Lupus autem ille, qui his verſibus nominatur, neſcio an P. Rutilius Lupus Praetor, quem teſtibus Horatio libro II. Satyra I. & Perſio Satyra I. convicijs proſcindit idem Lucilius; quive apud Ulpianum lib. XLII. ad Edictum, *edicit, ſe amplius non daturum patrono, quam* operarum & ſocietatis actionem. l. I. D. de bonis libertorum

Lucilio lux & medicina

Ariſtoteles Nicomachi F. Stagirites philoſophatur, non tam ſcite, quam arroganter, praeter Στοιχεῖα quatuor, quintum etiam eſſe, ex quo Αἰθέρια conſiſtunt, ἀλλοίαν δὲ αὐτοῦ τὴν κίνησιν εἶναι; κυκλοφορικὴν γὰρ, ſcribente Diogene Laertio libro V. Planior Theodoretus ſermone IIII: Ἀριϛοτέλης δὲ ϛοιχεῖα οὐ τέσσαρα, ἀλλὰ πέντε, ἕτερον γὰρ εἶναι τὸ Αἰθέριον εἴρηκεν, ἄτρεπτόν τε καὶ ἀμετάβλητον. Adeundus etiam Illuſtrius in ejus vita. Hujus opinionem docte refellit Iuſtinus Martyr in Appendice Confutationis quarumdam Graecarum opinionum

Ariſtotelis mens de rerum primordijs

Sequuntur, qui ὕλην rerum omnium principium ſtatuunt, id eſt, materiem illam informem, ex qua Elementa quatuor ſunt diſcreta. Diffinitur enim Primum unicuique Subjectum, ex quo fit aliquid & in quod, poſtquam quod factum corrumpitur, ultimum abit & reſolvitur. Hanc ingenitam adſtruunt, quibus Mundus ingenitus, quae κοινὴ δόξα fuit omnium, qui de rerum natura ſcripſerunt: legendi Ariſtoteles libro I. φυσικ. Diogenes Laertius in vitis Democriti & Epicuri, Lucretius lib. I. de rer. nat. M. Tullius libro II. de Divinat. alij: hoc argumento uſi: Si

Ὕλη quid

Materia prima facta, factam necesse est esse vel ex Se vel Aliunde. Nam ex nihilo nihil. Ex Se autem non fit: esset enim anteaquam fieret, & ὀυκ ἐστιν ἀυτό τι ἑαυτοῦ ἄιτιον, inquit Clem. Alex. Στρωμ. λογ. ογδ. multo minus Aliunde: Sic enim nõ esset prima. Christiani, Mosaei doctrinam amplexi, Materiam hanc constanter adfirmamus non ex Se, neque Aliunde, sed ex Nihilo, id est quum antea esset Nihil, factam. Axioma enim illud *Nihil ex Nihilo creari*, exaudiendum de Potentia creata: non enim potest Nihil se creare ex Nihilo: non vero de Creatore, qui ex Nihilo potest creare, & vere creavit, omnia

Aegyptiorum sententia

Aegyptij igitur apud Manethum in Naturalium Epitome, & Hecateum 1. de illorum philosophia libro, volunt Ἀρχὴν μὲν ἐιναι τὴν Ὑλην, ἐῖτα τὰ τέσσαρα Στοιχεῖα ἐξ ἀυτῆς διακριθῆναι, καὶ Ζῶά τινα ἀποτελεσθῆναι

Zenonis

Zeno Cittieus Mnaseae F. Cratetis auditor, a quo Stoicorum secta initium sumsit, τὸν Θεὸν καὶ τὴν Ὑλην Rerum principia adserit, Theodoreto scribente sermone IIII. τὸν Θεὸν Efficientem hic nominat, quem paullo ante τὸν Ποιοῦντα; Ὑλην autem materiam, quam supra τὸ Πάσχον indigitavit

Hesiodi

Tales sunt qui Chaos rerum initium adfirmant, inter quos Hesiodus in Theog.

Ἠτοὶ μὲν πρώτιστα Χάος γένετ', ἀυτὰρ ἔπειτα
Γαῖ' ἐυρύστερνος πάντων ἕδος ἀσφαλὲς ἀιεὶ
Ἀθανάτων

Ovidi

& Ovidius lib. 1. Metamorph.

Ante Mare & Terras, & , quod tegit omnia, Coelum
Unus erat toto Naturae vultus in orbe
Quem dixere Chaos;

quod quid sit, subjicit:

rudis

rudis indigeſtaque moles,
Nec quidquam, niſi pondus iners, congeſtaque eodem
Non bene junctarum diſcordia ſemina rerum

Qualitatem addunt Ὕλῃ ſequentes:

Plato apud eumdem Theodoretum τὴν Ὕλην σωματοειδῆ dixit eſſe & ἄμορφον, καὶ ἀνείδεον, καὶ ἀσχημάτιστον, καὶ ἄποιον παντελῶς, Haec enim omnia poſtea παρὰ τοῦ πεποιηκότος accepiſſe. πεποιηκὼς hoc loco Platoni, qui eidem paullo ante CXXI. 8. Θεὸς. De hac Platonis opinione & M. Tullius Academicarum quaeſt. IIII. *Plato,* inquit, *ex materia omnia in ſe recipiente mundum eſſe factum cenſet a Deo ſempiternum.* Apud eumdem tamen quatuor Elementa adgnoſcit libro I. de nat. Deorum. Inſignem locum adſcribam: *Quibus enim oculis intueri potuit veſter Plato fabricam illam tanti operis, qua conſtrui a Deo atque aedificari Mundum facit; quae molitio? quae ferramenta? qui vectes? quae machinae? qui miniſtri tanti muneris fuerunt? quem ad modum autem obedire & parere voluntati architecti Aer, Ignis, Aqua, Terra potuerunt?* Priore loco conſiderat Plato Materiam illam informem & indigeſtam Ὕλης molem; poſteriore vero, quae ex prima illa materie ſunt digeſta; hic deincipem quaſi huius univerſi, ibi vero cauſſam principem *Platonis* *Plato illuſtratus*

Xenocrates Karthaginienſis, teſte Theodoreto, ſermone quarto, ἀέναον τὴν ὕλην ex qua omnia ſunt facta, dixit *Xenocratis*

Anaxagoras (ut ſcribit M. Tullius libro II. Academ. quaeſt.) *materiam infinitam dixit eſſe, ex qua omnia gignerentur: eamque, particulas ſimiles inter ſe minutas; eas primum confuſas, poſtea in ordinem adductas a Mente divina.* Auguſtinus libro VIII. cap. II. *Anaxagoras,* ait, *ejus* (Anaximenis vult) *auditor, harum rerum omnium, quas videmus, effectorem divinum Animum ſenſit: & dixit ex Infinita Materia, quae conſtaret diſſimilibus* (rectius, ſi legatur *ſimilibus*) *inter ſe particulis, re-* *Anaxagorae* *Auguſtinus obiter corr.*

rum

rum omnium genera, pro modulis & ſpeciebus proprijs, ſingula fieri, ſed Animo faciente divino. Eleganter autem meminerunt & Cicero & Auguſtinus ex ſententia magni Philoſophi, *Particularum inter ſe ſimilium minutarum.* Hinc enim apud alios Anaxagorae ὁμοιομερία, ſimilium partium natura, vel partium ſimilitudo. Lucretius lib.1:

Nunc & Anaxagorae ſcrutemur Ὁμοιομερίαν,
Quam Graeci memorant, nec noſtra dicere lingua
Concedit nobis patrij ſermonis egeſtas.
Sed tamen ipſam rem facile eſt exponere verbeis,
Principium Rerum quam dicit Ὁμοιομερίαν:
Oſſa videlicet e pauxilleis atque minuteis
Oßibu': ſic & de pauxilleis atque minuteis
Viſceribus Viſcus gigni: Sanguenque creari
Sanguinis inter ſe multeis coeeuntibu' gutteis:
Ex aurique putat miceis conſiſtere poſſe
Aurum: & de terreis Terram concreſcere parveis:
Sic Ignem inter ſe parveis coeeuntibu' naſci
Ignibus: exigueis Humorem humoribus eſſe.
Cetera conſimili fingit ratione putatque

Iuſtinus Martyr λογ. παραινετ. πρὸς Ἑλλ. Ἀναξαγόρας, inquit, ὁ Κλαζομένιος ἀρχὰς τῶν πάντων τὰς ὁμοιομερίας εἶναι ἔφη. Servius ad illud VirgilI IIII. Aeneidos:

Exoriare aliquis noſtris ex oßibus ultor

Secundum Anaxagoram, ait, *qui dicit* ὁμοιομερίαν, *id eſt omnium membrorum ſimilitudinem, eſſe in rebus creandis, id eſt ex oßibus, ex ſanguine, ex medullis: Nam omnia pro parte ſui tranſeunt in procreationem.* Hic tamen apud eumdem Servium ad VI. VirgilI

Virgili Eclogam, Rerum materiam ponit in Igne. Videndus & de Anaxagora M. Tullius lib. 1. de natura Deor

Anaxagorae, ſcribit Auguſtinus, *ſucceſſit Auditor ejus Archelaus: etiam ipſe de particulis inter ſe ſimilibus,* (ſic legendum arbitror) *quibus ſingula quaeque fierent, ita omnia conſtare putavit, ut ineſſe etiam Mentem diceret, quae, Corpora ſimilia, id eſt, illas particulas* (haec gloſſema ſapiunt) *conjungendo & diſſipando, ageret omnia.* Hic tamen apud Plutarchum περὶ τῶν ἀρεσκ. & Diogenem Laertium libro II. praeter ἀέρα ἄπειρον, adſerit δυό εἶναι αἰτίας γενέσεως, Θερμὸν καὶ Ψυχρὸν. Idem apud Iuſtinum Martyrem λογ. παραινετ. πρὸς Ελλ. Αέρα ἄπειρον, & quae circa eum ſunt, Πυκνότητα καὶ Μάνωσιν omnium rerum principia agnoſcit

Archelai

Auguſtinus emendatus

Gloſſema in Auguſtino

Non abſimiliter Zeno Eleates Pyrrheti F. vult Naturam omnium Rerum γεγενῆσθαι ἐκ Θερμοῦ καὶ Ψυχροῦ, καὶ Ξηροῦ καὶ Υγροῦ, teſte Diogene Laertio lib. IX. Eo forte reſpexit Ovidius lib. 1. Metamorph.

Zenonis

Obſtabatque alijs aliud: quia corpore in uno
Frigida pugnabant Calidis; Humentia Siccis;
Mollia cum Duris; ſine Pondere habentia Pondus

Nonnihil lucis addam: Quatuor ſunt primae Qualitates: Calidum, Frigidum; Humidum, Siccum: quarum primae agunt magis, reliquae magis patiuntur: *magis* addo utrimque. Nam omnes ſuo modo & agunt & patiuntur. Calidum Homogenea congregat; Heterogenea ſeparat: hujus eſt, Materiam πρὸς τὴν γένεσιν movere. Frigidum Homogenea Heterogeneis conglutinat: hujus eſt, Materiam, quae ab Calido mota, perfectam concinnare & ſiſtere. Humidum male Proprio, recte autem Alieno termino clauditur: hujus eſt, Materiae, ab Frigido iam perfectae, Formas & Figuras imprimere. Siccum contra recte Proprio, male autem termino Alieno terminatur: hujus eſt impreſſas ab

Lux Zenoni & Ovidio

Qualitates primae

Humido Formas & Figuras conservare. In his quatuor omnium rerum primordia ponit Zeno; has quatuor unico versu comprehendit Ovidius. Ab his quatuor oriuntur Qualitates secundae, quae decem: Lubricum, Aridum; Crassum, Subtile; Durum, Molle; (hoc par nominatur Ovidio versu hic tertio) Asperum, Laeve; Grave, Leve (& hoc Conlegium Ovidio notum.) Quodvis autem Elementum ex primis qualitatibus duas continet. Ignis Calidus est & Siccus; Aer Humidus & Calidus; Aqua Frigida & Humida; Terra Sicca & Frigida. Dominans in singulis Qualitas praemissa. Ignis enim Calidior; Aer Humidior (intelligo Aerem ab Vento & Stellarum luce secretum, qui, quod magis penetret, humectat magis intrinsecus, quam Aqua, quae Densior) Aqua Frigidior; Terra Siccior. Ignis in Calido, Aeri; in Sicco, Terrae convenit; in utroque Aquae oppositus: Aer in Calido, Igni; in Humido, Aquae congruit; in utroque a Terra segregatus: Aqua in Humido Aeri; in Frigido Terrae amica; in utroque Igni adversa: Terra in Frigido Aquae; in Sicco Igni similis; dissimilis vero Aeri in utroque. Concordant, inquam, in Calido Ignis & Aer; in Sicco Ignis & Terra; in Humido Aer & Aqua; in Frigido denique Aqua & Terra

Qualitates secundae

Non abeunt hinc Anaximander & Melissus

Anaximander

Ille enim Milesius Praxiados F. vult omnium rerum principium esse τὸ Ἄπειρον, non diffiniens Ἀέρα, ἢ Ὕδωρ, ἢ ἄλλότι, teste Diogene Laertio lib. II. M. Tullius IIII. Academic. quaest. *At hoc* (ex Aqua constare omnia. Loquitur de Thalete) *Anaximandro, populari & sodali suo, non persuasit. Is enim Infinitatem Naturae dixit esse, ex quo omnia gignerentur.* Augustinus etiam libro VIII. de Civit. Dei cap. II: *Huic* (Thaleti, inquit) *successit Anaximander ejus auditor, mutavitque de Rerum Natura opinionem. Non enim ex una re, sicut Thales ex Humore, sed ex suis proprijs principijs quasque res nasci putavit.*

vit. Quae rerum principia singularum esse credidit Infinita, & innumerabiles Mundos gignere, & quaecumque in eis oriuntur, eosque Mundos modo dissolvi, modo iterum gigni existimavit; quanta quisque aetate sua manere potuerit: nec ipse aliquid divinae Menti in his rerum operibus tribuens. Sic Iustinus Martyr παραινετ. λογ. πρὸς Ἑλλ. Ἀναξίμανδρος δὲ μετὰ τοῦτον (Thaletem) ἀπὸ τῆς αὐτῆς ὁρμώμενος Μιλήτου, τὸ Ἄπειρον ἀρχὴν ἁπάντων ἔφησεν εἶναι. Ἐκ τούτου γὰρ δὴ τὰ πάντα γίνεσθαι, καὶ εἰς τοῦτο τὰ πάντα φθείρεσθαι. Consulendi & Aristot. libro I. de Phys. Auscul. Plutarch. de Philos. plac. M. Tullius I. de nat. Deor. Eusebius in praep. Euang

Melisso Ithaegenis F. Samio placet τὸ πᾶν ἄπειρον esse καὶ ἀναλλοίωτον καὶ ἀκίνητον, scribente Diogene lib. IX. De eo M. Tullius in Lucullo: *Melissus hoc quod esset Infinitū & Immutabile, & fuisse semper, & fore:* & Theodoretus sermone quarto: Μέλισσος δὲ ὁ Ἰθαγένους ὁ μιλήσιος, τούτου μὲν (Parmenidis) ἑταῖρος ἐγένετο, τὴν δὲ παραδοθεῖσαν διδασκαλίαν, ἀκήρατον οὐκ ἐτήρησεν: Ἄπειρον γὰρ οὗτος ἔφη τὸν Κόσμον, ἐκείνων (Xenophane & Parmenide) φάντων πεπερασμένον *Melissi*

In classem ultimam conjicio, qui Atomos rerum principia imaginantur

Eorum princeps Leucippus Eleates, qui Zenonis fuit auditor. Hic enim censuit ἄπειρα, esse omnia, καὶ εἰς ἄλληλα μεταβάλλειν, & universum istud Κενὸν esse, καὶ πλῆρες σωμάτων: Mundos autem fieri, τῶν σωμάτων εἰς τὸ Κενὸν ἐμπιπτόντων, καὶ ἀλλήλοις περιπλεκομένων, &c. Idem de Leucippo testatur Diogenes Laertius lib. IX. qui opinionem ejus fusius explicat: Adserere Leucippum τὸ Πᾶν esse Ἄπειρον, hujus nonnulla plena esse, nonnulla Inania, (sic enim interpretatur M. Tullius lib. IV. Acad. quaest.) Στοιχεῖα autem & Κόσμους ex his infinitos esse & in illa dissolvi: Mundos vero sic fieri; ferri κατ᾽ ἀποτομὴν ἐκ τῆς ἀπείρου multa corpora παντοῖα τοῖς σχήμασιν in magnum Κενόν; ea in unum coacta unam δίνην vel vortiginem *Leucippi*

efficere, ſecundum eam circumvolvi modis omnibus, atque ita diſcerni, ut ſeorſum ſimilia, quae ſui ſunt ſimilia, petant: & quae alia ibi multa.

Σωμάτων diſtributio

Σωμάτων autem vel Corporum quum alia ſint Individua, Simpliciſſima, Solidiſſima; alia vero ex ijs concreta & conflata, teſtibus Diogene Laertio in Epicuro & Lucretio lib. 1. ut alibi dixi, intelligenda hoc loco priora illa, quae voce Graeca Ἀτόμους appellamus

Democriti

Ab Leucippo eruditus Democritus Mileſius, qui apud Diogenem libro IX. univerſi hujus ſemina adfirmat Ἀτόμους καὶ Κενόν. Atomos autem & magnitudine & numero eſſe Infinitas, ferrique ἐν τῷ ὅλῳ δινουμένας, atque ita πάντα τὰ συγκρίματα gignere, Πῦρ, Ὕδωρ, Ἀέρα, Γῆν. Theodoretus ſermone IIII: Δημόκριτος δὲ ὁ Ἀβδηρίτης ὁ Δαμασίππου, τὴν τοῦ Κενοῦ καὶ τῶν Ναστῶν πρῶτος ἐπεισήγαγε δόξαν. Et paullo poſt: τὸ δὲ Κενὸν οἱ περὶ Δημόκριτον, τῶν Ἀτόμων ὠνομάκασι τόπον. M. Tullius in Lucullo: *Quur enim, inquies, quum ex illis Individuis, unde omnia gigni Democritus adfirmat*, &c. Eodem idem: *Leucippus Plenum & Inane: Democritus huic in hoc ſimilis, uberior in ceteris.*

Metrodori

Haec autem Metrodorus Chius Ἀδιαίρετα καὶ Κενὸν appellavit, ut Democriti ſententiae ſubjicit Theodoretus

Epicuri

Stultitiae ſuae haereditatem, ut utar verbis LactantI, Democritus reliquit Epicuro. Plutarch. περὶ τῶν Ἀρεσκ. τοῖς φιλοσ. Ἐπίκουρος ὁ Νεοκλέους Ἀθηναῖος, κατὰ Δημόκριτον φιλοσοφήσας, ἔφη τὰς ἀρχὰς τῶν ὄντων, Σώματα λόγῳ θεωρητὰ, ἀμέτοχα κενοῦ, ἀγέννητα, ἀΐδια, ἄφθαρτα, &c. M. Tullius lib. 1. de Finibus: *Principio Epicurus in Phyſicis totus eſt alienus: Democrito adjicit perpauca mutans, ſed ita, ut ea, quae corrigere vult, mihi quidem depravare videatur. Ille Atomos, quas appellat, id eſt corpora individua propter ſoliditatem cenſet in Infinito Inani, in quo nec ſummum, nec Medium, nec ultimum, nec extremum ſit, ita ferri, ut concurſionibus inter ſe cohaereſcant.* Theodoretus ſermone IIII: ὥσπερ αὖ πάλιν Ἐπίκουρος ὁ Νεοκλέους, ὁ Ἀθηναῖος, πέμπτῃ γενεᾷ μετὰ Δημόκριτον γεγονὼς,

νὼς, τὰ ὑπ' ἐκείνων Ναςὰ καὶ Αδιαίρετα δὴ κληθέντα, Α'τομα προσηγόρευσαν. Et addit ibidem Theodoretus nonnullos opinari Atomos *Atomi* sic dici, διὰ τὸ Απαθὲς, quod haec Corpora ita sint firma, ut nec pati quidquam, neque immutari possint; alios, διὰ τὸ ἄγαν σμικρὸν, quod ita sint exigua, ut nec sectionem ullam, nec divisionem admittant: Vocari autem hoc nomine parva illa & tenuissima corpuscula, quae per fenestras iubar solis ingrediens sursum ac deorsum sibi inerrantia passim ostendit. Idem paullo post: Δημόκριτος δὲ καὶ Μετρόδωρος, καὶ Επίκουρος, ἀπαθῆ τὰ Α'τομα, καὶ τὸ Κενὸν προσεγόρευσαν. Testatur hanc Epicuri de Universi materia sententiam Iustinus παραιν. λογ. πρὸς Ελλ. Σώματα esse illam, λόγῳ θεωρητὰ, ἀμέτοχα κενοῦ, ἀγέννητα, ἄφθαρτα, quae neque contundi vel frangi, θραυσθῆναι, possint; neque διάπλασιν ἐκ τῶν μερῶν admittant, neque alterentur, & ea propter λόγῳ tantum θεωρητὰ. Adeundi Diogenes Laertius libro x. Augustin. de civitate Dei libro VIII. cap. V. Servius ad VI. VirgilI Eclogam. Scripsit haec ipse Epicurus libro II. περὶ φύσεως, & in μεγάλῃ Επιτομῇ

Horum de principijs rerum opiniones sequutus est *Diophanti* Diophantus Syracosius, secta autem Pythagoreus, teste Theodoreto sermone saepe laudato

Epicureos etiam se cum multis alijs sunt professi Lucre- *Lucreti* tius & Virgilius. Ille enim libro I. multis canit totam hanc Rerum naturam duabus ab initio rebus constare Corporibus, & Inani, in quo Corpora sita, & per quod huc illuc feruntur ac moventur:

Omnis ut est igitur per se Natura, duabus
Constitit in rebus. nam Corpora sunt & Inane,
Haec in quo sita sunt, & qua diversa moventur.

Et paullo post:

Tum porro Locus ac Spacium, quod Inane vocamus,

Si nullum foret: haud uſquam ſita Corpora poßent
Eße, neque omnino quaquam divorſa meare

Atomos eſſe

Eſſe autem Atomos, id eſt, Corpora prima & individua, neque ea idcirco minus eſſe, quod oculis non cernantur, probat paullo ante multis collectis Similibus, quae nihilo minus Corpora ſunt, quamvis in oculos noſtros non cadant:

Nunc ageſis, quoniam docui nil poſſe creari
De nihilo, neque item genita ad nihilum revocari:
Ne qua forte tamen coeptes diffidere dictis,
Quod nequeant oculis rerum primordia cerni:
Accipe praeterea, quae Corpora tute neceſſe'ſt
Confiteare eſſe in rebus, nec poſſe videri.
Principio Venti vis verberat;

& quae ſequuntur. Probat enim Ventos eſſe Corpora caeca. Probat item Odores, Aeſtus, Frigora, oculis quidem non uſurpari, conſtare tamen corporea natura. Probat denique quod Annulo, quod Lapidi, quod Vomeri, quod Viis, quod Signis deteritur; quod item rebus adcreſcit decreſcitque, corporeum eſſe; invidam tamen Naturam facultatem ademiſſe videndi. Corporibus vero inventis, Inane ſuum multis argumentis ſtabilire conatur:

Nec tamen undique corporea ſtipata tenentur
Omnia natura. namque eſt in rebus Inane

Virgili

Virgilius etiam Materiam univerſi ponit ſub perſona Sileni duplicem *Inane* & *Corpora*, Ecloga VI:

Namque canebat, uti magnum per Inane coacta
Semina Terrarumque Animaeque Mariſque fuiſſent

Et liquidi ſimul Ignis: ut his exordia primis
Omnia, & ipſe tener Mundi concreverit orbis

Vbi Servius: *Epicurei quos nunc ſequitur, nihil horum comprobant, ſed dicunt duo eſſe Rerum principia, Corpus & Inane. Omne enim quod eſt, aut continet, aut continetur: & Corpus volunt eſſe* Ατόμους, *id eſt, quaſdam minutiſsimas partes, quae* τομὴν, *id eſt, ſectionem non recipiunt, unde &* Ἄτομοι *dictae ſunt, quas Lucretius minutiores dixit eſſe illis corpuſculis, quae infuſis per feneſtram radijs ſolis videmus. Dicit enim illis nec viſum poſſe accidere. Inane vero dicunt ſpatium, in quo ſunt* ἄτομοι. *De his itaque duobus principijs volunt quatuor iſta procreari Ignem, Aquam, Aerem, Terram; & ex his cetera: ut illa duo elementa ſint, haec vero quatuor* σιώθετα, *id eſt, Compoſita ex alijs duobus, praeſtent originem alijs omnibus rebus. Hac autem ratione comprobant ex Atomis & Inani conſtare omnia, quod nihil eſt in rerum natura, quod non & Corpus habeat: & quia non recipit ſectionem, indicet etiam Inanitatem.* Docte & eleganter. Atomos autem, ut hoc addam, exagitant contra Leucippum, Democritum, Epicurum, & qui eos ſectantur, Cicero & Lactantius. Ille quidem libro 1. de natura Deorum: *Abuteris ad omnia Atomorum regno & licentia: hinc quodcumque in ſolum venit, ut dicitur, effingis, atque efficis. quae primum nullae ſunt. nihil enim eſt, quod vacet corpore. Corporibus autem omnis obſidetur locus. Ita nullum Inane, nullum eſſe Individuum poteſt.* Ibidem: *Iſta enim flagitia Democriti, ſive etiam ante Leucippi, eſſe corpuſcula quaedam laevia, alia aſpera, rotunda alia, partim angulata, curvata quaedam, & quaſi adunca: ex his effectum eſſe Coelum, atque Terras, nulla cogente Natura, ſed concurſu quodam fortuito.* Et libro II. de natura Deorum: *Hic ego non mirer eſſe quemquam, qui ſibi perſuadeat corpora quaedam ſolida atque individua ſua vi & gravitate ferri, Mundumque effici ornatiſsimum & pulcerrimum ex eorum Corporum concurſione fortuita. Haec qui exiſtimat fieri poſ-*

Servium ſcribere hic voluiſſe, imo ſcripſiſſe Leucippum vel Epicurum *fere perſuadeor*

ri posse, non intelligo quur non idem putet, si innumerabiles unius & viginti formae litterarum vel aureae, vel qualeslibet aliquo conjiciantur, posse ex his in terram incußis Annales EnnI, ut deinceps legi poßint, effici: quod nescio an ne in uno quidem versu poßit tantum valere fortuna. & paullo post: *Quod si Mundum conficere potest concursus Atomorum, quur Porticum, quur Templum, quur Domum, quur Urbem non potest; quae sunt minus operosa & multo quidem faciliora? Certe ita temere de Mundo effutiunt, ut mihi quidem numquam hunc admirabilem coeli ornatum, qui locus est proximus, suspexisse videantur.* Lactantius autem lib. de Ira Dei, cap. x: *Primum minuta illa Semina* (sic etiam *Atomos* Virgilius nominat) *quorum concursu fortuito totum coiisse Mundum loquuntur, ubi, aut unde sint, quaero. quis illa vidit umquam? quis sensit? quis audivit? An solus Leucippus oculos habuit? solus mentem? qui profecto solus omnium caecus & excors fuit, qui ea loqueretur, quae nec aeger quisquam delirare, nec dormiens poßit somniare. Quatuor elementis constare omnia Philosophi veteres disserebant: ille noluit, ne alienis vestigijs videretur insistere. sed ipsorum Elementorum alia voluit esse primordia* (consonant quae paullo ante ServI) *quae nec videri poßint nec tangi nec ulla corporis parte sentiri. Tam minuta sunt, inquit, ut nulla sit acies ferri tam subtilis, qua secari, ac dividi poßint, unde illis nomen imposuit Atomorum. Sed occurrebat ei, quod si una esset omnibus eademque natura, non possent res efficere diversas, tanta varietate, quantam videmus inesse Mundo. Dixit ergo laevia esse & aspera, & rotunda, & angulata, & hamata. Quanto melius fuerat tacere, quam in usus tam miserabiles, tam inanes habere linguam. Si laevia sunt & rotunda, utique non possunt invicem se adprehendere, ut aliquod Corpus efficiant. Sed* (sic enim legendum & distinguendum) *aspera, & angulata, & hamata, ut poßint cohaerere: dividua ergo & secabilia sunt. hamis enim necesse est & angulis eminere, ut poßint amputari. itaque quod amputari ac divelli potest; & videri poterit & teneri.* Idem de Falsa Sa-

Lactantius obiter emendatus & distinctus

ſa Sapientia lib. III. cap. XVII. *Unde ergo naſcuntur, aut quomodo fiunt omnia, quae geruntur? non eſt, inquit* (Epicurus) *providentiae opus. ſunt enim Semina per Inane volitantia: quibus inter ſe temere conglobatis, univerſa gignuntur atque concreſcunt. Quur igitur illa non ſentimus aut cernimus. Quia nec colorem habent, inquit, nec calorem ullum, nec odorem; ſaporis quoque & humoris expertia ſunt, & tam minuta, ut ſecari ac dividi nequeant. Sic eum, quia in principio falſum ſuſceperat, conſequentium rerum neceſsitas ad deliramenta perduxit. Ubi enim ſunt aut unde iſta corpuſcula? Quin illa nemo praeter unum Leucippum ſomniavit? a quo Democritus eruditus, haereditatem ſtultitiae reliquit Epicuro.* & quae alia ibi lectu digna

Concludam cum magno Philoſopho lib. I. Phyſ. Ζητοῦντες γὰρ οἱ κατὰ φιλοσοφίαν πρῶτοι τὴν Ἀλήθειαν, καὶ τὴν φύσιν τῶν ὄντων ἐξετράπησαν. In rerum principijs plerique Philoſophi magnas

fecere ruinas,

Et graviter magni magno cecidere ibi caſu,

ait Lucretius. Quanta autem inter omnes diſſenſio! Conciliari forte poſſent aliquo modo: ſed cui bono? Veritatem hic nos docet ipſa verbi Dei veritas, cujus lucem in tantis tenebris ſi ſequamur, numquam aberrabimus. *Ab Deo, qui Inviſibilium maximus, omnium Viſibilium maximus eſt Mundus,* inquit Auguſtin. libro de Civit. Dei XI. cap. IV. *Sed Mundum eſſe conſpicimus, Deum eſſe credimus. Quod autem Deus Mundum fecerit, nulli tutius credimus, quam ipſi Deo. Ubi eum audivimus? nuſquam interim nos melius, quam in ſcripturis ſanctis, ubi dixit propheta ejus:* In principio fecit Deus Coelum & Terram. *Numquid nam ibi fuit iſte propheta, quando fecit Deus Coelum & Terram? Non. Sed fuit ibi Sapientia Dei, per quam facta ſunt omnia, quae in Animas etiam ſanctas ſe transfert, Amicos Dei & Prophetas conſtituit, eiſque opera ſua ſine ſtrepitu intus enarrat.* & paullo poſt: *ex his unus erat iſte Propheta*

qui dixit & scripsit: In principio fecit Deus Coelum & Terram. *Qui tam idoneus testis est, per quem Deo credendum sit, ut eodem Spiritu Dei, quo haec sibi revelata cognovit, etiam ipsam Fidem nostram tanto ante praedixerit.* Cetera vide apud doctissimum Theologum. Deus igitur est: Οτι ἐξ ἀυτοῦ, καὶ δι' ἀυτοῦ, καὶ εἰς ἀυτὸν τὰ πάντα, inquit D. Paullus ὁ μέγας κήρυξ τῆς Ἀληθείας (ut eum appellat Theodoretus λογ. ιβ. περὶ πρακτικῆς ἀρετῆς) ad Romanos cap. XII. in fine: quae plenissime explicat D. Basilius Magnus libro de Spiritu sancto, cap. V

CORPORE TARTARINO 38.) Vitiose apud Probum ad VI. Virgilii Eclogam legitur hic versus:

Corpore tartareo prognata palude virago.

Probus correctus

Emendandus ex Varrone & Festo. Illi quidem VI. de L. L. absque mendae suspicione nominatur *Paluda*: hic vero in *Tartarino* firmiter adquiescit, libro de verb. sig. penultimo: *Tartarino*, inquit, *quum dixit Ennius, horrendo & terribili Verrius vult accipi, a Tartaro, qui locus apud Inferos.* Et facile inducor, ut credam, etiam hanc vocem ab Virgilio aliquoties usurpatam, ut, dicis gratia, libro Aeneid. VII:

Virgil. tentatus

cornuque recurvo
Tartarinam intendit vocem,

& Servius

non *Tartaream*, ubi Servius fortean ita scripserat: *Tartarinam aut terribilem aut horrendam* (ex Verrio. In vulg. enim *fortem*) *secundum usum dixit.* Paullo ante idem Virgilius de Alecto:

Odit & ipse pater Pluton, odere Sorores
Tartareae monstrum, tot sese vortit in ora.

Virgilius iterum

maiorem mihi horrorem incussissent *Sorores Tartarinae*, maximum vero *Tartarinum monstrum*. Alia Virgili & aliorum omitto

PALVDA

PALVDA VIRAGO 38.) Designari Ἀθήνην monui CXVIII, quam Diodorus ibidem Ἀέρα interpretatur: quae παρθένος illi & alijs *Virgo*, διὰ τὸ ἄφθαρτον εἶναι φύσει τὸν Ἀέρα. *Virago* vero Ennio, Graecis Ἀνδρεία, Γένναια, quod fortius & vehementius, quam cetera elementa, penetret: quae item Iovis cerebro fingitur nata, διὰ τὸ τὸν ἀκρόταλον ἐπέχειν τόπον τοῦ σύμπαντος Κόσμου. Elegantissima, si quae alia. Iuppiter enim veluti τὸ Πᾶν, *universum* hoc consideratur, cujus superiora magis tenent *Aer* & *Ignis spiritus*; inferiora magis *Aqua* & *Terra gravis*. Et hinc saepe sui pars ipse Iuppiter apud poetas, saepe omnia simul Elementa nominatur; imprimis autem *Aer*. Antiquus Comicus:

Pallas quur Virgo quur Virago quur Iovis cerebro nata

Iuppiter Aer

Ἀὴρ, ὃν ἄν τις ὀνομάσειε καὶ Δία.

Horatius I. Carm. libro, Ode I,

manet sub Iove frigido
Venator, tenerae conjugis immemor

ubi Acron: *Iovem ponit Aerem & nocturnum tempus, quo feris tenditur.* Idem Ode XXII.

Quod latus mundi nebulae malusque
Iuppiter urget.

Virg. I. Georg.

Iuppiter humidus Austris
Densat, erant quae rara modo, & quae densa relaxat.

Et libro II.

Et jam maturis metuendis Iuppiter uvis

Eo pertinent, Euripides in Cyclope:

Οὐδ' οἶδα ὅτι Ζεὺς ἐστ' ἐμοῦ κρείττων θεὸς,
Οὔ μοι μέλει τὸ λοιπόν. ὡς δ' οὔ μοι μέλει
Ἄκουσον. ὅταν ἄνωθεν ὄμβρον ἐκχέῃ,
Ἐν τῇδε πέτρᾳ, στέγγ' ἔχω σκηνώματα.

& Aratus in Astronomicis:

Τότε δὴ κρύ⊙ ἐκ Διός ἐςὶ
Ναύτῃ μαλκιόωντι χακώτερον

Hesiodo lux Quia vero *Aer* natura ſua facile omnia penetrat, recte dixit Heſiodus, de eo loquens:

Πάντα ἰδὼν Διὸς ὀφθαλμὸς;

& Sophocli & Sophocles in Antigon.

Εγὼ γὰρ: ἴςω Ζεὺς ὁ πάνθ' ὁρῶν ἀεὶ

Iuppiter Aer Infinitus *Aer* autem *Infinitus* eſt Iuppiter Euripidi, cujus verba laudant Clemens Alexandr. ςρωματ. πεμπτ. Athenagoras Απολογ. & Probus ad VI. Virg. Eclogam:

Ορᾶς τὸν ὕψȣ τὸν δ' ἄπειρον Αἰθέρα,
Καὶ γῆν πέριξ ἔχονθ' ὑγραῖς ἐν ἀγκάλαις:
Τοῦτον νόμιζε Ζῆνα, τὸν δ' ἡγȣ̃ θεόν.

Quorum interpretem adi & audi M. Tullium libro II. de natur. Deor.

Vides ſublime fuſum immoderatum Aethera,
Qui Terram tenero circumjectu amplectitur?
Hunc ſummũ habeto Divum, hunc perhibeto Jovem.

Αἰθὴρ autem hic, ut apud alios ſaepe ſcriptores, Ἀὴρ, qui ἐν ὕψει καιόμενος proprie Αἰθὴρ. Nam (quod non tam verum, quam acutum) ex *Terra* & *Aqua* purius quid ſuperiora petit *Aer*; ex *Aere* & *Igni* puriſſimum ſuprema *Aether*. Fuſius Euripidis illa explicat Pacuvius in Chryſe:

Hoc vide circum ſupraque, quod complexu continet
Terram, quod noſtrei Coelum memorant, Graicei perhibent Aithera,
Quidquid eſt hoc, omnia is animat, format, auget, alit, creat,
Sepelit, recipitque in ſeſe omnia, omniumque idem eſt pater.

Indi-

Indidemque eadem, quai oriuntur, deintegro aique
eodem occidunt

Sic enim divulsos gravissimi poetae versus componit ex Varrone & Cicerone V. N. Iosephus Scaliger, in Conjectaneis ad Varronem, ubi addit Pacuvium ab Lucretio expressum libro v. de rer. natur.

Denique iam tuere hoc, circum superaque, quod omnẽ
Continet amplexu Terram; quod procreat ex se
Omnia (quod quidam memorant) recipitque peremta.
Totum nativo mortali corpore constat.
Nam quodcumque alias ex se res auget, alitque;
Deminui debet, recreari quum recipit res.

Qui Euripidi Α'πειρος Αἰθὴρ; Ciceroni est *Immoderatus Aether*; alijs *Infinitus Aer*. Αγκάλη Euripidis eidem Ciceroni est *Circumjectus*, Pacuvio *Complexus*, Lucretio vero *Amplexus*. Quid autem non Iuppiter apud Aeschylum?

Ζεύς ἐστιν Αἰθὴρ, Ζεὺς δὲ Γῆ, Ζεὺς δ' Οὐρανὸς,
Ζεύς τι τὰ πάντα, χ' ὤ, τι τῶν δ' ὑπέρτερον;

& Ennium in Epicharmo:

Isteic is est Iuppiter, quem dico, Graicei vocant
Aera; quIque Ventus est, & Nubes, Imber postea,
Atque ex Imbre FrIgus, Ventus post fit, Aer denuo.
Istaic propter Iuppiter sunt, quai dIco tibei,
QuI Mortaleis, Urbeis, atque Belluas omneis iuvat.
Quod heic omneis & sub hoc . . . . .

Penultimus versus ita cõceptus in antiquo apud me libro: *Varians in Varrone lectio*

Quia Mortalis atque Arbores, Herbasque omnis iuvat.

Denique Lucano canente libro IX:

Iuppiter est quodcumque vides, quocumque moveris

Corporis Physici, quod quidem Simplex, distributio

GRAVI' TERRA III.I.) Τὸ φυσικὸν σῶμα, quod quidem ſimplex, eſt vel Coelum vel Elementum. Coelum duplex: Empyreum & Aetherium. Hujus x. ſunt orbes: Sphaerae, decima (quod Primum Mobile;) nona (Coelum Aqueum, cujus mentio Geneſ. I.7. Pſal. CXLVIII.4.) octava (Firmamentum) & ſeptem Planetarum, *Saturni*, Iovis, Martis, Solis, Veneris, MercurI, Lunae. Totum hoc ἀμετάβλητον, ἀναλλοίωτον, ἀεικίνητον eſt, Philoſophis nonnullis τὸ πέμπτον Ὂν dicitur, Latini (inter quos & Plautus) *Quintam Eſſentiam* vocant. Eſt autem circumjectum ςοιχειακῇ regioni vel Elementis, quae quatuor: Πῦρ, Ἀὴρ: Ὕδωρ, Γῆ. Haec graviſſima, veluti τὸ τοῦ πάντος Κέντρον, τὸν μέσον τόπον obtinuit; circa hanc τὸ Ὕδωρ eſt; circa Aquam Ἀὴρ; circa Aerem τὸ Πῦρ, ignis ille ἄφθαρτος, orbem Lunae attingens. Haec quatuor Στοιχεῖα dicuntur, quae, praevia nunc hac nunc illa diſpoſitione, alterum in alterius particulatim naturam alternantur. Hunc autem eſſe Elementorum ordinem docent cum alia, tum Motus Localis & primarum Qualitatum quadrigae. Quod ad illum: Nam Gravia Corpora, ut *Aqua* & *Terra* deorſum; Levia, ut *Ignis* & *Aer* in ſublime ſurſum moventur. Omnium leviſſimum eſt *Ignis*, quia rariſſimum; omnium graviſſimum *Terra*, quia denſiſſimum: intermedia *Aer* Igni proximus, *Aqua* vero Terrae vicina. *Ignis* enim elementum decuplo rarius eſt *Aeris*; *Aer* decuplo rarior, quam *Aqua*; *Aqua* vero, quam *Terra*. Et ſane *Aquea* (ne altiora me quaeſierim,) quo rariora, eo magis *Aerem* vorſus moliuntur; quo denſiora, eo magis ad *Terram* tendunt. Dicis gratia; Oleum Vino levius eſt, Vinum Melle: Vinum ex faecibus excoctum, &, ut vocant, ſublimatum Oleo levius eſt. Illud enim huic infuſum, quia ſua levitate propius accedit ad *Aerem*, ἐπιπολάζει ſupernatat; Oleum

ipſum

ipſum ſubſidit. Sic *Terrea* quo rariora, eo leviora; quia *Aeris* & *Aquae* capaciora: quo denſiora, eo magis ad centrum vergunt, quia minus admittunt *Aerem* & *Aquam*. Primas Qualitates alibi dixi eſſe quatuor, Calorem, Frigiditatem, Humiditatem, Siccitatem; quarum quum nullum corpus miſtum ſit expers, certum eſt unicuique Qualitati aliquod reſpondere Corpus, in quo quaelibet Qualitas dominetur. In Terra autem & Aqua Calor non reperitur, manifeſtum aliud quod Corpus ab his ſejunctum eſſe, in quo Calor maxime dominatur, non *Aer*, quum eum ad cor refrigerandum reſpirantes attrahimus: neceſſum itaque ſupra *Aerem* aliud eſſe Corpus, in quo inſit Calor iſte, qui eſt in miſtis. De Elementorum omnium ſitu & numero Ovidius libro primo Metamorphoſeon:

Ignea convexi vis, & ſine pondere coeli
Emicuit, ſummaque locum ſibi legit in arce;
Proximus eſt Aer illi levitate locoque;
Denſior his Tellus, Elementaque grandia traxit,
Et preſſa eſt gravitate ſui; circumfluus Humor
Ultima poßedit, ſolidumque coercuit orbem

QVAIQVE FRETO III.

Varro de L.L. libro VI: *Apud Ennium,* inquit, *Quaeque coeruleo freto orta nare coepta . . . . Cava cortina dicta,* &c. Legit vir magnus:

Quaeque freto cava caeruleo cortina receptat;

& addit: *Intelligit ergo Ennius, quaecumque continentur* ὑπὸ τῇ οὐρανοῦ σκέπῃ, *ut loquuntur poetae.* Conjungit autem cum ſuperioribus. Si *Aetheris* hic deſcriptio, quam ſubodoror; lux petatur ab, quae dixi

FRETVM COIROLEVM 5.) Sic *Fretum Coeli* dixit poeta

poeta apud Nonium Marcellum in illa voce

CORTINA 5.) *Tegmen* Lucretio lib. I. & II. de rerum nat. & Ciceroni in Arato: *Amictus* eidem Lucretio lib. VI. *Velum* M. Terentio Varroni

Ennius emendat

RECEPIT 5.) Scribendum ex veſtigijs antiqui libri *receptat*

QVOS OMNEIS III

Parrhaſius de rebus per epiſt. quaeſitis, epiſt. ad Antonium Tileſium: *Aether & Dies,* ait *eorumque fratres & ſorores ex Erebo & Nocte procreati. Cicero in* III. *de natura Deorum: Quos omnes Erebo & Nocte natos ferunt. Ennius:*

Quos omneis Erebo perhibent & Nocte creatos:

Solvit enim Cicero Ennij carmen, ejuſque numerum ad ſolutae orationis numeros tranſſert. Legit hoc diligentiſſimus Veterum Auctorum (clamant, quae ſcripſit) ſcrutator, neſcio apud quem, certe mihi etiamnum inviſum.

Ennius explicat.

Rerum naſcendarum ordo apud Ennium videtur hic: ut Univerſi principium ſit *Chaos* (quod *Tartarinum* forte illi *Corpus*;) hinc eidem nati ſint *Erebus* & *Nox*; quod & teſtatur Heſiodus in Theogonia:

Ἐκ Χάεος δ' Ἔρεβος τε μέλαινά τε Νὺξ ἐξεγένοντο

ex his, quatuor Στοιχεῖα, *Ignis, Aer, Aqua, Terra,* (Ennio *Ignis Spiritus, Paluda virago, Imber, Terra gravis*) & τὸ πέμπτον Ov vel *Aether,* qui videtur latere in verſu. *Quaique freto:* ut recte Orpheus in Hymnis:

Νύκτα Θεῶν γενέτειραν ἀείσομαι, ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν:
Νὺξ γένεσις πάντων, ἣν καὶ Κύπριν καλέσωμεν

Quinque tamen Elementa *prognata* dicit *Corpore Tartarino*; quod intelligendum, interjecto gradu, ut *Ignis* & *Aer* τῷ χάει ſint quaſi Nepotes; *Aqua* vero & *Terra* Neptes; omnes,

omnes, per *Erebum* & *Noctem*; qui Chao liberi, inter se Fratres, Sorores, Conjuges. An autẽ hic versus fide cohaereat superioribus, ambigo. Nam *Elementa* inter liberos *Erebi* & *Noctis* ab M. Tullio, vel apud hunc, Genealogiis antiquis non recensentur: *Coeli quoque parentes DI habendi sunt, Aether & Dies, eorumque fratres & sorores: qui a Genealogiis antiquis sic nominantur: Amor, Dolor, Metus, Labor, Invidentia, Fatum, Senectus, Mors, Tenebrae, Miseria, Querela, Gratia, Fraus, Pertinacia, Parcae, Hesperides, Somnia; quos omnes Erebo & Nocte natos ferunt.* Neque ab Hesiodo, qui, antiquas Genealogias, Tullio laudatas, imitatus, in Theogonia sic canit:

Νὺξ δ' ἔτεκε στυγερόν τε Μόρον, καὶ Κῆρα μέλαιναν,
Καὶ Θάνατον, τέκε δ' Ὕπνον, ἔτικτε δὲ φῦλον Ὀνείρων,
Οὔτινι κοιμηθεῖσα θεὰ τέκε Νὺξ ἐρεβεννὴ

EREBO 9.) Hinc Νὺξ ab Erebo conjuge Ἐρεβεννὴ Hesiodo paullo ante & alibi nominatur: hinc ille apud Euripidem Ἐρεβόθεν ab Erebi quasi complexu prodeat, πότνιαν Νύκτα precatur

SATURNO III

Citat Nonius Marcellus in Coelum. Sosipater etiam lib. I. sed mutilius paullo: *Coelum*, inquit, *quum sit neutrum, etiam masculine Veteres dixerunt, ut Ennius: Quem Coelus genuit.* ubi male *quamquam* veteres libri legunt pro *quem*. Nam vox illa in sequentibus ibi perierat, quum ait: *Item quoque Coelus profundus*. Emendandum enim, ut alibi dicam, *Item: quamquam Coelus profundus:* cujus versus caput est apud Nonium loco a me indicato. V. N. Iosephus Scaliger putat haec esse ex Epicharmo *Ennius apud Sosipatr. corr.*

SATURNO, QUEM COILU' 12.) Genealogiam describit regum Albanorum, quaesito sanguinis ultimo *Progenitores Albanorum regum*

X auctore

auctore. Coelus enim, qui M. Tullio III. de nat. Deor. Aetheris & Diei, Hesiodo vero Terrae filius inter alios Saturnum genuit, testibus Orpheo in hymnis; in Theogon. Hesiodo; Apollodoro I. Biblioth. alijs. Plato Oceani & Tethyos filium, nepotem vero Coeli & Terrae facit in Timaeo: Γῆς τε, inquit, καὶ Οὐρανοῦ παῖδες Ὠκεανός τε καὶ Τηθὺς ἐγενέσθην: ἐκ τούτων δὴ Φόρκυς τε, καὶ Κρόνος, καὶ Ῥέα, καὶ ὅσοι μετὰ τούτων: ἐκ δὲ Κρόνου καὶ Ῥέας, Ζεὺς, Ἥρα τε, καὶ πάντες, ὅσους ἴσμεν πάντας ἀδελφοὺς γενομένους αὐτῶν. Quorum M. Tullius interpres de universitate: *Sic igitur, ut ab his est traditum, horum Deorum ortus habeatur atque dicatur, ut Oceanum Salaciamque Coeli satu Terraeque conceptu generatos editosque memoremus: ex his Phorcyn, Saturnum, & Opem: deinceps Iovem, atque Iunonem, reliquos, quos fratres inter se agnatosque usurpare atque appellare videmus, & eorum, ut utamur veteri verbo, Prosapiam.* Ab Saturno Iuppiter, ut testatus jam Plato; & quis non? Iuppiter per Electram pater Dardani; hic Erichthonij; qui Trois; Tros Assaraci pater;

> *Assaraco natus* Capus *optumus; Isque pium ex se*
> Anchisen *generat;*
> *Atque Anchises*

Aeneam, cujus filius Euryleon Ascanius, Albani Imperij pater & conditor: a quo qui, postea dicā fol. CLXVII, 4. Paucis & ordine Ovidius IIII. Fastorum:

> *Dardanon Electra quis nescit Atlantide natum?*
> *Scilicet Electram concubuisse Iovi?*
> *Hujus Erichthonius; Tros est generatus ab illo;*
> *Assaracum creat hic; Assaracusque Capyn;*

Proximus

Proximus Anchises, cum quo commune parentis
Non dedignata est nomen habere Venus;
Hinc satus Aeneas, pietas spectata per ignes
Sacra patremque humeris, altera sacra, tulit

GENUVIT 12.) pro *Genuit*. V Consonans alteri, quod Vocale & Purum, si fuerit adjectum, Productionis est nota. Talia *Cluvebunt 11.9. Fuvit IX. 30, Adnuvit X. 6, Fuvimus XXXII. 36, Exaruvit* ut dicam XXXIX. 14. Exsulat immerito haec littera ex LucilI versu libri XXX. qui apud Nonium Marcellum in Hilum: *Lucilius emendat*

Quod tuvas laudes culpes, non proficis hilum.

Plauti illa in Amphitruon. Prologo:

Haec ut me voltis adprobare, adnitier,
Lucrum ut perenne vobis semper suppetat,

memini me in antiquissimo Codice legere,

Haec ut me voltis adprobare, adnuere;

scribo, *adnuvere*. Certe *adnuere* dicebantur DI Deaeque precantibus: quod ut veterum Auctorum testimonijs probetur, non hujus est loci. Consulendae Formulae V. CL. Barnabae BrissonI. Ejusdem Tragico-Comoediae Sc. 1. *Plautus forte*

Illico equites jubet dextra invadere

Veneta editio habet *irrure*. Repono: *Iterum*

Inlico equites jubet dextrad inruvere

Alia huic firmandae scriptioni praetereo. Certe infinita antiquorum Poetarum loca ab hoc scribendi modo sunt emendanda

ASSARACO III

Exſtant haec apud Iunium Philargyrium eruditum Virgill interpretem, ad ejuſdem Georgic. III. *Ex Iove(* inquit, locum enim adſcribam integrum inluſtrando hic Ennio*) & Electra Atlantis filia naſcitur Dardanus: ex quo Erichthonius; cujus Troius; cujus Aſſaracus; cujus Laomedon & Capis; & Laomedontis Priamus, ejus Hector & ceteri. At Capis Anchiſes; cujus Aeneas; cujus Iulius, a quo Iulia gens ſtemmate deſcendit ad Caeſarem. Alij ſic: Per Aſſaracum Trojanos dicit. nam Aſſaracus avus Anchiſae. Ennius:*

Aſſaraco natus Capis optumus, iſque pium ex ſe
Anchiſen generat

Iunius Philarg. corr.

ergo Aſſaraci familia uſque ad Auguſtum pervenit. Scripſit forte: *cujus Tros* vel *Trous*, qui perijt apud Servium ad VIII. Aeneid. *Ex Electra*, inquit, *Atlantis filia & Iove Dardanus naſcitur, ejus filius Erichthonius, ex eo Aſſaracus, ex eo Capys, ex illo Anchiſes, ex illo Aeneas.* Revoco Troem & lego: *ejus filius Erichthonius, ex eo Tros, ex eo Aſſaracus.* Turbatius etiam & amiſſo Dardano, hi regum Albanorum progenitores apud Probum in Virg. III. Georgic. quem ſuppleo & emendo: *Aſſaraci autem prolem vult accipi Caeſarem, qui deducit progeniem ab Aenea; qui ex Anchiſe; cujus pater eſt Capys Aſſaraci filius; Aſſaracus autem Trois; Tros ipſe Erichthonij; Erichthonius Dardani; Dardanus ex Electra & Iove naſcitur*

Servius ſuppletus

& Probus

PIUM 15.) Quod Ennius patri, filio tribuit Virgilius

ATQUE ANCHISES

Probus ad VI. Virgill Eclogam: *Ennius Anchiſen Augurij ac per hoc divini quiddam habuiſſe praeſumit, ſic: Atque Anchiſes doctu', Venus quem polcra Dearum,* & cetera. Videndus omnino litterati Senatus princeps ad M. Terentium Varronem libro IIII. de L. L.

POLCRA

POLCRA DEARVM 19.) *Polcerrima.* Sic *Saturnia sancta Dearum* VIII.23. Lucretius lib. 1. de rerum natura de Ennio:

qui primus amoeno
Detulit ex Helicone perenni frunde coronam,
Per gentis Italas omnium quae clara clueret,

id est, *clarissima*

POLCRA 19.) Latini nusquam nisi in Vocali adspiratione utebantur: teste Cicerone in Bruto. Romani veteres *Deos Pulcros, Deas Pulcras* vocabant

FAREI DONAVIT 20.) Venus apud Euripidem in Hippolyto Coronifero:

Τοὺς μὲν σέβοντας τ' ἀμὰ πρεσβεύω κράτη:
Σφάλλω δ' ὅσοι φρονοῦσιν εἰς ἡμᾶς μέγα

ARMEIS III

Usus sum aliquando ab V. CL. Gulielmo Fornerio I.C. (quo numquam Aureliano quid fuit eruditius, numquam quid humanius: sancte illud & ἀδόλως, doctissimae proli haud adblanditus, testor) Glossario, praeter Graecum, Latino: quod, alterum alteri adpactum, emerat ille anno CIƆ IƆ XXCIV. a quodam Arverno, Iuris studioso, qui secretiorum litterarum haud erat curiosus. In hoc Graeca, in illo Latina erat interpretatio adjecta, notae satis probae, adscriptis ad rariores voces Auctoribus, quibus eae in delicijs. Promiserat utrumque se, melioribus animis, luce donaturum: sed tale meditantem, imo agentem, mors nimis immatura praevenit. In Latino sic erat: *Armipotens* ὁπλοκράτωρ. *Ennius: Armis conditur Alba potens.* Supprimit Glossographus librum. Petitum indubie fragmentum ex Annalium primo. Nam

HISTOR. CONTINVAT

Ant. v. c. ccccxxv AENEAE (*de cujus fato* cxvi.) succedit, anno ab Troja capta viii, omniũ Latinorum judicio, ii Rex ASCANIVS, (*quem* Euryleonem *nominat cum aliis etiam Origo gentis Romanae, adscripta a nonnullis Sex. Aurelio Victori*) paternae fugae ex Phrygia in Latium comes, dictus posteris Iulus. (*quo nomine notus Ovidio* iiii. *Fastor. in enumerandis Albano-*
ccccxiiii *rum regibus*) Is Mezentium, ejusque filium Lausum & Etruscos, victoria contra patrem Aeneam ferocientes, & aliquot annorum vina ab Latinis pro pace stipulatos, feliciter, vindemiis Iovi votis, (*huc pertinet fragmentum M. Porci Catonis* i. *Originum, quod exstat apud Macrobium libro Saturnal.* iii. *cap.* v. *Adeundus & Ovidius* iiii. *Fastor. vers.* 885.) debellat. Lavinium, incolis laborans, florens & opulentum, Novercae relinquit; novam urbem sub monte, qui
cccci post Albanus, condit; Albam Longam appellat; (*unde, vide quae ad sequens fragmentum notanda*) & regni sedem facit posteris. Quum imperasset annos xxxiix. (*conspirant in hunc annorum numerum Dionysius lib.* i. *Antiq. Rom. Eusebius & Cassiodorus*
ccclxxxi *in Chronicis*) mortuus est anno ab Trojano excidio xlv. (*Legendi praeter jam dictos Livius lib.* i. *Ovidius* xiiii. *Metamorph. Messala Corvinus de Augusti progenie. Origo autem gentis Romanae laudat his stabi-*

liendis L. Caesarem libris I. *& II. A. Postumium in volumine, quod de adventu Aeneae conscripsit, & Catonem in Originibus)*

Ascanio filius erat Iulius *(cui id nomen a patris cognomine, unde Romae gens Julia, ut testantur omnes scriptores Graeci & Latini)* Huic in patris locum subficiendo quum multi studerent, & AscanI, qui successorem illum nominarat, voluntatem vellent ratam; major Albani populi pars SILVIUM, in silva, matre exsulante apud Tyrrhenum *(ut eum nominat Dionys. Halic. lib.* I. Tyrrhum *vocat Virgilius* VII. *Aeneid. de quo ibidem & ad* VI. *Aeneid. Servius. Male* *Messala Corvinus castigatus* *Messala Corvinus* Tityrum *appellat.)* patrij pecoris magistrum, casu post Aeneae mortem editum, & quod sui sanguinis juvenis, & quod rerum usu praestantior, III. regem imperare jubet, anno ab excisa Troja XLVI. CCCXXC Iulio, ne regi vel dignitate vel auctoritate quis esset propior, Sacrorum cura & potestas traditur. Moritur autem rex anno Trojani incendij LXXIV. CCCLIX quum regnasset annos XXIX. *(Sic Dionysius Halic. cui adsentit Cassiodorus: Eusebius Silvio tribuit annos* XXXII. *alijs aliquot demens)* Silvio id honoris datum, ut omnes deinceps Albanorũ reges ab eo SilvI nominarentur *(Annales Pontificum lib.* I. *apud Auctorem de Origine gentis Romanae. Hinc Virgilius* VI. *Aeneid.* Silvius, Albanum nomen; *quo lege Servium)*

Ejus

CCCLVIII Ejus ſucceſſor AENEAS Silvius IV. Latinorum
rex, anno ab Troja incenſa LXXV. *(Huius Ovidius
nec* IV. *Faſtor.nec* XIV. *Metamorph. meminit; omittitur
etiam ab auctore Originis; Servius item ad* VI. *Aeneid.
non videtur adgnoſcere, quum* Capyn VI. Procam XII.
appellat Albanorum reges, quorum ille vere fuit VII.
hic vero XIIII. *ſi tamen Latinis vel Albanis imperare
unum. Anchiſes tamen & hunc nominat apud Aeneam;
canente Virgilio* VI. *Aeneid.*

& qui te nomine reddet
Silvius Aeneas, pariter pietate vel armis
Egregius, ſi umquam regnandam acceperit Albam

Acceperit, inquit Servius, *a tutore, qui ejus invaſit imperium, quod ei vix anno* XII. *reſtituit.)* Praefuit cum
ſumma poteſtate annos XXXI. *(Convenit hic inter*
CCCXXVIII *Dionyſ. Euſebium & Caßiodorum)* Obijt ab Troja
capta CV.

CCCXXVII Subit patrem LATINVS Silvius, V. Latinorum
rex, anno imperij Trojanorum everſi CVI. quem
regnantem jam annum LI. *(Euſebius & Caßiodorus*
CCLXXVII *contra Dionyſium Halic. edunt annos* L.*)* mors tollit,
anno CLVI. Amplificando regno fuit induſtrius,
deductis Colonijs Praeneſte, Tibure, Gabijs, Tuſculo, Cora, Pometia, Locris, Cruſtumio, Cameria,
ceteriſque oppidis circumquaque *(Origo gentis Rom.
Eas Feſtus lib.* XIIII. *de verb. ſignif. appellatas ſcribit*

Priſcas

Priſcas Latinas Colonias, *ut diſtinguerentur a Novis, quae poſtea a populo dabantur)*

Proximus huic frater ALBA Silvius VI. Latino- CCLXXVIII
rum rex *(nec hic, nec tres ſequentes apud auctorem Ori-*
ginis) anno deſtructae Troiae CLVII. Humanis exceſ- CCXXXIIX
ſit anno CCXV. regni ſui XXXIX. *(ut iiſdem calculis ad-*
probant Dionyſ. Euſeb. & Caßiodorus)

Subrogatus illi filius CAPETUS Silvius VII. La- CCXXXVII
tinorum rex anno ab diſſipata re Trojana CXCVI.
*(*Καπετος *eſt Dionyſio, quem lubens ſequor;* Atys *vocatur*
Livio libro I. & Meſſalae Corvino. Euſebio in Chron.
nominatur Silvius Athys ſive Aegyptus; *emendandus*
ille ex Ovidio IV. *Faſt. &* XIIII. *Metamorph. ubi* Epytus, *Euſeb. cor. & Caßiodorus*
vel, ut in aliis editionibus, Epitus *appellatur; male etiam*
Aegyptus *Caßiodoro dicitur)* Imperium tenuit annos
XXVI. fato defunctus anno dirutae Trojae CCXXI. CCXII

Poſt Capetum delata regni gubernacula CAPYI CCXI
Silvio, VIII. Latinorum regi, anno ab ſubverſa Troja
CCXXII. qui dominatus annos XXVIII. *(adſtipulantur*
Dionyſio Euſebius & Caßiodorus.) abit anno ab pro- CXXCIV
ſtrato Priamo CCXLIX. *(Livius lib. I. Ovid. XIII. Me-*
tamorph. Nam IIII. *Faſtorum* Capys *non nominatur,*
ubi neſcio an lateat in voce captae, *quum canit poeta:* *In Ovidio conjectura*

Ille dedit captae repetita vocabula Troiae;
Et tuus eſt idem, Calpete, factus avus

Certe Ille, Epytus *ſcilicet, quem* Capetum *vocant alii,*

alij Atyn, *regnum transmisit ad* Capyn; Idem *avus est* Calpeti)

CXXCIII Nam CALPETUS Silvius IX. Latinorum rex regni habenas accipit ab Capy, anno ab deletis Trojanis CCL. (Calpetum *cum Dionysio vocat Ovidius paullo ante*; Capetum *nominant Livius libro* I. *idem Ovidius* XIIII. *Metamorph. Eusebius in Chron. Messala Corvinus*; Carpentum *male Cassiodorus*; *omnes forte corrigendi ab Dionysio & Ovidio* IIII. *Fastor. Dionysius certe exactissimus est & fidelissimus rerum Romanarum scriptor, diligens, si quis alius, in notandis temporibus & nominibus.*) Regnat annos XIII (*accedunt & hic sententiae Dionysij Eusebius & Cassiodorus*) Obit anno ab Troja capta CCLXII.

Medicina fortean Livio, Ovidio, Eusebio, Messalae & Cassiodoro

CLXXI

CLXX Calpetus filium & regni heredem relinquit TIBERINUM Silvium X. Latinorum regem anno ab subversa re Trojana CCLXIII. (*male* Tiberius *dicitur ab auctore Originis, & Festo.*) Acie caesus anno CCLXX regni vero VIII. (*Dionysium sequuntur Cassiodorus & Eusebius*) & in Albula submersus, nomen fluvio reliquisse fertur. (*Livius lib.* I. *Ovid.* IIII. *Fastor.* XIV. *Metamorph. & infiniti alij.*)

Origo gentis Rom. & Festus correcti

CLXIII

CLXII Successores nactus filios: priore loco AGRIPPAM Silvium XI. Latinorũ regem, anno ab eradicatis Trojanis CCLXXI. (*Ovidius, quũ* XIV. *Metamorph.* Tiberini *filios* Remulum & Acrotam, & *hunc illi succes-*

Ovidius inconstantiae notatus

sorem

sorem fecisset; sui quasi oblitus, scripsit melius & ceteris historiographis convenientius, libro IIII. Fastor. Tiberini *filium* Agrippam, Remulum *autem ejusdem nepotem.)* Regnat Agrippa annos XLI. *(ut numerat Dionysius: nam Eusebius & Cassiodorus* XL. *tantum edunt)* Mortuus anno excisi Trojanorum imperij CCCXI. CXXII

Posteriore loco ALLADEM Silvium XII. Latinorum regẽ, anno ab fatali Trojae incendio CCCXII. CXXI *(Ἀλλάδης vocatur Dionysio, cujus auctoritas mihi princeps; Livius lib. I. & Messala Corvinus* Romulum *appellant; Ovidius* XIV. *Metamorph.* Acrotam, *qui hujus loci,* Remulo *subjicit,* IIII. *vero Fastorum* Remulum *subrogat* Agrippae, *utrobique autẽ in* Remulum *fulmina scribit missa: apud Cassiodorum & auctorem Originis est* Aremulus, *ut & in vulgatis Orosij codicibus cap.* X. *libri* I. *Nam in MSS. scribitur* Romulus: *Eusebius* Aremulum *seu* Remulum *notat)* Tyrannus hic erat immanis & impius, qui tonitrua commentus edebat, ut suis attonitis Deus haberetur. Dignissime tandem perit, fulmine ictus, anno fractae Trojanorum rei CCCXXX. regni vero XIX. *(ut uno ore pronunciant Dionysius, Eusebius, Cassiodorus)* CIII

Ovidii inconstantia iterum detecta

Orosius emendatus & forte alij

Patri subfectus AVENTINVS Silvius XIII. Latinorum rex, anno dirutae Trojae CCCXXXI. mortuus est anno CCCLXVII. regni XXXVII. *(Dionysius, Eusebius, Cassiodorus)* monti, quo sepultus imponens CII LXVI

 nomen.

nomen. (*Livius, Ovidius, Varro & alij. Memini me*
Servius notat.
hunc regem apud Servium legere Aboriginum : male.

Hujus filius PROCAS Silvius (*qui Virg.* VI. *Aeneid.* Trojanae gloria gentis) rex XIIII. Latinam rem ad-
LXV
miniſtrare coepit anno Trojae exciſae CCCLXVIII. Fuit autem inibi annos XXIII. (*Suffragantur Dionyſio*
XLIIII
Euſebius & Caßiodorus) moriens anno CCCXC. Numitori, filio natu majori regnum Silviae gentis legat (*Livius lib.* I. *Alij aliud ſcribunt*) Sed vis ab AMVLIO natu minore, voluntatem patris evertit. Nam pulſo fratre, & aetatis praerogativa hectae facta non modo regnum XV. Latinorum rex anno diſſipati
XLIII
Trojanorum regni CCCXCI. invadit, ſed ſcelus adcumulans ſceleri, heu, fratris ſtirpem funditus eradicatum properans, filium ejus Aegeſtum (*ſic eum Dionyſius appellat, Plutarchus Parall.* LXIX. Aenitum, *alij* Sergeſtum, *nonnulli* Lauſum *vocant*) interimit; filiam, cui nomen Rea Silvia, per ſpeciem honoris Veſtalem legit, ne naſceretur inde, quum perpetua teneretur virginitate, patrati flagitij vindex (*Teſtantur omnes ſcriptores*)

NAMQUE AVIDE III

Feſtus libro XVII. *Stolidus*, inquit, *ſtultus. Ennius lib.* I:

Nam vidi pugnare ſues ſtolidi ſolidi ſunt.

Ennius varie emendatus
In, qui ab Fulvio Urſino ex Bibliotheca Farneſiana nuper emiſſus;

Nam vi depugnare ſues ſtolidi ſolidi ſunt.

Ianus

Ianus Gulielmius libro 1.cap. IX. Veriſimilium:

Nam vi depugnare ſuos ſtolidi ſoliti ſunt;

Haud, quod ſentit vere V. N. Ianus Duza, veriſimiliter, qui Plautinar.explicat.libro 11.cap.xxv.ingenioſe:

Namque avide pugnare ſuis ſtolidi ſoliti ſunt.

Magnus ille Scaliger ad Feſtum ſuum:

Namque avide pugnare ſues ſtolidi ſoliti ſunt.

Flagitat hiſtoria, ut *Sues* & ego retineam. Nomen urbi, quam Aſcanium condidiſſe monui, partim ab omine Albae Porcae, triginta capitum foetus enixae, (Varro IV.de L.L.& Virgilius III. & VIII. Aeneid.) partim ab ſitu & loci natura; erat enim porrecta in dorſo montis (idem Varro & Livius lib.1.utrumq.etymon eſt apud Servium ad 1. Aeneid.ubi Virgilius: *Ennio lux*

Longam multa vi muniet Albam)

Hic igitur verſus,tamquam ratio,quur dixerit poeta *Albam armipotentem*. De Suum pugnacitate conſulendi Ariſtoteles,Plinius & alij Phyſici. Non reluctabor, ſi quis trahat ad Suem, quae dum incunabula movebantur urbis, peperit, quod monſtri loco habitum, porcos xxx.ad cujus honorem conſtituti,inquit Nonius cap.11.§.457. *Grundiles Lares*.L.Caſſius Hemina libro Annalium 11.apud Diomedem lib.1. *Paſtorum vulgus ſine contentione conſentiendo praefecerat aequaliter imperio Remum & Romulum, ita ut de regno pares inter ſe eſſent. Monſtrum fit. Sus parit porcos triginta; cui rei fecerunt Lareis Grundileis.* Infert Ennius, vel Albam vel Romam, de utrius tandem conditione hoc fragmentum ſit exaudiendum, ab Suum, quae pugnaces, omine, armis fore potentem & validam. Certe Quadrupedes, ut Lupos,Vulpes,Sues, Capras, Aſinos, Arietes, Lepores,

Muſtelas, Mures, alioſque id genus omina moviſſe & auſpicia praebuiſſe, quae *Pedeſtria* dicebantur, ſatis conſtat

EST LOCUS III

Macrobius libro VI. cap. I. & Servius libro I. Aeneid. qui notant Virgilium hoc EnnI imitatum, quum inquit:

Eſt locus (Heſperiam GraI cognomine dicunt)
Terra antiqua . . . .

Serio ad rem veniens deſcribit locum, (terminata ſtrictius & anguſtius Heſperia) ubi urbs, quam, cujuſque cives, carmine ſuo celebraturus, condita

HESPERIAM 28.) Heſperus Hiſpaniae rex ab germano Atlante Italo ob regni cupiditatem pulſus (ut praeter alia veterum monimenta monet apud Servium ad I. Aeneid. Iulius Higinus) ad Tuſcos ſe contulit, qui factus Etruriae principi, adhuc infanti, tutor & adminiſtrator, Saturniam a ſuo nomine Heſperiam dixit. Macrobio tamen Heſperia ἀπὸ τῆς ἑσπέρας, quod occaſui ſubjecta; cujus mentis videtur & Ennius

Feſtus emendatus & ſuppletus

PERHIBEBANT 28.) Nam tempore EnnI *Italia* cluebat: unde, docet Feſtus libro IX. cujus verba, ab veteri codice adjutus, ſic lego, ſuppleo, colloco; dum quid melius: *Italia dicta, quod magnos Italos, hoc eſt boves habeat. Vituli etenim Itali ſunt dicti. Eadem Italia ab Italo rege, vel ab Atlante Italo* (Heſperi, cujus jam facta mentio, fratre, pro *Attelido*) *putatur* (hanc vocem extriverat vetuſtas) *appellata*

QUAM PREIMUM III

M. Terentius Varro lib. VI. de L. L. *Caſcum vetus eſſe ſignificat Ennius, quum ait:*

Quam primum caſci populi genuere Latini

Non

Non indicat librum Varro. Ego non modo commode ad librum I.traho, sed superiori etiam fragmento adnecto. Vt enim ibi antiquus Romanorum ager ab nomine, quod Hesperia: sic hoc loco ab incolis idem describitur

CASCEI 31) Legerat hunc EnnI locum M. Tullius lib.I.Tuscul. Quaest. *Itaque unum illud erat insitum priscis illis, quos* Cascos *appellat Ennius, esse in morte sensum, neque excessu vitae sic deleri hominem, ut funditus interiret.* Eumdem, vel potius Tullium, Hieronymus ad Niceam: *Nam rudes illi Italiae homines, quos Cascos Ennius appellat. Casus*, unde Cascus, Oscum παλαιός: ab Syriaco כסה. Nam quod vetus, id tectum, opertum, situ & casie (id est carie, quod eiusdem fontis) obductum. Cascos Latinos interpretatur Dionysius libro I. Πρίσκους, & qui *Casci* Ennio, ij *Prisci Latini* Virgilio lib.v. Aeneid. *Cascus unde*

& priscos docuit celebrare Latinos:

unde & Paullo ad Festum, *Prisci Latini*, proprie appellati sunt, qui priusquam conderetur Roma, fuerunt: & Festo, *Priscae Latinae Coloniae*, aliae ab *Novis, quae postea a populo dabantur*: scripsit forte *deducebantur* *Festus forte correctus*

TENUERE 31.) Ita repono, pro *genuere*, quam vocem sensus hoc loco adspernabatur *Ennio medicina apud Varronem*

QUOS HOMINEIS III

Priscianus lib. VII. *Laurentis etiam pro Laurens dicebant. Ennius in Annalibus:*

Quos homines quomdam Laurentis terra recepit

Suppresso libro. Cohaerent inter se optime tria fragmenta. Trojani enim, quum triennium fere errassent, venerunt tandem in agrum Laurentem, anno ante v. c. CCCCXXX. ad Latinum Aboriginum regem, a quo illi cum Aborigini-

bus

bus Latini appellati, inde profecti ſunt in penitiora regionis,quae Heſperia olim,& eo tempore Italia dicebatur

EXCITA III

Citat M. Tullius 1. de Divinat. non addito EnnI opere: *Num te ad fabulas revoco, vel noſtrorum, vel Graecorum poetarum: Narrat enim & apud Ennium Veſtalis illa:*

Excita quum tremulis anus attulit, &c.

Haec etiam ſi ficta ſunt a poeta, non abſunt tamen a conſuetudine ſomniorum. Refero ad Annales, imo ad Annalium 1. & intelligo totum hoc fragmentum de Rea Silvia, Virgine Veſtali,quae his verſibus, ut ſomniũ, commemorat raptum, quem paſſa,adjiciens, quae raptum ſequuta. Apud Ciceronem *Veſtalis illa* incerta locum occupavit, quem juſto titulo poſſederat olim *Veſtales Ilia.* Ilia enim Reae Silviae erat ἐπίκλησις, inquit Dionyſius libro 1. quo modo etiam appellatur ab Ennio, ſequente fragmento, & Ovidio in Triſtibus

HISTOR. CONTINVAT

AB V.C.

AT vero avorſantur ſterilitatem, cum crudeliſſimum AmulI facinus,tum obſequens Romanae reipublicae principijs Fortuna. Quum vi neceſſario tantum Imperium eſſet emoliendum, vim paſsis Numitore pulſo & Aegeſto trucidato; Rea vi Veſtae ſacerdos obtruſa, & Sacrorum cauſſa aquatum

XIIX

egreſſa, ad Martis lucum vim patitur ab Marte: *(quod Ennium ſenſiſſe, parebit ex Ovidio: Cicero 1. de natur. Deor. Martis congreſſum, ut fabuloſum, deridet: alij Procorum aliquem nominant; alij ipſum Patruum*

truum Amulium armatum & Martis speciem indutum; nonnulli Genium loci; quidam Sacerdotem seu Pontificem: videndi Dionysius libro I. & Promathion apud Plutarchum: sunt qui gregariorum militum, qui in Martis tutela, aliquem fuisse censent. Certe Mars fingitur eluendae turpitudinis notae & exstimulando, divinae stirpis fiducia, ad maxima quaeque humano animo)

fit gravida, exactis mensibus nascuntur gemini, Romulus & Remus xiix

EXCITA 36.) Ne videar obstinatior esse totus in locupletando EnnI primo Annalium libro, obiter addam, posse etiam aliquo modo exaudiri haec de Tucia, Virgine Vestali, quae incestus damnata, aqua ex Tiberi cribro hausta & non perfluente in Vestae aedem perlata, innocentiam suam probavit, anno ab v.c. ɪↄxix. Is enim annorum numerus Plinio restituendus, qui libro XXVIII. cap. II. sic ait: *Exstat Tuciae Vestalis incestae precatio, qua usa aquam in cribro tulit, anno urbis* ɪↄcix. Nam quamvis Scriptorum, qui hujus historiae meminerunt, annum, praeter Plinium, nemo exprimat; tamen in quem inciderit, facile colligere est ex Epitoma Liviana libri XX. *Sardi,* inquit ibi Florus, *& Corsi, quum rebellassent, subacti sunt. Tucia* (sic enim obiter ibi emendo) *Virgo Vestalis incestus damnata est. Bellum Illuriis propter unum ex Legatis, qui ad eos missi erant, occisum, indictum est,* &c. Atqui de Sardeis triumpharunt T. Manlius. T. F. T.N. Torquatus Cos. anno ɪↄxiix. & Sp. Carvilius Sp.F. C.N. Maximus anno ɪↄxix. ut & sequente anno M'. Pomponius M'.F.M'.N. Matho. Interea temporis proculdubio haec de Tuciae pudicitia quaestio incidit, quamvis Epitoma eam videatur collocare post Sardos & Corsos subactos.

Tuciae Virginis Vestalis historia

Plinius emendatus

Florus correctus

Epitoma Liviana notata

ſubactos. Sed alius modus collocandi res geſtas κατ' ἐπιτομὴν, alius καθ' ἱστορίαν. Generalia in hujuſmodi Continentia praeponuntur; ſi quae ſpecialia inciderint, poſtponuntur. Non dubito, quin Livius libro xx. qui nobis cum multis alijs perijt, haec Tuciae narrârit in Coss. L. Poſtumio Albino, Sp. Carvilio Maximo. Anno certe ıↄxxv. ortum eſt bellum Illuricum, quod in Epitoma quaeſtionem Tuciae ſequitur

Artubu' 36.) Scripſiſſet *Artibu'* Q. Terentius Scaurus

Eurudica prognata 38.) Neſcio an velit Poeta hanc anum, quae apud Ream Silviam famulam agebat, genus ducere ab Eurydice Orphei conjuge. Hoc videtur certum hic locus indicare; poſtquam Albanis eo tempore in more erat poſitum τὰς εὐγενεστάτας ἀποδείκνυσθαι τῆς Ἑστίας προπόλους, ut ait Dionyſius Halic. libro 1. ſingulas Veſtales, praeter, quae communi Conlegio inſerviebant, ſuas habuiſſe vel unam vel plures famulas, Adſeſtrices, ut Afranius vocat, & fidas ſui corporis cuſtodes, ut loquitur Ennius in Medea: Reae autem Silviae fuiſſe, quae aliquando in patris Numitoris fuerat familia

Veſtalium famulae

Homo polcer IIII. 2) Compreſſa Ilia dubium a quo, ut ἱστορέων dixi. Mythologici in Martem conſpirant; cauſſam indicavi. Quicumque fuerit, *Homo* viſus fuit Iliae, ſed quia Poſteris *Mars*, addit Poeta *Polcer*, quod Deorum, praeter alia, eſt Epitheton. Ovid. libro xv. Metamorph. *Aeſculapium pulcerrumum* nominat; Martialis libro x. Epigr. XXVIII. *Ianum pulcerrumum*; Martianus Capella libro 1. *Iunonem pulcram*; Ennius paullo ante *Venerem polcram*; Horatius libro 1. Epiſt. XVI. *Lavernam pulcram* appellat. Non abs re Livius lib. 1. ab V. C. ſcribit, quae ante conditam condendamve

DI pulcri, Deae pulcrae

Livio lux

dendamve urbem, poeticis magis decora esse fabulis, quam incorruptis rerum gestarum monimentis. Si ad alia, certe (quod ante condendam urbem) ad haec EnnI poetae spectat

RAPTARE 3.) Proprie. Notum ex Apuleio, Festo, Tertulliano & alijs, quid *Rapere* & unde, in Nuptiarum ritibus. Raptum, velo nequaquam obducto, revelavit in his versibus, & hos qui sequebantur, Ennius; quod indicat Ovidius II. Tristium: *Rapere*

Sumserit Annales, nihil est hirsutius illis:
Facta sit unde parens Ilia, nempe leget

Quorum versuum interpretem vide CL. V. Ludoicum Carrionem I.C. lib. I. Emendat. cap. VIII

LOCOSQVE NOVOS 3.) *Novos* quibus novi, quod totum terrarum orbem sub ditione aliquando esset habiturum, imperij fundamenta excitarentur: vel *novos*, id est, (ut vocem illam exponit Servius ad III. Eclog. II. III. IV. & IX. Aeneid.) magnos, mirandos, stupendos, in quibus magna, miranda, stupenda ab generosissimo populo gerenda *Novus*

GERMANA SOROR 4.) Medullitus amavit hanc anum Ilia, & tam tenere, ut etiam Germanae Sororis loco illam habuerit

EXIN 7.) *Exin metri caussa dicitur pro Exinde,* inquit Paullus ex Festi lib. V. hunc EnnI locum notans, si quem alium *Exin*

PATER 7.) Ilia non solum visa est per quietem rapi ab Marte, vel quicumque tandem vim intulit, per condendae

urbis paſcua & amoena tunc temporis ſalicta, per Tiberis ripas, per loca denique nova & ſtupenda; ſed tarda poſt raptum & ab Marte gravis, compellari etiam ab patre Numitore, qui aegriore corde & triſtioris mentis ſolabatur. Dolorem raptae levatum fuiſſe ab raptore alij memorant. Narrat Dionyſius Halic. lib. 1. hoc ſe indicio prodidiſſe Deum, quod puellam, illato ſtupro, moeſtam relevarit & ad magnam ſpem erexerit: μηδὲν ἄχθεσθαι τῷ πάθει. τὸ γὰρ κοινώνημα τῶν γάμων αὐτῇ γεγονέναι πρὸς τὸν ἐμβαλεύοντα τῷ χωρίῳ δαίμονα: τέξεσθαι δὲ αὐτὴν ἐκ τοῦ βιασμοῦ δύο παῖδας ἀνθρώπων μακρῷ κρατίστους ἀρετὴν κατὰ τὰ πολέμια

G ante N apud Veteres

Victorinus emendatur

O GNATA 8.) Verba Numitoris ad Iliam ſomniantem. Victorinus de Orthographia: *Nos paucioribus litteris ſcribimus, quam antiqui ſcribebant. Nos Narus, Navus, Natus, Noſco, &c. illi has voces & ſimiles iſtis G antepoſita ſcribebant, cujus conſuetudinis nos veſtigia retinemus, quum ſcribimus Cognatus, Ignavus, Cognoſco*

Ennius correctus vel nove explicatus

O pro V apud Antiquos

FERONDAI 8.) ſic ſcripſi pro *gerendae:* quamquam & haec vox poſſet ferri, ut reſpiciat poeta ad Vterum gerendum, vel gerendas, ante benigniorem fortunam, in geminis, quos utero conceperat, meras aerumnas. Vetuſtiſſimi autem O uſurpabant loco υ

AIROMNAI 9.) Soſipater Chariſ. lib. 1. Inſtit. Grammat. *Erumnam Ennius ait per E ſolum ſcribi poſſe, quod mentem eruat, vel per oe, quod moerorem nutriat.* Si alter eſſet apud Grãmaticos alioſve locus, qui doceret Ennium vocum Etyma aperuiſſe, earumque Orthographias alibi indicaſſe; facile perſuaderer hunc ChariſI locum menda carere: Sed quia nullus; arbitror apud Grammaticum fuiſſe ſcriptum: *Erumnam Annaeus ait:* ut deſignetur Annaeus Cornutus, quem & alibi citat in pariſſimis. Poteſt etiam, ut intelligat

Chariſio medicina

Soſi-

Sosipater Ennium Iuniorem, quem de litteris, Syllabis, Metris, & Augurandi disciplina scripsisse notat Suetonius de Inlustribus Grammat. in principio

EX FLOVIO FORTONA RESISTET 9.) Quasi diceret, Fortuna post multas aerumnas se rursum sistet tibi aequa & benigna ex Tiberi. Qui ex Ilia nati, expositi quidem in ripa Tiberis, sed veritus ille divino foetui nihil attulit incommodi

HAIC PATER 10.) Dionysius lib. I. sed non de patre: ταῦτα δὴ εἰπόντα νέφει περικαλυφθῆναι, καὶ ἀπὸ γῆς ἀρθέντα φέρεσθαι δι' ἀέρος ἄνω

QVAMQVAM 12.) Nugatur de recta hujus & similium vocum scriptione Marius Victorinus, ubi de Orthographia — *Victorinus notatus*

MOLTA MANVS 12.) Recte scribit Hieronymus Columna ApollonI locum lib. I. Argon. ab Ennio expressum: — *Apollonium imitati Ennius*

ἀι δὲ γυναῖκες
Πολλὰ μάλ' ἀθανάτοισιν ἐς αἰθέρα χεῖρας ἄειραν.

Imitatus &, praeter alios, Ovidius libro XIII. Metamorphoseon; — *& Ovidius*

tractisque comis antistita Phoebi
Non profecturas tendebat ad aethera palmas

COILEI COIROLA TEMPLA 12.) Hoc eodem libro:

Unus erit quem tu tolles in coirola coilei
Templa . . . .

quo plura V. CL. Hieronymus Columna

Ilia IV

Porphyrion ad HoratI illa lib. 1. Carm. Od. 11:

Iliae dum se nimium querenti
Jactat ultorem, vagus & sinistra
Labitur ripa, Jove non probante,
Vxorius amnis;

Ilia, auctore Ennio, inquit, *in amnem Tiberim jussu AmulI regis Albanorum praecipitata est. Antea enim Anieni matrimonio juncta: atque hic loquitur, quasi Tiberi potius nupserit.* Dubium quibus verbis ea fuerint apud Ennium concepta

HISTOR. CONTINVAT

ANT. V. C. XIIX

NOn impune hoc Vestali, non item innocentissimae proli. Saevit, cum, qui maxime, Amulius. Vim passae vim adfert majorem. Ream; incestus ream, in vincula compingi, *(omnes historiographi;)* & damnatam in Tiberim praecipitari jubet *(ut apud Porphyrionem significat Ennius; verius, quam quod Eusebius & alij scribunt, Virgis ante caesam, deinde ex Vestalium Virginum, quae deliquerant, lege, vivo corpore sepultam. Sunt enim qui poenam hanc a L. Tarquinio Prisco inventam memoriae produnt. Notant nonnulli Silviam crudeli supplicio destinatam, Anthus, quae filia erat AmulI, cum Rea domi paternae educta edoctaque, precibus & intercessione fuisse conservatam; in carcere tamen detentam; tandem, trucidato Amulio, ab filijs liberatam*

Eusebius & alij refutati

ILIA DIA IV

Sosipater Charisius libro I. Instit. Grammat. ut quidem ejus verba in antiquissimo codice apud N.V. Ianum Duzam concepta: *Neptis Grammatici nolunt dici; quia nomina in Os exeuntia genitivo singulari is finiantur, & non possint transire in foeminina, ut Custos, dis; Sacerdos, tis; Nepos, tis: & advocant Ennium, quod dixerit ita:*

Ilia, dia Nepos, quas aerumnas tetulisti!

Citat & Nonius, sed nimium quantum corrupte: *Nepos,* inquit, cap. III. §. 147. *dici & femina potest, Ennio auctore, quae nunc Neptis dicitur, Iliada: Nepos quas aerumnas tetulisti?* Henricus Stephanus, vir, si quis alius, linguae Graecae peritissimus legendum putat *Iliona*. Scilicet vi conatur hic, quod non erat necesse, excitare Tragoediam. Sanandus Nonius, obferentibus medicinam Charisio; qui enim, si vulgatam apud illum lectio admittatur, probabitur hanc vocem de femina dici? & Festo, qui in *Recto fronte*, priora hujus versus verba adducit: *antiquae id consuetudinis fuit,* inquit, *ut quum ait Ennius quoque, a stirpe supremo; &, Ilia dia nepos.* & quae sequuntur. Digreditur, occasionem nactus poeta, ab historiae narratione in Malorum & Calamitatum Iliada, quae Ilia Vestalis passa: misertus adflictissimae, cui nulla non addebatur adflictio, cum exclamatione Manes ejus adloquitur:

Henrici Stephani hallucinatio

Nonius emendatus

Ilia, dia Nepos, quas airumnas tetulisti!

HISTOR. CONTINVAT

SIc maxumas illa fert aerumnas, in patre Numitore, quod ab Amulio tyranno regno privatus & pulsus: in fratre Aegesto, quod crudeliter interemtus:

ANT. V. C. XIIX

emtus: in ſe, quod vi Veſtae ſacerdos obtruſa; quod ſpe prolis orbata; quod vi compreſſa; quod carceri mancipata; quod denique in Tiberim praecipitata (*quas in gemellis ſuis tulerit, dicam. Pleraque hujus Tragoediae, & quae alia ejus temporis, praeceſſerat horrenda Solis Eclipſis, quae inciderat in tempus Conceptionis Romuli & Remi, ann. 11. Olympiad. 11. primo die menſis Thargelionis. Dionyſius Halic. lib. 1. Falſam eſſe ſupputationem apud Plutarch. TaruntI Mathematici, qui Eclipſin hanc refert ad annum 1. Olympiad. 11. Aſtronomicus Calculus apud CL. V. Henricum Buntingum evidenter oſtendit*).

TaruntI Mathematici apud Plutarch. error

DIA NEPOS 20.) Quia genus illi a ſummo Iove per Venerem & Aeneam, quem etiam *Iovem Indigitem* poſt mortem coeperunt appellare

Nepos

NEPOS 20.) Latioris ſignificatus haec vox, quo VI. Aeneid. apud Virgilium:

. . . . omnemque ſuorum
Forte recenſebant numerum caroſque nepotes,
Fataque fortunaſque virum . . . .

Interpretatur Servius *poſteros. Dia Nepos*; alibi Ennius; *progenies a ſanguine Divum & Sanguen DIs oriundum*. Servius ad eumdem Virg. librum refert ex Ennio Iliam Aeneae filiam fuiſſe. Filia ſane fuit, ſumto largius vocabulo, pro undecima ſobole. Filiorum enim appellatione, non ex verborum figura, ſed mente vel loquentis vel ſcribentis, Nepotes continentur; Nepotum vero, omnes poſteri; quemad-

quemadmodum Patrũ voce, Avi & omnes Majores, nisi in casibus ab lege exceptis. DD. ad l. filij, 84. l. quisquis, 116. l. Servius, 122. l. justa interpretatio, 201. l. liberorum, 220. D. de verb. signif. l. si quis ita dederit. 16. in pr. D. de testam. tut. l. si ita sit scriptum 45. in pr. D. legat. II

TETVLISTI 20.) An non imitatus Caecilius, apud Nonium, in ὑποβολιμαίῳ? apud quem finis & principium Trochaicorum, ex familia hypercatalectica:

Caecili versus emendati & connexi

. . . . aerumnam pater
Tetulisti meam . . . .

Cui adstans, nescio quis, obgannit verbis, quae apud Festum in Stolidus:

Hinc abi tu stolide; illi ut tibi siet pater?

Sic enim omnia scribenda & locanda. Pro *abi tu* potest & *abito. Illi* autem pro *Illic*, ut saepe apud Plautum & alios: quamvis nec *ille* male successerit. Glossar. D. Benedicti: *Tetulit*, ὑπήνεγκεν

CETERA IV

Fragmentum hoc, benificio V. N. Iosephi Scaligeri, lucem nunc primum videt exscriptum cum multis multorum auctorum alijs, ex Schidis Servianis Petri Danielis, mihi quomdam in Gallijs amicissimi, quod humanitas ejus summa flagitabat; colendi vero, quod non vulgaris ejus eruditio. Omnes his verbis moeroris maculas abstergere poeta conatur Iliae: Amulium scilicet in Patrem, Fratrem, ipsam denique pro libitu saevijsse; ferret illa: cetera; quos pepererat, ne curaret; illos enim ex saevissimis malorum undis feliciter emersuros, & tam immania magni sui patrui flagitia, quum adoleverint, vindicaturos

Aa HAIC

Haic ecfatus iv

Nonius Marcellus cap.iv.§.296. *Facessere*, inquit, *est facere. Ennius Annalium lib.1:*

Haec effatus, ibique latrones dicta facessunt

HISTOR. CONTINVAT

Ant. V. C. XIIX

Amulius, e medio sublata Silvia, suis exponit sinistra de ejusdem gemellis praesagia; quos advocatis Lictoribus (*qui* Latrones *Ennio*) in Tiberim abjiciendos tradit. Illi

Iussa recusantes peragunt lacrumosa . . .

(*ut ait Ovidius 11. Fast.*) & non pro virili. Forte quadam an divinitus (*sic obiter lego apud Livium lib.1. mutata S in F. littera, & revocata in vitam voce, quam posterior praecedentis syllaba delerat*) super ripas evagatus Tiberis adiri nusquam ad pleniorem cursum poterat, spe nata ferentibus posse mergi tenellos aqua, quamvis languida, velut defuncti regis imperio in proxima alluvie pueros exponunt

Livius castigatus

Ennius correctus

Ecfatus 26.) Sic scripsi antiquiores Orthographos sequutus: in vulgatis erat *effatus*

Iterum

Ibus 26.) Vulgariae editiones *ibique. Ibus* placuit eo magis, quod idem CL. V. Iusto Lipsio, libro 11. Antiq. Lect. cap. iv. Utuntur ea voce praeter Plautum & alios, Pomponius in Pappo Agricola & Titinnius in Gemina. Restituit autem Plauto & Varroni Ianus Gulielmius, quaest. in Capt. cap. 1. Eadem & alijs apud Ennium locis migravit

migravit in *Ibi*, quod parebit. Sic *Hibus* pro *his* Veteres protulisse notat Priscianus libro XIII. ad quam vocem Sosipater libro I. Plautum laudat in Curculione: *& Plautus inquit, in Curgulione Hibus; & Ennius in Protreptico Pannibus, quae notanda videntur*. Optimae tamen notae Charisij codex, quae apud N. V. Ianum Duzam, *Ibus* habet expressum, non *Hibus*. Idem magni judicij pro Enniano *Pannibus* margini adnotarat reponendum forte *meibus*; quod omnino probo, quamvis non ignorem eam vocem usurpatam & Pomponio in Maccis geminis. Iosephus Scaliger & Hieronymus Columna pro *ibique* hoc loco legendum monent *ubei*; quis non gravatim accessissem, nisi, fragmentis Annalium jam editis, summorum virorum judicia didicissem

Plautus fortean apud Charisium

& iterum Ennius

LATRONES 26.) Vide Varronem lib. VI. de L.L. Servium ad XII. Aeneid. & Festum libro X

DESTITUUNT IV

Ennius varie emendatur

Festus lib. XVI: *Remant, repetunt. Ennius lib. I:*

Desunt rivos camposque remant . . .

Fulvi Ursini editio: *Remanant, reptent. Ennius lib. I:*

Desunt rivos, camposque remant . . .

Legit ibi vir doctissimus: *Revitant repetant. Ennius libro I:*

Deserunt clivos camposque revitant.

Plautus enim in Captiveis, Si huc revitet, dixit. Magnus Scaliger ad Festum: *Revitant, repetant. Ennius libro I:*

Destituant rivos, camposque revitant

Revitere enim, inquit (quod melius *Rebitere*) in Glossis exponitur περικάμψαι. Idem, quum Annalium fragmenta jam essent excusa, & totus ego in conficiendo Commentario,

ad me ſcripſit hunc EnnI locum corruptiſſimum, concipiendum ſic & connectendum cum alio, qui apud Servium ad III. Georg. in noſtra vero editione fol. XXXIX. 33.

. . . deſtituunt rivos campoſque remanant;
Perque fabas repunt, & mollia crura reponunt

Hieronymus Columna, vir, cui civicam coronam debet Ennius, FulvI ſequitur editionem, ſed pro *Remant* in EnnI verſu *Remanant* corrigit. *Nam*, inquit, *fruſtra Feſtus pro explicatione verbi Remanant haec EnnI verba retuliſſet, ſi Remant ibi legeretur; & quod ita ſcriptum fuerit, etiam metri lex ſuadet.* Quamquam vix mihi quod contra tam ſanctos Critici Senatus principes: (quibus accedit & Petr. Colvius, qui proprijs fere oculis in Gallia quomdam, poſtea etiam in Batavia mihi fuit carior, ad librum III. Floridor. ApuleI) ſcripſiſſe tamen Feſtum, &, quem ille citat, Ennium, arbitror, vel: *Remant, repetunt. Ennius libro I:*

Deſtituunt rivos, campoſque remant

Lucretio melius

Remare pro *Remeare*, quam vocem ab uſu remotiorem non infeliciter reſtituit Lucretio ſuo V. CL. Obertus Giſanius libro III. de rer. nat.

Vnde homines, dum ſe falſo terrore coacti
Reffugiſſe volunt longe, longeque remaſſe;
Sanguine civili rem conflant, divitiaſque
Conduplicant avidi, caedem caedi accumulantes.

Legebatur enim *remoſſe* turbatiore ſententia. Qualis hujus fuit verſus Enniani finis, tales aliorum apud eumdem, IV, 3. VII, 36. XII, 28. XIII, 14. XIV, 21. 22. Vel: *Reditant, repetunt. Ennius libro I:*

. . deſtituunt rivos, campoſque reditant.

Vel:

Vel: *Remigrant, repetunt. Ennius lib. I:*

destituunt rivos, camposque remigrant

Possem & alias corruptioribus voces subrogare; sed sufficiunt, quas indicavi. Sensus certe claret

HISTOR. CONTINVAT

LAtrones facto, quod imperarat Amulius, relictis ad radices Palatini locis, quos cum paludes, tum rivulos fecerat Tiberis, & ubi geminos exposuerant, ad campos remeant, & superiora loca repetunt ANT. V. C. XIIX

FORTUNAS IV

Nonius Marcellus cap. II. §. 508. *Latrocinari, militari mercede. Ennius:* *Ennio varia medicina*

Fortunas quas coepere Latrones iterserare

Emendant alij: *inter se memorare*; alij, *inter se memorant*. Mallem ego:

. . . *fortunas ecquas coepere Latrones*
Inter se serere . . . .

Serere fortunas, nihil aliud quam confabulari & verba facere de fortunis

HISTOR. CONTINVAT

REvertentes ad regem inter se sermones serunt, ecquas in exponendis geminis fortunas essent experti ANT. V. C. XIIX

GEMINEI IV

Virgilius libro VIII. Aeneidos:

Fecerat & viridi foetam Mavortis in antro
Procubuiſſe lupam, geminoſque huic ubera circum
Ludere pendentes pueros, & lambere matrem
Impavidos . . . . . .

Ad quem locum Servius, *Hic totus locus*, inquit, *Ennianus eſt*. Quia incertum, quo haec modo ab Ennio ſcripta, licentius ſic mutavi:

. . . gemineique hinc ubera circum
Ludunt pendentes puerei . . .

In eum enim locum digitum intendit Grammaticus. Plura fortaſſean EnnI latent hic apud Virgilium: malui tamen mediam quaſi ingredi viam & timiditatis inſimulari potius in ſcrutando, quam temeritatis accuſari in ſcribendo. Religio mihi quid quod non auctoris auctori adſcribere

HISTOR. CONTINVAT

ANT. V. C. XIIX

INfantes interim vagientes volutantur in coeno. Accurrit Lupa: quae nocentiſſima bellua non ſolum aetatulae parcit innocenti, cui non pepercerat homo; verum etiam, σπαργῶσα τοὺς μαστοὺς ὑπὸ γάλακτος, mammas praebet, lutumque quo ſe inquinârat fatalis proles, ablambit. Pendentes ludunt pueri circum ubera ferae, vere feritatem adgenitam oblitae

Dolciferai v

Laudat Soſipater Chariſius libro 1. Inſtit. Grammat. ubi Ficus examinatur. *Fici*, inquit inter alia, *Ennius*:

Dulciſe-

Dulciferae fici lactantes ubere toto.

Lucilius:

. . . *fici comeduntur & uvae*

HISTOR. CONTINVAT

STratos autem ſub Caprifico (*quae deinde* Rumi- ANT. V. C. XIIX
nalis *dicta*) non ſolum nativo lacte Lupa; verum etiam ipſarum ficuum, quas in cibum illa converterat, ſuccus (*qui, ut Plinius notat lib.* XIII. *cap* VII. *lacteus & coaguli modo lac contrahit*) toto ubere diffuſus lactat infantes

ENDOTUETUR V

Nonius Marcellus cap. IV. §. 385. *Parumper*, inquit, *cito & velociter*, & poſt laudatum ex libro Annalium I. Ennium addit: *Idem eodem:*

Inde tuetur ibi lupus, femina conſpicit amneis
In campo celeri paſſu premens parumper,
Conjicit in ſylvam ſeſe

HISTOR. CONTINVAT

COncurrunt ad ſpectaculum cum Fauſtulo, re- ANT. V. C. XIIX
gij pecoris magiſtro, paſtores; accedunt propius, & feram terrent clamoribus. Intuetur eos Lupa, quos ubi celeri gradu videt praeſto eſſe, abit, & in nemus Pani ſacrum, quod non longe aberat, ſeſe conjicit (*Dionyſius, Livius, alij*)

ENDOTUETUR 5.) Pro *Intuetur*. In vulg. legebatur,

Inde

Endo pro In

Inde tuetur. Saepe *Endo* mutatum a Sciolis in *Inde*, cum apud Enniũ, tum alios. Monuerunt alij, inter quos V.CL. Obertus Gifanius ad Lucretium. Voci non saniter intellectae Graecam interpretationem corruptius adponit D. Benedicti Glossarium: docet Vir magnus ad Festi librum de verb. signif. v. Glossarium FornerI: *Endocoepta* ἐγχειρήματα. *Naevius Lurco, Lurco, aleo, endocoepta per te temeriter face missa tu cavesis*. Hujus fragmenti benificio tria alia connecto; unum quod apud Festum in *Aleo*, non addito Fabulae nomine, alterum quod apud Nonium in *Contendere*; tertium, quod apud eumdem in *Injurie*; hoc modo; *Naevius Lycurgo:*

Quatuor Naevi fragmenta collecta & correcta

A. Pessumorum pessume, audax, gaaneo, lurco, aaleo,
Endocoepta per te temeriter face missa, tou cave
Sis tuam contendas Iram contra cum Ira LIberI:
Oderunt DI hemoones injouriossos. B. Egon' an ille
Injourie fecimus?

In Glossis pro priore voce *Lurco* legendum *Lycurgo:* apud Nonium in *Injurie*, pro *Injuriose* reponendum cum distinctione *Injuriosos*. Versus sunt Octonarij Catalectici, ex Classe Trochaica, mistis nonnusquam alijs pedibus. Sequebatur in ijsdem Glossis *Endocise*, κομματικῶς, *Nigidius. Endoclusus*, ἐγκλεισθεὶς: & id genus alia, quae pueris nota

IBUS 5.) *Endotuetur ibus* pro *eos* dixit Ennius, quemadmodum apud Nonium Varro lib. IIII. de Vita populi Roma. *Tanta porro invasit cupiditas honorum plerisque, ut vel coelum ruere, dummodo magistratum adipiscantur, exoptent. Ita propter amorem Imperij, Magistratus gradatim seditionibus sanguinolentis, aut dominatibus, quos appellabant*; & quae porro doctissimus scriptor his subjiciebat. Sic emendo & connecto quae

Varronis duo fragmenta connexa, & emendata

quae apud Nonium corrupta & divulsa in *Sanguinolentum* & *Dativus pro Accusativo*. Eodem modo loquũtur M. Tullius ad Tironem, & imitatus Ennium suum Lucretius

LUPU' FEMINA 5.) Non *Agnam*, non *Lupam* dicebant Veteres; sed *Agnum, Lupum* & fortean alia, Graecos sequuti, utroque genere enunciabant, testibus Festo non semel, Capro & Probo; & sexui discernendo adjiciebant voces *Mas* & *Femina*. *Agnus Mas* in lege Numae de Opeimeis spolieis apud Festum libro de verb. sig. XIII. QUOIUS AUSPICIO, CLASE PROCINCTA, OPEIMA SPOLIA CAPIUNTOR, IOVI FEDETRIO BOVEM CAIDITO: QUI CEPET, AIRIS CCC. DARIER OPORTETO. SECUNDA SPOLIA ENDO MARTIS ASAM ENDO CAMPO SUOVETAURILIA, OUTRA VOLET, CAIDITO: QUI CEPET, AIRIS CC. DARIER OPORTETO. TERTIA SPOLIA IANO QUIRINO, AGNOM MAREM CAIDITO: QUI CEPET, AIRIS C. DARIER OPORTETO. Ita fere conceptam fuisse hanc Numae PompilI legem, testantur, cum vetus Orthographia, tum, quod ad sententiam, Plutarchi verba: Τὰ δὲ σκῦλα, inquit, σπόλια μὲν κοινῶς, ἰδίως δὲ Οπίμια ταῦτα καλοῦσι. Καί τοι φασὶν ἐν τοῖς ὑπομνήμασι Νοῦμαν Πομπίλιον καὶ πρώτων ὀπιμίων, καὶ δευτέρων, καὶ τρίτων μνημονεύειν; τὰ μὲν πρῶτα ληφθέντα, τῷ φερετρίῳ Διῒ κελεύοντα καθιεροῦν: τὰ δεύτερα δὲ τῷ Ἀρεῖ: τὰ δὲ τρῖτα τῷ Κυρίνῳ. καὶ λαμβάνειν γέρας ἀσσάρια τ', τὸν πρῶτον; τὸν δὲ δεύτερον, σ'; τὸν δὲ τρίτον, ρ'. *Agnus Femina* in ejusdem regis est lege de Pellice apud Festum libro XIV. & Agellium lib. IV. cap. III. PELEX ASAM IOUNONIS NEE TAGITO, SI TAGIT, IOUNONI, CRINEBOS DEMISEIS, AGNOM FEMINAM CAIDITO. In *Lupum Marem* nondum incidi. *Lupus Femina* hic apud Ennium; quae discretionis vox perijt apud Festum lib. XV. ubi ille in Recto fronte: *ut quum ait Ennius quoque, a stirpe supremo; & Ilia dia nepos; & Lupus foeta; & nulla metus*. Legendum enim *Lupus femina*. Nam designat

Agnus, Lupus, feminae

Legibus Pompilijs lux & medicina

Ennius apud Festum forte correctus

gnat ibi Festus hunc EnnI locum. Non obloquar tamen, si quîs *Lupus foeta*, ut EnnI verba, adridet. Eos juvare videtur Virgilius VIII. Aeneid.

Fecerat & viridi foetam Mavortis in antro
Procubuisse Lupam . . . .

& magis Ovidius lib. II. Fastorum:

Venit ad expositos mirum Lupa foeta gemellos;
Quis credat pueris non nocuisse feram

LUPU' FEMINA 5.) Hunc locum notat Quintilianus lib. I. cap. X. *Lupus masculinum: quamquam Varro in eo libro, quo initia Romanae urbis enarrat, Lupum Feminam dicit, Ennium Pictoremque Fabium sequutus*

Ennius castigatus varie

CONSPICIT OMNEIS 5.) Sic lego pro *Amneis*, quae vox historiam turbat. Iosephus Scaliger, vir eruditione omnibus superior ad Festi librum XII. sic legit:

Indutuetur ibi Lupu' femina conspicio amens.
Hinc campom celeri passu permensa parumper
Conjicit in silvam sese . . . .

Idem totum hunc locum in litteris ad me suis ita concipit:

Endotuetur ubei Lupu' femina conspicio omnes
In campo celeri passu praesto isse: parumper
Conjicit in silvam sese . . .

& de voce *Conspicio* subjicit: *Conspicio intueri, quod* ὑποκοριστικῶς *Conspicillo*. Eleganter *Specio, Specium, Conspicium, Conspicillum*, quod apud Nonium cap. II. §. 116, *unde conspicere possis.* Plautus Medico:

In

In conspicillod adservabam pallium,
Observabam . . . . .

Sic enim restituenda, quae corruptius in Vulgatis. Non displicet, quam Ennium hic usurpasse aliquando sum arbitratus, vox auguralis, *Conspicio:*

Nonius & apud eum Plautus emendati

Endotuetur eos Lupu' femina conspicione;
Hinc campom celeri paßu permensa parumper,
Conjicit in silvam sese . . . . . .

Varro lib. VI. de L.L. *Contemplare & Conspicare idem esse apparet: ideo dicere, quum templum faciant, Augures Conspicione, qua oculorum conspectum finiant,* &c. Excusum a me *conspicit,* quo forte respicit Glossarium, ipsissimas auctorum voces citare solitum: *Conspicit* συνορᾷ, καθορᾷ

IN CAMPO 6.) Quem Palatino & Saturnio montibus adjacentem nondum inundarat Tiberis

CELEREI PASSU 6.) Quid si *passu celebrei?* qua voce pro veloce usus Attius in Aegistho:

Conjectura in Ennio

Celebrei gradu gressum adceleraße decet

PRAISTO ESSE 6.) Sic ego: ocellus ille suis Gallijs, *praesto isse.* Corruptissima haec in vulgatis, *premens parumper:* quibus quis sensus? Fuit, quum mihi placeret *remeare.* V. CL. Hieronymus Columna, ut & paullo ante Scaliger. *permensa parumper,* quae vox & alibi apud Ennium:

Ennius correctus

Sed sola terrarum postquam permensa parumper

Ejusdem sententiae & N. V. Ianus Duza, qui & Plautum suum sic loquutum ad me scripsit; in Pseudolo, Sc. Ne plora:

Plauto melius

Quin hinc metimur gradibus militariis?

Quam lectionem omnibus litteris invenio in Veneta, quae apud me, editione. Vulgata habet:

Quin hinc comitamur gradibus militariis?

CONIICIT IN SILVAM SESE 7.) εἰς τὸ τοῦ Πανὸς νάπος. Dionyſ. lib. 1. Καὶ ἦν γάρ τις οὐ πολὺ ἀπέχων ἱερὸς χῶρος ὕλῃ βαθείᾳ συνηρεφής, καὶ πέτρα κοίλη πηγὰς ἀνιεῖσα: ἐλέγετο δὲ Πανὸς εἶναι τὸ νάπος, καὶ βωμὸς ἦν αὐτόθι τοῦ θεοῦ

ACCA LARENTIA V

Sic illa poſui tamquam EnnI verba ex origine gentis Romanae, vbi ſic legitur: *Tum illi, quibus id imperatum erat, impoſitos alveo pueros, circa radices montis Palatii in Tiberim, qui tum magnis imbribus ſtagnaverat, abjecerunt: ejuſque regionis ſubulcus Fauſtulus, ſpeculatus exponentes, ut vidit relabente flumine alveum, in quo pueri erãt, obhaeſiſſe ad arborem fici, puerorumque vagitu Lupam excitam, quae repente exierat, primo lambitu eos deterſiſſe, dein levandorum uberum gratia mammas praebuiſſe; deſcendit ac ſuſtulit, nutriendoſque Accae Larentiae, uxori ſuae dedit, ut ſcribunt Ennius in I. & Caeſar II.* Plura hic proculdubio EnnI: ſed ſufficiant, quae ejus certo

HISTOR. CONTINVAT

ANT. V. C. XIIX

FAuſtulus collectos gemellos ad ſtabula Laurentiae conjugi educandos defert. Haec eos lactat & materna cura nutrit. *(Laurentiam, vulgato corpore, inter Paſtores Lupam & meretricem vocatam ſcribunt, praeter alios, Auguſtin. de Civit. Dei lib.* XXVII. *cap.* XXI. *& Lactantius lib. I. de falſ. relig. cap.* XX. *Inde nata fabula: quam tamen non agnoſcentes, in veram Lu-*

pam

pam conſpirant Fabius Pictor, L. Cincius Alimentus, M. Porcius Cato, Calpurnius Piſo, Dionyſ. Halicarnaſ. Plutarch. L. Florus, Iulius Higinus, Virgilius, Propertius, Ovidius, alij. Opera Pici, avis Marti ſacratae, in ſubminiſtrando gemellis cibo celebratur apud Plutarch. & Ovidium III. Faſtor.)

OLLI RESPONDET V

Donatus de IX. Metaplaſmi ſpecie: Διαίρεσις, inquit, *eſt diſciſsio ſyllabae unius in duas facta, ut eſt:*

Olli reſpondet rex Albai longai

pro eo quod eſt, Albae longae. Quod Donatus ſupprimit, auctoris nomen edit Attilius Fortunatianus, qui hoc EnnI verſu docet minimum heroicum conſtare XII. ſyllabis. Vt apud Ennium Albanorum Amulius incitato; ſic apud Virgilium Aboriginum rex

Olli ſedato reſpondet corde Latinus

HISTOR. CONTINVAT

ITa geniti, ita educati, quum primum adolevit aetas, venando peragrant ſaltus; non in feras tantum, ſed & in latrones praeda onuſtos impetum faciunt; rapta paſtoribus dividunt; quibus Latrones ob iram amiſſae praedae inſidias ſtruunt; Romulus vi ſe defendit; Remus capitur; captus Amulio traditur *(Pertinent haec ad verba utrimque habita)* ANT. V. C. I

OLLI 14.) Hoc huicque ſimilia deſignat Servius libro XI. Aeneid. ubi Virgilius:

Olli convenere, fluuntque ad regia plenis
Tecta vijs

Olli, inquit, *secundum Ennium.* Plura dicam alibi

ASТ HIC V

Ennius emendatus

Nonius cap. XI. §. 57. *Torviter,* inquit, *Pomponius Auctorato: Occidit taurum torviter me amores amavit. Ennius Lupiast. Quem nunc tu tam torviter increpuisti.* Vetus apud me codex, *Lupiasta.* Vitiosa operis inscriptio. Alij (feliciter, quod primi) legunt, Pancratiaste, quae EnnI Comoedia citatur & alibi apud Nonium tribus locis. Felicius magnus Scaliger: *Ennius lib. primo: Ast hic, quem,* &c. Felicissime, &, ut arbitror, verissime, Hieronymus Columna: *Ennius lib. primo. Hasta, quem nunc,* &c. qui etiam, non male, hoc fragmentum vult exaudiri de Romulo, Remum increpante & rutrum in ejus caput infligente. Paullo sequior mea mens. Nam, ni fallor;

HISTOR. CONTINVAT

ANT. V. C. I

AMulius torviter Remum propter insolentiam increpat. *(Ennius* κατ' ἀποστροφὴν *monet quasi Amulium, pastorem illum juvenem, quem castigabat, fore, a quo non solum regno, sed vita etiam spoliaretur)* Accusatus abigeatus & turbati Numitoris agri Numitori ad supplicium deditur. Faustulus, cui spes fuerat ab initio regiam stirpem apud se educari, necessitate coactus Romulo rem aperit. Numitor etiam sciscitando eo pervenit, ut haud procul esset, quin Remum nepotem adgnosceret. Amulio dolus undique nectitur; obtruncatur Albae, quum

regnasset

regnasset annos XLII. Numitor rex creatur, Latinorum ultimus, anno ab excidio Trojano CCCCXXXII. (*Dionysius, Livius, Ovidius III. Fast. alij*)

TORVITER 16.) Memor erat hujus Enniani Priscianus, quum scriberet lib. XV. alios alijs Adverbijs usos, Ennium vero. *Proterviter, ignaviter, inimiciter, iracunditer, superbiter, temeriter, praeclariter, torviter, puriter*, & similibus.

NASCERE V

Hoc primae notae fragmentum cum sequenti est apud Calpurnium libro I. de Continentia veterum Poetarum: *Apostrophe*, inquit, εὐκτικὴ (vel *Euctica*, sic lego pro *Entica*) *est, quotiens, aversa jam ad quaevis oratione, miscentur vota vel bona vel mala. Ennius in primo Urbem condendam compellat, & compellatae omnia, quae magnitudinem ejus testatura, precatur his verbis:* Calpurn. Piso correct.

Nascere quae populos terraque marique lacesses
Belli turbine praepropero, concussa tremiscent
Cuncta acres a te vires . . . . . .

& quae postea: concludens in conventa Romae genetrice:

. . . . . . *In Roma Troja revixsti*

hactenus Calpurnius. Nescio an elegantiores horrendi naufragij, quod passus in suo foetu Ennius, tabulae reperiantur apud Grammaticos. Inlustrarant quidem supra modũ, quum Ennius, Auguris instar, haec ecfaretur, populum Ro. a se & domi & foris, cum prudenter, tũ fortiter gesta: sed nondum ad eam, qua Augusti tempore laboravit, pervenerat magnitudinem. Quae ante Ennium patravit populus Rom. a puero inbelli & adolescente magnae spei videntur patrata; prae, quae post Ennium ad Augusti princi-

principatum : ea juvenile robur, viri fortitudinem, ſenis prudentiam repraeſentant

Ennius correct.

Praipropero 19.) Sic legendum cenſeo. Nam expreſſum erat apud Calpurnium *proprio*

Concvssa tremiscent 19.) Neſcio an imitatus Lucretius libro vi:

Et merito quoniam plauſtris concuſſa tremiſcunt
Tecta, &c.

Iterum

Acreis a te vireis 20.) Ita excudi feci pro *Acriſſate viros.* divinent alij felicius. Vox A juncta ſexto caſui inducit vim patrI & poſſeſſivi. Lucretius lib. ii:

. . *neque fulgorem reverentur ab auro*

id eſt auri fulgorem. *Acreis a te vireis,* id eſt acreis tuas vires

In roma v

Cohaerebant haec apud Ennium ſuperioribus, docente Calpurnio, quibuſdam interjectis. Digna ad hunc locum lectu, quae in Tibulli Elegiam i. libri iiii. notavit vir ſummus. Trojae interitus Romae fuit ſerius ortus. Valde ſcite Propertius lib. iv. Eleg. i:

Dicam Troja cades, & Troica Roma reſurges:

id eſt, canam caducam & recidivam Trojam : canam Ἰλίου ἅλωσιν, & adventum Aeneae in Italiam, qui fuit in urbe Roma Trojae παλιγγενεσία, eaque talis, ut ſi Troja eſſet, ſe miraretur. Tibullus:

Troja quidem tum ſe mirabitur, & ſibi dicet
Vos bene tam longa conſuluiſſe via

Tertium

Revixsti 22.) Legebatur in M.S. *reviſti,* vox nihili hoc loco

Coiran-

Integrum hoc EnnI fragmentum exſtat apud Ciceronem libro 1. de Divinat. non indicato libro. Eſſe ex primo promtum liquet cum ex hiſtoria, tum ex antepenultimo verſu, qui citatur ex 1. Annal. ab Agellio libro VI. cap. VI. Accedit Libellus, qui inſcribitur Origo gentis Romanae, adtributus Aurelio Victori, ubi in calce ſic legitur: *Contra Egnatius libro I. in ea contentione non modo Remum non eſſe occiſum, ſed etiam ulterius a Romulo vixiſſe tradit.* Emendo; *Ennius libro I.* Notus quidem Egnatius, poeta venerandae etiam antiquitatis, qui ſcripſit libros de rerum natura: citat Macrobius lib. V. Saturnal. cap. 1. ſed vix eſt ut deſignetur is in Origine gent. Ro. Nam quid Romulo & Remo contendentibus cum rerum natura? Nec obſtat Inſcriptio ejus libelli, quae Egnatium nominat. Ea enim vel corrupta etiam, vel non ab auctore, ſed ab alio. Scrupulum tamen injiciunt, quae dicam ad pag. VI. lin. XII. Nam Remus ibi, etiam Ennio canente, occiditur

Origo gentis Rom. emendata

HISTOR. CONTINVAT.

NVmitori permiſſa Albana re, Romulum & Remum, quo loco fuerant expoſiti & educati, urbis condendae capit cupido, quam mox deturpat, avitum malum, cupido regni. Convenit ut DI, quorum in tutela, quem dixi, locus, augurijs legerent, uter nomen urbi daret, conditamque regeret imperio. Palatinum Romulus, Remus Aventinum ad inaugurandum templa capiunt. Intendit negocio mentem oculoſque vulgus. Remus prior ſex vultures de coelo ſervat; alterum tantum po-

Quo anno Vrbs condebatur

ſterior Romulus; (*pauca haec pluribus explicat, & inſigni ſimilitudine exornat Ennius:*) qui, auſpicio potior, urbem condere coepit, Numitore XVI. Latinis imperante; in fine anni ultimi VI. Olympiadis: (*Clemens Alexandrinus lib. I. Stromat. Verrius Flaccus, & Iulius Solinus apud Onuphrium Panuinium in Faſtis, qui & aliorum recenſet opiniones*) anno ab Troja capta CCCCXXXI. (*Dionyſius Halic. Diodorus Siculus, Euſebius, alij. Virgilius numerat annos* CCCXL. *Aeneas enim, eo canente libro I. ſeptennium erravit, triennium imperavit, Aſcanius vero* XXX: *a ceteris Albanorum principibus annos regnatum trecentos: unde ibidem Servius: Inter excidium Trojae & ortum Urbis Romae anni numerantur* CCCXL. *Virgilio ejuſque interpreti convenit fere cum Livio, qui libro I. Tullum Hoſtilium (hic anno imperij quarto, Urbis vero conditae* LXXXV. *Albam, Metio Fuffetio, qui proditionis reus, quadrigis lacerato, evertit & Albanos Romam traduxit) unius horae ſpatio quadringentorum annorum, quibus Alba ſteterat, opus excidio & ruinis dediſſe rotundo numero ſcribit. Velleius Paterculus vol. I. nominat annum ab exciſa Troja* CCCCXXXVII. *expungenda fortean quinarij nota, ut conveniat diligentiſſimo ſcriptori cum non indiligentiore & exactiſſimo temporis notatore Dionyſio Halicarnaſſ. a quo non abit hac in re Plutarchus in Romulo.*) XI. Kalend. MaI (*Ovid.* IIII. *Faſt. &*

Annus Vrbis conditae

Velleius Paterculus emendatus

Dies Vrbis conditae

Solin.

Solin. cap II. *Plutarch.*XII. *Kalend. MaI, id eſt pridie Paliliorum adgnoſcit. Vtrorum ſanior ſententia? certe magni fiebat Natalis Urbis dies: eo hoſtiam mactari nefas fuiſſe omnes ſcribunt: eo jura differt Iuſtinianus l. omnes dies.7. C. de ferijs: eum denique celebrabant provinciae, quod non obſcure indicat Mamertini Panegyricus Maximiano Auguſto dictus. Obiter addo decretum fuiſſe, ut dies, quo Imperator factus Caligula, vocaretur Parilia, velut argumentum rurſus conditae urbis, Suetonio teſte in ejus vita cap.* XVI *)* qui incidit in medium Veris tempus , Sole occupante xx. gradum Arietis *(Henricus Buntingus in Chronologia. Adeundus etiã, cui ab ferijs quid otij, L. Tarrutius mathematicorum peritiſſimus, apud C. Sempronium, cujus de Diviſione Italiae circumferuntur quaedam fragmenta)* ipſe annum aetatis agens XIIX. *(Eutropius libro* I.*)*

COIRANTES CUM COIRA 24.) Ἀθλικισμὸς, cujus generis λέγειν λόγον, μάχην μάχεσθαι, ὕβριν ὑβρίζειν, φροντίζειν φροντίδα, φυγὴν φεύγειν, & talia. Ab hoc Enniano non abſonat illud Plauti in Menaechmis:

Magna cum cura ego illum curari volo.

& paullo poſt:

Ita ego illum cura magna curabo tibi

AUSPICIO AUGURIOQUE 25.) Non abſimile harum vocum conjugium eſt apud Livium libro V. ubi M. Furius Camillus Dictator in nobiliſſima illa contra Tri-

bunos plebis oratione, qua dissuadet Vejentem migrationem, *Vrbem*, inquit, *auspicato inauguratoque conditam habemus.* Et nescio an idem perierit apud Plautum in Asinaria Act. II. Sc. I. ubi Libanus:

Certe hercle ego quantũ ex augurio auspicij intelligo,

In Plauto conjectura

ait. Scripserat forte Plautus, ut sit Octonarius, quales plerique ibi, Acatalecticus:

Certe hercle ego quamtum ex auguriod auspicioque
intellegô.

Nolo tamen hoc indicatum evertendae prorsus lectioni vulgatae

AVEM SERVAT 27.) Propria voce utitur. Sic Ovidius lib. I. Trist. Eleg. VIII

Linguave servatae pennave dixit avis

Et Ennius hoc eodem fragmento:

servans genus altivolantum

Avis autem *servata* dicebatur *Admittere, Addicere, Secundare; Arcere, Remorari*; unde *Admissivae, Addictivae, Secundae, Arculae, Remores* Aves. Exempla nusquam non

ROMOLU' POLCER 27.) Vide quae ad hunc locum notata Hieronymo Columnae. Ego non semel dixi Deos, Deas, Hominesque inlustriores hoc Epitheto insigniri. *Polcer* etiam *Romulus* est apud Ovid. II. Fast. *Polcer Iulus*, apud eumdem de morte Tibulli. *Pulcer Equicolus armis*, apud Virg. IX. Aeneid. Servius ad XI. Aeneid. *Pulcrum & puerile* synonyma adgnoscit

AVENTINO 28.) Historiographi omnes Aventinum ab Re-

ab Remo, Romulo vero Palatinum servandis avibus fuisse captum: alia mens Ennio

ALTIVOLANTUM 28.) Vtitur in describendo Solis cursu Lucretius libro v. de rer. natura:

Hic neque tum Solis rota cerni lumine largo
Altivolans poterat . . . . . .

Sic enim Veteres libri legendum ibi monent, non *alta volans*, ut recentiores praeferunt. Lucretius fortean lectus ab Glossographo, qui apud Fornerios: *Altivolans* ὑψιπέτης *Lucretius correctus*

ROMAMNE REMAMNE 29.) In alijs TullI libris: *Romam Remuramne vocarent.* Varias variorum opiniones, unde Romae nomen, recensent Dionysius Halic. lib. 1. Plutarchus in Romuli vita, & Solinus lib. 1. Polyhist. Quibus addendi Livius lib. 1. M. Terentius Varro lib. de re rustica III. in princ. & de L. L. lib. IIII. Pompeius Festus libro de verb. sig. xv. Virgilius lib. 1. Strabo libro Geogr. v. Acron ad Horat. lib. 1. Ode XII. Sueton. in Augusto cap. VII. Iustinianus Novell. XLVII. in Praefatione, Isidorus lib. IX. cap. II. qui etiam nonnihil hac de re lib. XV. cap. 1. *Nam Sallustius dicit*, inquit: *Vrbem Romam, sicuti ego accepi, condidere atque habitavere initio Trojani, & cum ijs Aborigines. Alij dicunt ab Evandro, secundum quod Virgilius:*

Tunc rex Evandrus Romanae conditor arcis:

Alij a Romulo, ut Ennius:

. . His nata auspicijs illa inclita Roma;

In M. S. est: *Alij a Romulo, ut*

In hujus nate auspicijs illa inclita Roma

Legendum omnino, abmisso hinc Ennio: *Alij a Romulo, ut* *Isidorus emaculatus*

En hujus, nate, auspicijs illa inclita Roma

Versus ab Isidoro petitus ex VirgilI lib. Aeneid. vi, suppresso, ut saepe fit, Poetae nomine: ibi Anchises, filium Aeneam adloquens, & digitum intendens in Romulum, ejus auspicijs Romam Imperium Terris, Animos aequaturam Olympo praedicit. Auspicijs, inquam, Romuli, qui Vrbi pater quasi & genitor; ductu vero posteriorum. Vox *En* apud Isidorum, & omissum VirgilI nomen fefellerunt eos, qui nimis studiosi fuerunt in colligendis EnnI fragmentis. Conviciandi hoc loco magnis viris facile captassent occasionem alij, sed hoc ab moribus meis, qui ut vere sint Christiani, quantum in me est, do operam, alienissimum. Superstites, in primis qui pij, probi, prudentes, docti, veneror, si quis alius; Sitos, fuerint etiam mali, laedere & jugulare inauditae feritatis existumo. Ad rem redeo. Plerique, quos dixi, ijque Latini, ab Romulo; Graeci *Roma unde dicta, nove* aliunde putant dictam urbem. Ego censeo appellatam a רמח, id est, hasta, Syriaco idiomate, (quo usi ad Tiberim Tusci;) unde *Romani*; quemadmodum a voce *Quiris*, quae idem Sabinis signat, ijdem, *Quirites*. Eadem enim רמח Hebraeis, *Quiris* Sabinis, *Hasta* Latinis: ijdem etiam; *Romani*, ab Hebraeo fonte; *Quirites*, Sabine; *Hastati*, Latine. Nomen autem illud opidulo (quod in Palatino monte Albani erat imperij, & sub potestate regum Latinorum) arbitror inditum, multo ante Romulum, qui, nisi fallus ego *Roma ante Romulum* augur, acceptum ab Avo Numitore benificij loco & tamquam navatae operae, quam praestiterat in vindicando regno, praemium, primus ampliavit, & quadravit, novasque leges incolis & propria jura praescripsit. Indicti abibunt mihi, qui Romam Romulo multo antiquiorem adgnoscunt: certe Pomponius IC. veritati convenienter tradit, Populum Romanum initio sine certa lege, sine certo

jure

jure vixisse, omniaque manu a regibus gubernata; postea Romulum supervenisse, & aliam Civitati formam induisse: ut latius l. 2. necessarium. §. 2. & . 3. D. de orig. juris. Adloquitur inter cetera ereptum sibi Romulum cum gemitu populus Romanus, apud Poetam nostrum libro II. Annalium:

. . . . O Romule, Romule, dic o:
Qualem te Patriai custodem DI genuerunt;
Tu produxistei nos endo Luminis oras

Patriae custodem: quia non tantum servavit Opidum Romam, ne plane periret; sed &, quod alioquin exiguum, vile & interitui proximum, Vrbem fecit magnam, ut tempora ferebant, validam & toti Orbi aeviternum imperaturam; incolasque vilius latentes produxit in lucem & orbis conspectum. Iuppiter Venerem solatur apud Virg. libro I. his verbis:

Romulus excipiet gentem, & Mavortia condet
Moenia . . . .

Quasi diceret: Romulus adflictos Opidi incolas recipiet quasi sinu suo fovendos, & Opidi moenia faciet bellica, quaeque vim hostilem facile sustinere poterunt. Propertius libro IIII. haec canit:

Optima nutricum nostris Lupa Martia rebus,
Qualia creverunt moenia lacte tuo!

Recte *creverunt*: quae ante Romulum debilia, imo nulla. D. Hieronymus etiam videtur non tam adprobare sententiam illorum, qui ἀπὸ τῆς ῥώμης trahunt, quam dirivare leni flexu ab Hebraico vocabulo רָמַם exaltari, elevari, quum ait contra Iovinianum; *Roma autem fortitudinis nomen*

men est apud Graecos, aut sublimitatis apud Hebraeos. Auctorum, qui Vrbis conditorem quaerunt apud Onuphrium in Fastis, numero addendus est Marianus Lupercaliorum poeta, qui apud Iunium Philargyrium ad Geor. Virg. scribit nomen Vrbi datum ab Roma Aesculapi filia

Ennius emendatior forte

OMNIS 30) Petrus Crinitus de honesta disciplina lib. XVI. cap. V. legit *Omnibu'*: non male

VELVTI CONSOL 31) Insignis comparatio ad declarandum summam populi in fratres auguria captantes fixi attentionem; petita a ludis Circensibus

CONSOL 31.) Ludos, praeter Funebres, edere initio Regum erat: quibus ejectis, crescente & florente republ. nunc Consules; nunc Praetores; aliquando Aediles cum Curules, tum Plebei: labente vero, Imperatores eos curabant

Mappa in Ludis

MITTERE SIGNVM 31) Magistratus, qui Ludis praeerat, Mappa Aurigis, dicis gratia, signũ Cursus dabat. De ea praeter alios videndus Quintilianus libro I. cap. IX.

Glossar. correct.

Glossar. *Mappa,* Οθονης μειον ἱπποδρομικον. Legend. *Mappa,* ὀθόνη ἢ σημεῖον ἱπποδρομικόν. Martial. lib. XII. *Cretatam Mappam* nominat. Servius ad V. Aeneid. *Signum de creta factum. Mittere signum* dixit poeta, quod simpliciter Varro lib. IV. *Mittere,* cui voci κατ' ἐξοχὴν in Ludis Circensibus locus

Carceres

CARCERIS 32.) Carceres dicti, ubi coercentur equi, ne inde exeant, anteaquam ab Magistratu signum Aurigantium factionibus missum, (legend. Varr.) ad similitudinem Carceris, ubi coercentur & custodiuntur Noxij. Vox Graeca, ἀπὸ τοῦ καρχάρου. Virgilius V. Aeneidos;

Non

Non tam praecipites bijugo certamine campum
Corripiuntque, ruuntque effusi carcere currus

Ovidius x. Metamorph.

Signa tubae dederant, quum carcere pronus uterque
Emicat . . . .

Glossar. D. Benedicti: *Carceres* ἀφετηρίαι, & paullo post: ἱππάφεσις

QVAM MOX 33.) Sic lego cum CL. V. Hadriano Turnebo lib. v. Adversar. cap. XXIII *Ennius correctus*

PICTEIS EX FAVCIBVS 33.) Ita vocat Ennius interiora Carcerum, quae ornamenti caussa varijs picturis erant obducta. De varijs Circi ornamentis consule Tertullianum libro singulari de Spectaculis *Picturae Circi*

ORA TENEBAT 34.) Ita emendo pro *ore timebat.* Elegans phrasis, *Ora tenebat rebus*, id est, cum silentio quodam oculos habebat intentos rebus, quae agebantur. Imitatus hunc locum Virgilius II. Aeneidos: *Ennius castigatus*

Conticuere omnes, intentique ora tenebant:

ubi Servius: *Aut, ora intuebantur loquentis; aut, Immobiles vultus habebant, ut:*

tenuitque inhians tria Cerberus ora,

id est, *immobilia habuit.* & quae ibi alia

MAGNEI 35.) Ennius non respicit ad infantiam illam Imperij Romani, quae initio, sed potius ad vigorem, qui suo tempore

VICTORIA 35.) Apud Ovidium lib. IX. Metamorph.

. . . . spectant armenta paventque,
Nescia, quem maneat tanti victoria regni.

Ovidius Ennium imitatus

Recepta Enni lectio non improba

Quae quis non videt exscripta ab Ennio? *Pavere* autem illud Ovidianum videtur adprobare vulgatam hujus loci lectionem:

Sic exspectabat popolus atque ore timebat
Rebus . . . .

Sol commune vocabulum

INTEREA SOL ALBU' 36.) Videtur triplex hic tempus tribus versibus describi; Lunae recessus, Solis ortus, & quoddam inter duo haec medium. *Sol* (audeam enim hoc dicere) Ennio vocabulum commune magnis istis in coelo Luminibus, quorum alterũ *Sol aureus* paullo post, alterum discrimini indicando, illi *Sol albus*, hoc loco. Sic eidem Ennio Luna *Albus Iubar*, apud Priscianum lib. v

Albus Iubar

Interea fugit albu' jubar Hupérioni' cursum

AureaLuna *Auream* tamen *Lunam* dixit Ovid. x. Metamorph.

Ad facinus venit illa suum; fugit aurea coelo
Luna; tegunt tenebrae latitantia sidera nubes.

Ovidio lux *Aurea* ibi nihil aliud, quam pulcra, quemadmodum apud Mimnernum & alios, χρυσῆ ἀφροδίτη

EXIN 37.) Medium hic, cujus jam memini, tempus; quod etiam describit apud Varronem Attius:

Iamque aurooram rutilaare procol cerno.

non absimiliter ipse Ennius alibi:

Inde patefecit radieis rota candida coilum.

Alia vide apud CL. V. Hieronymum Columnam

CANDIDA

CANDIDA 37.) Hinc Pentametrum illud N. V. Iani Duzae expressum eleganter:

Candida se radijs lux dedit icta foras

FORAS LVX 37.) Versum, qui in monosyllaba voce definit, saepe non injucundum esse notat Graecus scriptor Hermogenes: Καὶ γὰρ τῶν ἐπῶν τὰ εἰς μονοσύλλαβόν τι μέρος τοῦ λόγου ἱστάμενα, εὐειδέστερά πως καὶ κρουστικότερα εἰσιν, ἀλλ' οὐ σεμνότερα. οἷον, ἀμβροσία νύξ, καὶ, ἀλλότριος φώς. Legendus & Quintilianus lib. VIII. Plura de hujusmodi carminibus dicam XXXIV. 18. si a Deo mihi vita *Monosyllaba vox in fine versus*

ET SIMOL 38.) Perijt haec vox apud Marium Victorinum de Antiquorum Orthographia: *Hactenus autem* (inquit, potius scribamus) *& hodie, non ut Antiqui, Haccetenus, Hocedie. Et Illuc potius quam Illo* (corrige *Illoc.*) *Et pro Lavabro, Labrum; Simul, non Semel.* Legendum enim *non Simol* *Marius Victorinus emendatus*

EX ALTO 38.) Paullo post dicit *de Coilo*

LONGE 38.) Sensum horum verborum aperit Hieronymus Columna dextre: Romulo ex longinquo adparuisse multas simul aveis; quarum numerus quum primo distingui non posset, poetam omnes συνεκδοχικῶς *Avem* dixisse; quum autem propius accessissent, duodecim fuisse cognitas

LAIVA VI. 1) id est sinistra, quae sinebat fieri, quod Romulus meditabatur & optabat. Vide Festum & Servium 11. Aeneid. Haec sinistra Avis erat Romulo praenuncia futurae Victoriae, quam Ennius indicat in proximis versibus. Alij legunt, *Laeta avis* *Laeva avis*

AVREVS EXORITVR 1.) Imitatur & verba & *Aureus Sol*

 nume-

numeros Ovidius VII. Metamorph.

Ovidius Ennium imitatus

. . . . lucis pars optima mensae
Est data; nox somnis: jubar aureus extulerat Sol

Idem Soli Epitheton tribuit Virgilius lib. I. & IV. Georg

Ennius emendatior

CEDVNT TER QVATVOR 2.) Emendatiores Ciceronis libri:

Cedunt de coilo ter quatuor corpora sancta

Quatuor, Spondaeus est, ut & alio apud poetam loco:

Jamque adeo quatuor partum

Citat Charisius libro I

TER QVATVOR 2.) Vide huc nonnulla M. Terenti Varronis ex libro duodevicesimo rerum Humanarum, vel, ut alij, Antiquitatum apud Censorinum de die Natali, & Petrum Crinitũ de Honest. discipl. lib. XVI. cap. V

DE COILO 2.) Adludit Poeta ad illud *de coelo servare*

Iterum

AVIVM, PRAIPETIBVS SESE 3.) Lego:

Praepetibus penneis sese polcreisque loceis dant

Ennium imitati Q. Tullius

Imitati enim hunc locum Q. Tullius Cicero in suo Mario: *Quid est*, (inquit ejus frater M. Tullius libro I. de Divinatione) *illo auspicio divinius, quod apud te in Mario est, ut utar potissimum te auctore?* & post aliquot versus:

Seque obitu a solis nitidos convertit ad ortus.
Hanc ubi praepetibus pennis, lapsuque volantem
Conspexit Marius, divini numinis Augur:

& Virgilius

& Virgilius libro VI. Aeneidos:

Daedalus

Daedalus (ut fama est) fugiens Minoia regna,
Praepetibus pennis ausus se credere coelo,
Insuetum per iter gelidas enavit ad Arctos.

Aves Oscines. Praepetes.

Avium aliae *Oscines*, aliae *Praepetes*. *Oscines*, quae ore canentes faciebant auspicium, ut Corvus, Cornix, Noctua. *Praepetes*, quae secundo volatu ante eum, qui auspicabatur, volabant & auspicium faciebant, ut Aquilae, Vultures, Buteones, Sanqualis, Immusulus & aliae. Vide Festum libro de verb. signif. XIV. & Agell. lib. VI. Noct. Att. cap. VI. citantem paullo aliter ibidem hunc versum:

Varians apud Ennium lectio

Praepetibus hilares sese polcreisque loceis dant

quam lectionem adgnoscit etiam V. N. Iosephus Scaliger ad Virgili Catalecta, & *Praepetia loca* exponit, ad quae facilis adlapsus esset, & addit vocem esse Graecam. προπετὴς enim facile, pronum ad labendum. Ad hoc etymon respiciens Q. Cicero paullo ante, *Praepetem avem* elegantissime dixit, *lapsu volantem*. Festus aliunde trahit. Aliud vult Glossar. D. Benedicti: ὑψηλοπετής, *Praepes*

Q. Ciceronis lux

CONSPICIT 4.) *Spicere, Conspicere, Respicere Avem* dicebatur in Augurijs, testibus M. Terentio Varrone v. de L. L. Paullo ex Festo in Auspicium, Festo ipso in Spectio & Respici. Sic *Conspicionis* vocem inter ceteras Auguribus Templum ecfantibus usitatam Varro docet lib. VI. de L. L

Spicere Avem

STABILEITAQUE SCAMNA 5.) Meliores Ciceronis codices:

Ennius correctior

Auspicio regni stabilita scamna solumque

Producitur enim ultima prioris per posterioris positionem, inquit vir magnus Scaliger. Scripserat fortean hoc loco Ennius:

Iterum

Conſpicit inde ſibei data Romolus eſſe priora
Auſpicia, regnei ſtabileitaque ſcamna ſolumque

Solumque 5.) Vt *Regni ſolum* hoc loco, ſic idem noſter alio, *Terrarum ſola*; Lucretius lib. II. & V. *Solum terrae.* Catullus ubi de Berecynthia, *Terrae ſola*; *Telluris* denique *ſola* Arnobius libro II. adverſus gentes. Putavi aliquando hic ſcriptum fuiſſe ab Ennio:

Conjectura in Ennio

regnei ſtabileita ſcamna ſoliumque,

ſed non facile diſcedo ab vulgata

Augusto imperio VI

Suetonius in Auguſti vita cap. VII: *Loca quoque,* inquit, *religioſa, & in quibus augurato quid conſecratur, Auguſta dicuntur, ab auctu, vel ab avium geſtu guſtuve, ſicut etiam Ennius docet ſcribens:*

Auguſto augurio poſtquam incluta condita Roma'ſt

male adſequutae manum meam operae librariae, quae vitioſe excuderunt, *Auguſto imperio,* pro *Auguſto augurio.* Citat & M. Terentius Varro lib. III. de re ruſt. *Etenim,* ſcribit cap. I. *vetuſtiſſimum opidum quum ſit traditum Graecum, Boeotiae Thebae, quod rex Ogyges aedificarit: in agro Romano Roma, quam Romulus rex. Nam in hoc nunc denique eſt, ut dici poſſit, non quum Ennius ſcripſit:*

Septingentei ſunt, paullo plus aut minus, annei
Auguſto augurio poſtquam incluta condita Roma'ſt

Vtrumque quidem EnnI, ſed diſjunctim ab Ennio pronunciatum; Centonis inſtar conjunctum & ſuo aevo ab Varrone adcommodatum. De priore dixi pag. LXXIV. Poſterius, quod hujus loci, videtur connectere hiſtoriam conditae jam Vrbis cum reliquis Romuli geſtis

HISTOR

HISTOR. CONTINVAT

POstquam, auspicijs rite captis, condita esset Vrbs, (*quam certatim posteri vocarunt* MVNDI CAPVT, *cuius spacium idem cum Orbe*; & VRBIVM REGINAM, *quae* AB. V. C. I Vrbis encomia

Imperium Terris, Animos aequaret Olympo:

quam dixerunt MATREM & NVTRICEM HEROVM, *qui*

Omnia sub pedibus, qua Sol utrumque recurrens
Adspicit Oceanum . . . .

verterent, regerentque; & VIRTVTVM DOMICILIVM, *unde omnigena exempla Nationes omnes peterent, quam* PATRIAM *appellarunt* LEGVM, *quae inde, tamquam ex foecundo solo in sterilia aliarum Nationum arva radices agerent: quam denique* TERRARVM DEAM GENTIVMQVE *nominantes, DIs superis compararunt, divinos decreverunt Honores, Templa dedicarunt, Festos dies instituerunt, addixerunt Sacerdotes, Statuas Triumphales conlocarunt: quae item Modestino IC. cluit* COMMVNIS NOSTRA PATRIA *l. Roma. 33. D. ad Municipalem; quae Callistrato IC.* PATRIA OMNIVM, *l. ult. D. de interd. & relig. A qua mente eleganter Rutilius Numatianus ad sui aevi Augustum:*

Fecisti Patriam diversis Gentibus unam,
Profuit injustis, te dominante, capi:

Dumque

Dumque offers Victis Proprij consortia Iuris
Urbem fecisti, quae prius Orbis erat)

Romulus ab suo nomine (*ut plerique putant, vide quae jam dixi*) Romam nuncupat.

IUPPITER VI

Festus libro xv. de verb. sig. *Quamde pro quam usos esse antiquos, cum multi Veteres testimonio sunt, tum est Livius in primo:*

Iuppiter! ut muro fretus magis quamde manus impe

. . . secundo:

Quamde tuas, &c.

Festo medicina

Livius Andronicus inlustratus

Vitiose citari Livium docet FulvI Vrsini editio, quae sic habet: *Quande pro quam usos esse antiquos, cum multi Veteres testimonio sunt, tamen hujus in primo,*&c. Scripsit Festus: *cum multi Veteres testimonio sunt, tum Ennius in primo.* Si sit tamen, qui mendam apud Festum neget, & versum LivI ad primum vel Annalium (quod maxime vero est simile) vel Odysseas vel Erotopaegniõn referendum existimet; non admodum pugnabo. Complexus enim est Livius gesta pop. Romani libris decem & octo, qui appellabantur *Annales Liviani.* Legendus est Diomedes libro III. Odyssea etiam in suos libros fuit distributa: primus certe nominatur ab Prisciano lib.VII. hunc versum citante:

Annales Liviani Odyssea LivI

Quai haic daps est? quis festu' dies?

Odysseam arbitror designari ab eodem Prisciano, ubi, incerti operis Liviani librum VI. citans, notat Lintrem apud Latinos foemininum esse, quum apud Graecos sit masculinum, ὁ λιντὴρ, adscripto tali fragmento:

Iam in altum expolsa lintre . . .

Erotopaegnia LivI

Erotopaegniõn autem tertium, quartum & sextum laudat

dat idem Priſcianus libris x. & xi. Ad quartum quintumve pertinet proculdubio fragmentum, quod apud Feſtum lib. XVII. de verb. ſignif. *Struices,* inquit, *antiqui dicebant exſtructiones omnium rerum. Plautus* (Menaechmis Sc. Iuventus:)

Cerealis coenas dat, ita menſas exſtruit,
Tantas ſtruices concinnat patinarias.

& Livius: quo Caſtalia per ſtruices ſaxeas lapſu accidit. Legendum: *Livius quarto* vel *quinto* nimirum *Erotopaegniōn.* Nota, quae finguntur ab poetis de Caſtalia, Apollinem, a quo amabatur, per teſca, aſpera, deſerta & inculta loca fugiente, & tandem in ſui nominis fontem converſa. Emendavi ante annos aliquot in Adverſarijs meis hunc Feſti locum: *Livius Equo. Equum* LivI *Troianum* citant M. Tullius Cicero lib. VII. Epiſtol. ad Familiares, & Nonius Marcellus in Opitula: quae nondum expungo

Livius Andronicus caſtigatus,

alio modo

HISTOR. CONTINVAT

MVros coacervat potius e rudi lapide, quam caemento coagmentat; & viliore ſtructura incurioſius excitat; fretus *(eam enim hujus incuriae rationem cum admiratione addit hoc verſu Ennius)* non tam validis & firmis moenibus, quam bellica ſuorum civium virtute & valentia

AB. V. C. I

HAUT MURO IO.) Vulgati libri, *ut muro.* Quis non videt, poſtulante ſententia, reponendum leni mutatione *haut muro. Haut* ſcripſi, docente Mario Victorino, cujus de Orthographia haec ſunt: *Haud adverbium negandi, & ſignificat idem quod apud Graecos οὐ. Sed ab Antiquis cum adſpiratione, ut alia quoque verba, dictum, & adjecta* d *littera, quam pleriſque*

Ennius correctus

verbis adjiciebant. D. tamen litteram conservat, si sequens verbum incipiat a vocali, ut, haud aliter muros. Et: haud equidem. At quum verbum a consonante incipit, D perdit; ut, haut dudum; & haut multum, &, haut placitura refert: & inducit T. Vetustissimos muros ruderibus vilibusque structuris scriptores tradunt excitatos; quos primus quadratis lapidibus & saxis magnis Gabino, Albano, Tiburtino & Praenestino exstruxit Tarquinius Priscus, & Ser. Tullius perfecit

QUAM DE 10.) Utitur eadem voce, pro *quam*, Ennius libro 11. & Lucretius lib. 1:

Clarus ob obscuram linguam magis inter inanes,
Quam de gravis inter Grajos, qui vera requirunt

Talis apud Graecos particula ἤπερ. Corrigendus autem apud Festum Lucretius, cujus posterior versus sic legitur:

Lucretius emendatus

Quam de gravis tergaios, qui vera requirunt

Ennio apud Festum medicina

MANUUM VEI 10.) Legebatur apud Festum cum lacuna: *quamde manus impe . . . secundo.* Restitui *quamde manuum vei. Et secundo.* Magnus vir: *quam de manus vi, & secundo.* Dionysius Lambinus ad Lucret. lib. 1. *quamde manu stat, & secundo*

NEC POL HOMO VI

Citat Macrobius lib. VI. Saturnal. cap. 1. praemissis Virgilii ex Aeneide:

Tu tamen interea calido mihi sanguine poenas
Persolves

HISTOR

HISTOR. CONTINVAT

IMo ſatis fore moenitam arbitratur urbem, incolis, qui eam haberent, bene moratis. Vix igitur quid prius illi, quam Leges ferre. Edicit inter alia: Ne quis urbis novae muros *(alij Vallum, alij Foſſam nominant)* tranſiliret. Irridet omnia Remus. Legem hanc praecipue habet inſuper. Ludibrio fratris novos muros contra Edictum tranſilit. Indignatur Romulus; & increpitans, jurat, *(his fortean apud Ennium verbis)* hcc illi impune non futurum. Dat violatae legis poenas Remus; occiditur rutro, *(de quo Varro, Feſtus, Nonius; & alij: Nonnulli, male, Raſtrum nominant)* ab Fabio, *(qui Celer poſtea cognominatus, teſte Plutarcho, a celeri fuga ex Latino agro in Etruriam, ne ab Remi fautoribus periclitaretur)* Romuli duce, *(ut Plutarch.)* & muris faciundis praefecto *(quemadmodum notat Dionyſius Halic. Alij Remum ab ipſo Romulo occiſum; alij ſaltu perijſſe; alij in contentione Auguriorum interfectum, memoriae produnt. Certe, pleriſque ſcribẽtibus, Remus, prima urbi novae victima, cecidit; & initio ſtatim manus fraterna fraterno ſparſa ſorduit ſanguine, ut utar Attio in Aegiſtho:*

AB.V.C. I

Auctor de VV. Inluſtri. caſtigatus

Fraterno primi maduerunt ſanguine muri,

ait Lucanus libro 1:

Et immerentis fluxit in terram Remi
Sacer Nepotibus cruor;

Horatius Epodon Ode vii. *Plerisque dixi. Nam citavi paullo ante ex origine gentis Romanae librum primum cujusdam EgnatI: qui tradit Remum, in prima ista duorum fratrum contentione, non modo non esse occisum, verum etiam ulterius a Romulo vixisse. Monui autem ibidem pro* EgnatI *nomine, restituendum* EnnI. *Eam emendationem evertunt, quae hoc loco cani videntur ab Ennio de occiso Remo: cui avertendo, mallem hoc fragmentum, quod omnino est libri* I. *exaudiri de Romuli verbis, quibus usus ille apud Acronem Ceninensium regem, stratum jam & pereuntem ipsius Romuli manu: objurgantis victum, quod superbe Romanis connubia denegasset, &, injurias cumulans, hostilem exercitum in Romanorum agros induxisset: ut eo modo poetae non perierit Remus, sed cum fratre diu vixerit, imo fratri fuerit superstes*

Origini Rom. urbis medicina

Ennius inlustratus

T finale variat syllabas

Faciet impune 12.) Martianus Capella scribit eas, quae in T finiunt, voces, variari apud Veteres. Infinita hujus rei exempla apud Ennium nostrum: recitat ea, cum aliorum auctorum, ad Lucretium suum V. CL. Obertus Gifanius

Animatus 12.) *Homo Animatus* ἔμψυχος ἄνθρωπος Graecis. Eleganter Galli hoc Ennianum: *Personne, qui vit, me fera tel tour*

Hoc 13.) Si ad Remum pertinet; ita contra edictum muros contemtim transilire: si ad Acronem, ita omne genus injurias ingeminare

Nisi

NISI TV 13) Mallem, *neque tu:* quasi diceret, nec quisquam eorum, qui vivunt & animam habent; neque tu etiam, quamvis mi frater unicus, si de Remo; sin de Acrone, quamvis rex tu Ceninensium *Ennius emendatus*

SATURNIUS VI

Restituit hunc versum suis numeris apud M. Terentium Varronem lib. IIII. de L.L. princeps ille litterarum, quem vide. Puto esse ex libro Annalium primo *Ennius suis numeris redditus*

HISTOR. CONTINVAT

AB.V.C. 1

Condita erat urbs, forma quadrata, in monte Palatino, qui solus primo pomoerio claudebatur. Ne vero vis eam externa adoriri posset, neve finitimi colles hostium aliquando arces essent; Romulus Capitolinum, cui nomen erat eo tempore Saturnius, a quo terra ad dexteram Albulae ripam Saturnia *(quod indicat Ennius)* dicta; mox Quirinalem & Caelium, colles urbi viciniores, praesidio in ijs locato, tamquam arces munit, quum nihilominus extra urbis Quadratae pomerium essent

NOMEN ERAT 17.) Non incommode huc referendum arbitror locum Dionysij Halicarnassaei libro I. ubi variorum recenset opiniones de Saturnio monte: Εὔξενος δὲ, inquit inter alia, ὁ ποιητὴς ἀρχαῖος, καὶ ἄλλοι τινὲς τῶν Ἰταλικῶν μυθογράφων ὑπ' αὐτῶν οἴονται Πισατῶν διὰ τὴν ὁμοιότητα τοῦ παρά σφισι Κρονίου, τεθῆναι τῷ τόπῳ τοὔνομα, &c. Legendum puto: Ἔννιος δὲ ὁ ποιητὴς *Dionys. Halic. correctus*

NOMEN ERAT 17.) Hunc fortassean versum scribere voluit Auctor de Origine gentis Romanae, quum in-

quit: *Sed urbem Saturnius, quum in Italiam venisset, condidisse traditur. Ejus rei Ennius testis est, quum ait:*

Versibu' quos olim Fauni Vatesque canebant

Quem versum spurium ibi esse & suppositititium quis non videt? & substituendum vel hos esse versus, vel his proximos?

LATE SATURNIA 18.) V.N. Ianus Duza in notis ad me transmissis legit hunc versum:

Nomen erat, de quo Latium & Saturnia terra.

Ennius emaculatus

Eleganter: praecipue vero, si expungatur vox copulans:

de quo Latium Saturnia terra:

Innuit Ennius montem, qui Capitolinus suo tempore, quomdam Saturnium fuisse nominatum; inde vero Latium nuncupatum, priscis terram Saturniam

EXIT VI

Priscianus lib. VII: *Celerissimus pro celerrimus superlativum protulerunt. Cn. Manlius in Iliade:*

. . . Celerissimus advolat Hector.

Ennius in Annalibus:

Exin per terras postquam celerissimu' rumor

Ennius correctus Priscianus emendat

voce *Exin* deleta, reposui *Exit*, pro *Exiit*. *Cn.* autem *Manlio* subrogandus apud Priscianum *Cn. Matius*. Is enim scripsit Iliadem

HISTOR. CONTINVAT

Ab. V.C. IIII

ERat autem Roma imago magis urbis, quam urbs. Incolae deerant. Augendae civitati tria praeci-

praecipue excogitat Romulus: Partus necari vetat; Hostes victos pro Amicis & Civibus habet; Lucum, qui inter Capitoliũ & Arcem, Asylum aperit. Fugiunt eo, qui alicui obnoxij noxae, sine discrimine Liberi & Servi; in summa; quibus apud suos mansio haud tuta. Sic brevi mirum in modum augent habitatores. At vero res erat unius aetatis. Vnum desit ijs commodum, dissimilis sexus & proletarium illud genus. Petunt a Conregionialibus *(ut cum Augustino loquar libro 11. de Civit. Dei, cap.* XVII.) per Legatos, uxores, formandis & firmandis familijs. Nusquam benigne auditur Legatio. Confinales, adjectis etiam contumelijs, negant. Tecto dolore, fingit Romulus Neptuno Equestri Consualia. Dies Locusque Ludis designantur. Hic rumor postquam divulgatus esset per vicinas & attiguas regiones, *(ut hoc loco innuit Ennius;)* mira utriusque sexus vis Romam confluit

CELERISSUMU' 20.) Sic alibi Ennius: *Equitum celerissumus:* quod Charisius libro 1. Instit. Grammat. barbarismum esse notat, immerito *Charisius notatus.*

VIRGINE' VI

Festus lib. XVII: *Sas Verrius putat significare eas, teste Ennio, qui dicat in libro primo:*

Virgines nam sibi quisque domi Romanus habet sas;

quum suas magis videatur significare

HISTOR.

HISTOR. CONTINVAT

AB.V.C. IIII

CElebrantur Ludi. Romulus in ipſo ſpectaculi puncto, ſuis dat ex compoſito ſignum, purpuram in ſinus contractam explicans (*Plutarch. in Vitis*) Vis oritur. Virgines a ſingulis domum in matrimonium rapiuntur, (*numerum edunt Valerius Antias apud Plutarch. Iuba & Dionyſ. Halic. Annum, quo raptae, Dionyſius lib. 11. ex Cn. GellI ſententia; Diem denique, Plutarch. & Kalendar. Vetus*)

VIRGINE' 22.) Τὸ *Virgines* Spondaeum eſſe Ennio, ſcripſit ad me V.N. Ioſephus Scaliger

Antiqua Ennio ſcriptura repoſita

DOMOS ROMANU' RAPIT SAS 22.) Hanc germaniſſimam eſſe ſcripturam arbitror: in vulgatis Feſti libris legitur: *domi Romanus habet ſas.* Quum hic verſus ad librum 1. pertineat; proculdubio de Virginum raptu intelligendus, & ſic emendandus. *Rapere* vox, in nuptijs propria, ex hoc raptu manat

QUIS PATER VI

Ennio verſus vindicatus & cum alio conjunctus

Citatur a M. Terentio Varrone libro VI. de L.L. ſuppreſſo auctoris nomine; ego non dubito, quin ſit ex EnnI 1. Annali. Optime cohaeret cum ſequenti; quod & inde, me judice

HISTOR. CONTINVAT

AB.V.C. *Eodem*

TVrbato raptis Virginibus Ludicro, parentes moeſti domum profugiunt. Deos in vindictam violati hoſpitij, & ultionem inlati dedecoris invocant. Etiam Raptae vim ſibi factam indignantur.

tur. Circumit Romulus, & docet Patrum id ſuperbia factum, qui finitimis connubium negarant; illas tamen in matrimonio, in ſocietate fortunarum omnium, civitatis, & liberum fore; mollirent modo iras, hortatur, & quibus fors (*ſic lego apud Livium*) corpora dediſſet, darent illae animos; vias omnes ad ſuos redeundi praecluſas; parentes etiam & cognatos raptas & corruptas, ſi daretur reverti, cum dedignatione intuituros oſtendit

Livius obiter correctus

VOS 26.) Vulgat. *Nos*: non male, ut ſint quaſi verba raptarum, ſe mutuo ad molliendas iras & pacem cum raptoribus ineundam, hortantium

Varians in Ennio ſcriptura

CONTRA TUEREI 26.) Sic Attius in Philoctet.

Quem neque tueerI contra, neque adfaarI queas.

Eſt Senarius Trochaicus Hypercatalecticus. Livius lib. I. ab V.C. ubi de Iulio Proculo: *Quum perfuſus horrore venerabunduſque adſtitiſſem, petens precibus, ut contra intueri fas eſſet.* Scripſit Livius: *contra tueri.* Τὸ *Intueri* ſubſtituit manus, phraſin nō adſequuta. Non abſimile illud LucretI libro I. de rer. natura:

Livius emaculatus

Ne forte haec per ſe cogant nos contra fateri

AUORSABUNTUR VI

Nonius Marcellus cap. III. §. 260. *Vultus maſculino genere appellatur. Neutro, Lucretius libro IIII.*

Vt patribus patrio. Sed quos utriuſque figurae
Eſſe vides juxtim miſcentes volta parentum.

Lucretio apud Nonium medicina

(Sic enim ibi legendum) *Ennius:*

Aversabuntur semper vivos vostraque vulta.

& Ennio

Vivos carmen turbare & sensum, nemo non videt. Scripsit Ennius:

Avorsabuntur semper vos, vostraque volta.

Supprimit librum Nonius. Glossae FornerI videntur citare ex libro I. *Aversari*, ἀποτρέπεσθαι, ἀφοσιοῦσθαι. *Ennius in I.* Adnectendum superiori. Legunt alij:

Adversabuntur semper nos nostraque volta.

Varians in Ennio scriptura

Non reluctor; si tamen *Avorsabuntur* ponatur: sic facile evincetur, verba haec esse, quemadmodum superiora, Raptarum: mihi sunt, ut & illa, Romuli ad Raptas

HISTOR. CONTINVAT.

AB. V. C. *Eodem*

IMo, eosdem, quas genuerāt, avorsaturos, & cum exsecratione quadam abominaturos

OCCEIDUNTUR

Festus lib. XVI: *Ratus sum, significat putavi. sed alioqui pro firmo, certo ponitur Ratus & Ratum. Ennius:*

Occiduntur, ubi potitur ratus Romulus praedam

Ennius varie emendatur

Legit doctissimus Scaliger:

Occiduntur ibei, potitur ratu' Romolu' praedam.

Et eruditionis summae Ianus Duza:

Occiduntur ibi, potitur ratu' Romulu' praeda

Praeit Glossarium Gul. FornerI, ut ego:

Occeiduntur, ibus potitur ratu' Romolu' praidam

Dispertit:

Ennius auctus

In eo enim: *Dispertio*, διανέμω. *Ennius: Praedam dispertit.*

Prior

Prior Glossographo diligenti vox, quae ultima Nonio. Probavit meam emendationem facile magnus Scaliger, inspectis EnnI, quae ab Fornerio, fragmentis

HISTOR. CONTINVAT

INterea tres populos, Caeninenses, Crustuminos, Antemnates, ad quos princeps atrocis injuriae pars spectabat, justus dolor armat. Congregantur illi ad T. Tatium Sabinorum regem. Auxilia petita impetrant quidem, sed lente illa parantur. Neque etiam Crustumini & Antemnates satis festinant. Caeninenses, quibus omnis mora erat lõga & odiosa, primi, raptores vorsum, castra movent. At violenta impetitos manu Romulus, levi certamine, iram docet vanam, nisi vires comitentur. Conserta manu, qui dux ijs, Acronem singulari praelio quum obtruncasset; facile caeterus Caeninensium exercitus funditur: fusum fugant & persequuntur Romani; passim hostes occiduntur: illorum urbem primo impetu potitur Romulus, & militibus praedam dispertit. AB. V. C. Eodem

QVOM SVPERVM VI

Macrobius lib VI. Saturnal. cap. I, committens cum Enniano Virgilii illud:

Et lunam in nimbo nox intempesta tenebat.

Multis locis hoc potuisset fragmentum collocari: ego, dum Ennius in tenebris, huc refero

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. *Eodem*

DVm Romani contra Caeninenſes; hoſtiliter Antemnates, captata ſolitudinis occaſione, in fines Romanos inrumpunt. Rapta contra eos Romana legio palantes in agris opprimit: caeduntur longe lateque. Fatigant Herſiliam Romuli conjugem Raptae. Illa maritum, reducem & duplici victoria ovantem, orat, ut parentibus Raptarum daret veniam & in civitatem acciperet. Facile impetratum. Romulus Spolia opima, regia arma, rex Iovi Feretrio in monte Saturnio ad quercum, paſtoribus ſacram, conſecrat. Inde Cruſtumini, qui alienis cladibus torpebant, apparatu parvo debellati. Vtroque Coloniae miſſae. Noviſſimum bellum ab Sabinis, quos excitarant ſuperiorum lacrumae & querelae, ortum, & in triennium tractum, (*ſcribente Dionyſio Halic. lib. 11.*) duce T. Tatio, multo maximum.

VII Hi virtuti bellicae addunt dolum. Praeerat arci Saturniae Sp. Tarpeius: cujus filiam auro corrumpit Tatius, ut arcem traderet. Sabini, intempeſta nocte (*ut canit Ennius*) inmiſſi virginem armis obrutam necant; duplici conſilio: & ut arx vi potius capta videretur; & ut exemplum ad poſteros proderent, Proditori nuſquam quid eſſe tutum

Diverſa Enni lectio

LUMEN 37.) Notaverat olim Fruterius apud N. V. Ianum Duzam, quod ad me ſcripſit, *Limen*. Acute quidem:

dem: retineo tamen receptam, quam videtur expreſsiſſe Lucretius lib. VI:

Non quierit calidum ſupera de reddere parte,
Quum ſuperum lumen tanto fervore fruatur

Niſi & hic *Limen* reponendum *In Lucretio conjectura*

ADGRETTVS VII

Paullus ex Feſti libro de verb. ſignif. I. *Adgrettus*, inquit, *apud Ennium, Adgrettus fari, pro eo, quod eſt Adgreſſus, ponitur: quod verbum venit a Graeco* ἄγρει. N. V. Ioſephus Scaliger *Gloſſema Paulli Diaconi rejectum* ſcribit videri ſibi verba ultima ab aliquo ſciolo intruſa, ſive ipſe Paullus mutilator fuerit, ſive alius quis, Paullo non doctior. In antiquiſſimo apud me Exemplari auctius hoc gloſſema lego: *quod verbum venit a Graeco* ἄγρει, *quod ſignificat* ἄγεδη. Latet quid. Certe nec hoc fragmentum unius loci

HISTOR. CONTINVAT.

ARcem captam dolent Romani, qui, duce Romulo, adverſus Tatium & Sabinos procedunt. *AB. V. C. in fine anni VII* Atrox cōſeritur praelium. Principes utrimque pugnam cient, ab Sabinis Metius Curtius, ab Romanis Hoſtus Hoſtilius. Hic iniquiore loco pugnans cadit, eoque caſu inclinat acies Romana. Iovem Romulus precibus ſolicitans, ut foedam ſuorum ſiſteret fugam, Statori templum vovet, & adgreſſus fari:

ADGRETTUS 3.) Atticorum more, qui τὸ Σ. vertere *T pro Σ* ſoliti in T. Talia τήμερον, τεῦτλον, γλῶττα, πράττω: & apud Latinos, *Mertus, Pultus, Tertus.* Vide & magnum Lipſium de recta pronunciatione Ling. Lat. cap. XVI

DIVOMQUE VII

M. Terentius Varro lib. IV. de L. L. non indicato operis nomine. Hemistichium, quo vel simili, fortean haud semel usus Ennius. Sic libro VI. Annalium:

Homerus, Ennius, Virgilius commissi

Tum cum corde suo DIvom pater atque hominum rex
Ecfatur . . . .

citante Macrobio lib. VI. Saturnal. cap. I. nisi designet Varro, quae pleniora & paullo sequius apud Macrobium, ut V.N. Iano Duzae visum. Certe solent hujusmodi Hemistichiorũ iteratione delectari poetae. Ita saepe Homerus:

. . . πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε

ex Orpheo:

Αἰθαλὴς μακάρων τε θεῶν πάτερ, ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν.

& Virgilius aliquotiens:

. . . *Divum pater atque hominum rex*

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. Eodem

IVPPITER, inquit, (*apud Livium lib. I.*) TVIS IVSSVS AVIBVS, HIC IN PALATINO PRIMA VRBI FVNDAMENTA IECI: ARCEM IAM SCELERE EMTAM SABINI HABENT; INDE HVC, ARMATI SVPERATA MEDIA VALLE, TENDVNT. AT TV PATER DEVM HOMINVMQVE; TV

. . . SATVRNO SANCTE CREATE,
TV, QVEI COILVM VORSAS STELLEIS FOLGENTIBVS APTVM;
TV DENIQVE, . . . QVEI FOLMINE CLARO
OMNIA PER SONITVS ARCES . . .

HINC SALTEM ARCE HOSTES: DEME TERROREM ROMANIS, FVGAMQVE FOEDAM SISTE

Ennius ex quinque locis conlectus

DIVOMQVE 6.) Cohaerent hoc loco, singulari elegantia, cum lacunis tamen suis, quinque fragmenta. Commodissime autem adnexum primo secundum

PATER 6.) Sophocles in Trachinijs:

ὁ τῶν

ὁ τῶν ἁπάντων Ζεὺς πάτηρ ὀλύμπιος·

REX 6.) Elegans illud Theognidis:

ὀυδὲ γὰρ, ὃς θνήτοισι καὶ ἀθανάτοισιν ἀνάσσει,
Ζεὺς κρονίδης θνητοῖς πᾶσιν ἀδεῖν δύναται

SATURNO VII

Citat Servius ad lib. x. Aeneidos VirgilI. Quum plures fuerint Ioves, (qui inde, quod antiqui reges omnes eo nomine vocarēt, testibus Isacio, Δίας οἱ παλαιοὶ πάντας ἐκάλουν τοὺς βασιλεῖς: & Zeze in varia historia; τοὺς βασιλεῖς δ' ἀνέκαθε Δίας ἐκάλουν πάντας) omnium celeberrimus fuit; qui Saturni proles; κρονίδης paulo ante Theognidi, & alijs; Κρόνου παῖς Homero Iliados ξ. κρόνιος παῖς Pindaro in Olympicis; quemque Romulus hoc loco invocat: *Ioves unde plures*

. . . . *Saturno sancte create*;

& apud Livium Andronicum nescio quis:

. . *Pater noster SaturnI filie*;

Laudat Priscianus

QUEI COILUM VII

Macrobius libro Saturnal. VI. cap. I. ubi in parissimis Hemistichijs citantur idem Ennius libris III. & X. Annalium & Virgilius lib. IV. Aeneid. Simile illud Orphei in hymnis:

Ζεῦ πάτερ, ὑψίδρομον, πυραυγέα κόσμον ἐλαύνων

VORSAS II.) Sic lego pro *versat*, quod in vulgatis *Ennius correctus*

APTUM II.) CL. V. Hieronymus Columna *Haptum* putat, ingeniose, legendum, non hic solum sed & libris III. & X. item apud Lucretium libro V. & Virgilium libris Aeneidos II. IV. & VI. ἀπὸ τοῦ ἅπτειν: ut *Haptum* sit inflammatum, incensum *Conjectura in Ennio Lucretio & Virgilio*

Quei folmine vii

Hoc EnnI fragmentum debet reſpublica litteraria erudito Maronis interpreti Servio, quem ſervat Bibliotheca Petri Danielis, viri ab meliorum litterarum ſtudio minime avorſi. Tranſmiſit ad me cum multis EnnI aliorumque auctorum tabulis V.N. Ioſephus Scaliger

Face vero vii

Feſtus de verbor. ſignif. lib. xiii. *Orare, inquit, antiquos dixiſſe pro Agere teſtimonio ſunt, quod & Oratores & iј, qui nunc quidem Legati, tunc vero Oratores, quod reip. mandatas partes agebant. Ennius quoque quum dixit libro primo Annalium:*

. . . . . . face vero

Quod te cum precibus pater orat . .

Ennius emendatus Tò *Oro*, ſenſus flagitabat, ut ſubrogarem. Vere tamen hujus eſſe loci, non facile obvium ex Feſto

HISTOR. CONTINVAT

Ab. V. C. Eodem HIC EGO TIBI TEMPLVM STATORI IOVI, QVOD MONIMENTVM SIT POSTERIS, TVA PRAESENTI OPE SERVATAM VRBEM ESSE, VOVEO. LARGIRE MODO, PATER, QVOD ORARIS

Ennius ſuppletus FACE 17.) Praemiſſa vocula, integrum carmen faciunt VV. Doctiſsimi Ioſephus Scaliger & Hieronymus Columna:

Tu face vero, quod te cum precibus, pater, oro

Conjectura in Ennio TE CUM 18.) Mallem conjunctim *tecum.* Eleganter enim dicebant Veteres *Oro tecum, Orat mecum,* pro *te oro,* & *me orat.* Exempla apud Columnam

Rex deinde

Et hoc fragmentum ex Schedis Servianis ab V.N. Ioſepho Scaligero tranſcriptum & mihi communicatum

HISTOR.

HISTOR. CONTINVAT

ECfatus illa rex Romulus, quasi sensisset auditas ab Iove preces, iterat pugnam, & citatus convellit se suosque contra hostes. Resistente, seu forte seu divinitus, Romano; ipse ad primores provolat. Petitur cum primis, qui ex equo pugnabat, Metius; eo pulso, consternati fugantur Sabini. In Intermontio redintegratur praelium. Res Romana fit superior *AB. V. C. Eodem*

FLENTES VII

Auctor ad Herennium lib. IV. *Et si non utemur continenter similiter cadentibus verbis, hoc modo:*

Flentes, plorantes, lacrumantes, obtestantes

Paullo aliter citatur hic versus ab alijs, nisi ab hoc alius, quod facilis persuadeor. Sosipater Charisius lib IV. ὁμοιόπτωτον *est oratio excurrens in eosdem casus similes, ut:* *Diversa ejusdem versus apud varios scriptura*

Moerentes, flentes, lacrumantes ac miserantes.

Diomedes lib. II: ὁμοιόπτωτον *est oratio excurrens in eosdem casus similiter, id est, quum uno similique casu totus sensus elocutionis impletur, ut apud Sallustium: Maxumis ducibus fortibus strenuisque ministris. Et aliter, Homoeoptoton fit, quum oratio excurrit in eosdem casus, & similes fines; ut Ennius:*

Moerentes, flentes, lacrumantes ac miserantes.

Aelius Donatus denique de specie Schematum XIII. ὁμοιόπτωτον, inquit, *est quum in similes casus exeunt verba diversa, ut:*

Moerentes, flentes, lacrumantes, commiserantes

Horum omnium gravitatem spirat Ennianam, & rei, quae describitur, magis inservit; qui apud Charisiũ Spondaicus

HISTOR. CONTINVAT

AB.V.C. *Eodem*

SAevientibus interveniunt, ex tranſverſo impetu facto, Raptae, laceris comis, ſciſſa veſte, & cum fletu, ploratu, lacrumis, obteſtatione inter tela volitantia inlatae, dirimunt infeſtas acies, dirimunt iras

Neriene VII

Agellius lib.XIII. Noct. Attic. cap.XXI: *Ennius autem*, inquit, *in I. Annali in hoc verſu:*

. . . . . . *Nerienem Mavortis*

Et hercle, niſi, quod minime ſolet, numerum ſervavit, primam ſyllabam intendit, tertiam corripit. Nihil addam ijs, quae ad hunc locum lectu & notatu digna Hieronymus Columna

HISTOR. CONTINVAT

AB.V.C. *Eodem*

INter illas Herſilia facile prima ad T. Tatium viam carpit, conciliandae utrimque pacis; & precata Nerienem Mavortis, ut ſibi & Raptis liceret nuptijs uti proprijs, proſperis & propitijs, quae de illius Conjugis conſilio contigerant; *(Concepta verba citat Agellius ex Cn. GellI Annali III; qui, vel Agellius, proculdubio ea mitigat, deterſo illo Vetuſtatis ſitu)*

O Tite

Hoc carmen non paucis notum. Donatus de Schematum ſpecie XI: Παροίμιον *eſt, quum ab iſdem litteris diverſa verba ſumuntur, ut:*

O Tite tute Tati tibi tanta tyranne tuliſti

Soſipater

Soſipater lib.IIII. Inſt. Grammat: Παροίμιον *eſt, quum verba omnia ſimiliter incipiunt, ut:*

O Tite tute Tati tibi tanta tyranne tuliſti

Pro *Similiter* reponendum fortaſſean, *ſimili litera*. Aliud enim *ſimiliter*, aliud *ſimili littera*, quod ſpecialius, incipere. Priſcianus libro XII. ubi dicit nominativo *Tu* non addi *Met* ſyllabam, ne dubitationem faceret, quum etiam verbum intelligi poſſet, ſi dicamus *tumet*; ideoque brevem *Te* ſyllabam pro *Met* ei addere ſolere Auctores. Ennius: *Conjectura in Soſipatro*

O Tite tute Tati tibi tanta tyranne tuliſti

Idem Priſcianus ad librum VII. Aeneidos: Per ἐπέκτασιν *Tute*, inquit, *quae eſt correpta, ut:*

O Tite tute Tati tibi tanta tyranne tuliſti

Iſidorus libro I. Etymolog. cap. XXV: *Paroimoeon eſt multitudo verborum ex una littera inchoantium, quale eſt apud Ennium:*

O Tite tute Tati tibi tanta tyranne tuliſti

Conſultus Chirius Fortunatianus Rhetoricorum lib. III: *Homoeopropheron eſt, ut:*

O Tite tute Tati tibi tanta tyranne tuliſti

Quem hujus verſus auctorem nominant Priſcianus & Iſidorus; ſubticent Donatus, Soſipater, Fortunatianus. Perijſſe videtur poetae nomen apud Auctorem ad Herennium lib. IIII, ubi agit de Compoſitione, id eſt, Verborum conſtructione conſervanda, *Si*, inquit inter alia, *vitabimus ejuſdem litterae nimiam adſiduitatem: cui vitio verſus hic erit exemplo: (nam hic nihil prohibet in vitijs alienis exemplis uti)*

O Tite tute Tati tibi tanta tyranne tuliſti

Scripſit fortean: *Nam hic nihil prohibet in vitijs illis EnnI*

Auctor ad Herennium emendatus

exemplis uti. Facit emendatio, ut meliore ſenſu adhaereant, quae ſtatim ſubjiciuntur ab Auctor. *Et hic,* inquit, *ejuſdem poetae.* Fruſtra meminit *ejuſdem poetae*; niſi quis idem ille, antea monuerit

HISTOR. CONTINVAT

AB.V.C. *Eodem*

ADloquitur Tatium Sabinorum tyrannum: Sat damnorum utrimque datum & latum, ſatis fuſum eſſe ſanguinis

AST TE NON

Pompeius Feſtus lib. de verb. ſig. XVII. *Sum pro eum uſus eſt Ennius libro primo:*

Aſt tu non ut ſum ſummam ſervare decet rem.

Ennius varie correct.

V. N. Ioſephus Scaliger in ſuis ad me litteris legit:

Aſt te, non Tatium, ſummam ſervare decet rem.

Probarem, ſi & Feſtus; ab cujus mente ego:

Aſt te, non ut ſum, ſummam ſervare decet rem:

quaſi diceret, Te vero, o Tati, ſummam decet rem ſervare, non ut illum, (Romulum;) cujus res ſuperior. Pancratius Caſtricomius, homo, quem ſecretiores Muſae & ſumma morum integritas mihi fecerunt amiciſſimum; jam tum, quum Praxi civili in Palatio Comitum Bataviae darem operam, emendat

Aſt te, non ut ſam, ſummam ſervare decet rem

Αντίθετα, Servare rem ſummam, & ſam, id eſt publicam & privatam vel propriam. Sed nec ſic fit ſatis Feſto

HISTOR. CONTINVAT

AB.V.C. *Eodem*

ADdit Tatium potius decere, quam Romulũ, ut ad pacem veniat, & ſummam rem ſervet

ALTER-

Sosipater lib. II: *Concorditer*, inquit, *Ennius Annalium libro primo:*

Aeternum seritote diem concorditer ambo.

Cetera, voce *Ceterum* expuncta, tali modo, meo judicio, ex vestigijs antiqui libri, qui apud antiquae nobilitatis virum Ianum Duzam, legenda, supplenda, distinguenda; explosis nonnullis alijs, quae glossema sapiunt. *Sallustius Historiarum lib. quarto: Scio equidem tibi magnas opes virorum, armorum & auri esse, & ea re ab nobis concorditer ad societatem, ab illis ad praedam peteris. Ceterum consilium est Tigranis, regno integro, meis militibus belli prudentibus procul a domo per nostra corpora bellum conficere. ubi Asper: Ceterum quo modo positum est; pro alioquin, an pro reliquum, ut sit nomen reliquorum?* Duorum auctorum, EnnI & SallustI, exemplis probabat Sosipater Adverbium *Concorditer* veteres usurpasse; quod quoniam apud posteriorem in Vulgatis perierat, praejectum ejus verbis, ab nescio quibus, *Ceterum:* cujus quidem inibi mentio, inexplicati tamen vel innotati potius ab Sosipatro; adjectis obiter, quae de eo Asper Grammaticus, &, teste Hieronymo, SallustI interpres. Alij carmen Ennianum legunt:

Sallustius apud Sosipatrum emendatus & suppletus

Asper purgatus ab Glossem.

Sosipatro lux & medicina

Alternum seritote diem concorditer ambo

Malim:

Alternos seritote dies concorditer ambo

Agit enim Hersilia de consociandis Romuli & TatI regnis. Hieronymus Columna ingeniose restituit:

Alterna scitote die concorditer ambo

a *Sciscere*, quod est, decernere; eleganter: refertque ad Procam Albanorum regem, qui Amulio & Numitori filijs re-

gnum annuis vicibus habendum reliquit, & ut alternis *(quemadmodum ſcribit Auctor de VV. Inluſtribus)* imperarent

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. *Eodem*

Hortatur poſtremo utriuſque partis duces; ut, abjectis armis & bellorum tempeſtate ſedata, iratos animos deponant, ad concordiam totis viribus ambo properent

ACCIPE VII

Macrobius lib. VI. Saturnal. cap. I. apud quem Ennium ſuum exprimit Virgilius hoc verſu:

Accipe daque fidem, ſunt nobis fortia bello
Pectora

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. *Eodem*

Non ſegnius interim ceterarum ſtudiũ, quae miſericordia cum erga parentes proximoſque, tum maritos, qui illis ex quadriennij conſuetudine jam cari erant, notae, orant, *(oratio commiſeratione & adfectibus plena eſt apud Livium lib. I. Plutarch. in Romulo & Ovidium III. Faſtor.)* ne ſe mutuo ſanguine conſpergerent Soceri Generique; ne paricidio macularent ſuos partus: ſi adfinitatis pigeret, in ſe vorterent iras; ſe cauſſam belli, ſe vulnerum, ſe caedium viris ac parentibus eſſe; melius ſe perituras, quã victuras ſine alteris Viduas vel Orbas.

VIII Movet res cum multitudinem tum duces: ſilentium

tium & repetina fit quies. Duces, quod in ipſo ardore omnibus erat votis expetendum, pacis ineundae, prodeunt; dexteras jungunt; dant accipiuntque fidem; &, pacatis utrimque animis, foedus bene firmum feriunt: quin civitas una fit ex duabus; regna conſociantur; imperium omne confertur Romam, omnia feminarum induſtria *(Sic ſaepe*

Melius, quam Virei, callent Moulieres:

inquit Attius in Aegiſtho)

FIDUS 36.) Sic ſcribendum hanc vocem apud Ennium docet me M. Terentius Varro lib. IV. de L. L. *Faeciales, inquit, quod fidei poblicae inter populos praeerant. Nam per hos fiebat, ut juſtum conciperetur bellum, & inde deſitum; & ut foedere fides pacis conſtitueretur. Ex heis mittebant, antequam conciperetur, qui res repeterent; & per hos etiam nunc fit foedus, quod Fidus ſcribit Ennius dictum:* niſi quis velit haec ab Varrone notata de poſteriore Ennio, cujus apud Suetonium de Claris Grammaticis nominantur libri de Litteris, Syllabis, Metris, & Augurandi diſciplina

Ennius correctus

Ennius poſterior

BENE FIRMUM 36.) Hunc & ſimiles EnnI locos IX, 13. XX, 13. & alibi, deſignat Porphyrio ad illud HoratI libro III. Carmin. *Scelerum ſi bene poenitet*, ait *Bene* pro Valde poſitum, ut apud Ennium frequenter. Sic Lucretius libro V:

Bene pro Valde

Donicum eum contra pleno bene lumine fulſit

M. Tullius lib. V. Epiſt. ad Lucceium: *Sed tamen qui ſemel verecundiae fines tranſierit, eum bene & naviter oportet eſſe impudentem.* Iuſtinianus Imp. §. poenales. Inſtit. de Actionibus:

Inſtitutiones Iuſtiniani emendatae

bus: *Poenales quoque actiones Praetor bene multas ex ſua juriſdictione introduxit.* Male in Vulgatis legitur *paene:* quae vox, quum ſenſum turbaret, & quod veritati parum erat conſentaneum, doceret, a pleriſque ſententia juſta juſſa eſt exſulare, nulla alia ſubrogata. Auctor de bello Hiſpanienſi tredecies hac voce in tantillo opere pro Valde eſt uſus. De illo quae mea mens, alibi doceo

TATIENSES

M. Terentius Varro lib. IV. de L.L. *Ager Romanus primum diviſus in parteis treis, a quo Tribus appellatae, Tatienſium, Ramnium, Lucerum nominatae, ut ait Ennius, Tatienſes a Tatio, Ramnenſes a Romulo, Luceres, ut ait Iunius, a Lucumone.*

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. *Eodem*

PAce conciliata, conlata concordia *(ut Ennio noſtro utar in Creſphonte)* & geminata urbe; ut Sabineis aliquid daretur, Quirites a Curibus, Sabinorum metropoli, cives omnes appellantur. Populo in triginta Curias diſtributo, nomina ijs Raptarum imponuntur. Tres Equitum Centuriae conſcribuntur; Ramnenſes *(alij,* Ramnes) a Romulo; *(ut Scriptores tradunt, neſcio an vere)* ab T. Tatio Tatienſes; *(alijs* Taties; *nonnullis* Tatij: *ſunt qui* Titienſes; *Propertius* Tities *vocat*) & Luceres *(alij* Lucerenſes, *quidam* Lucomedes *dicunt*) a Lucumone *(Plutarchus a* Luco, *alij apud Feſtum aliunde dirivant)* Concors regnum duobus regibus diu fuit

QVEM SUPER VIII

L. Annaeus Seneca libro Epiſtol. XIX. Epiſt. CXIX. *Felicem*

deinde

deinde ſe putabat, quod invenerit, unde viſum ſit Virgilio dicere:

. . . . *quem ſuper ingens*
Porta tonat coeli . . . .

Ennium hoc, ait, Homero ſubripuiſſe; Ennio Virgilium, &c. Addit Hieronymus Columna, vir ob ſummam eruditionem maximi faciundus idem hoc fragmentum citari ab anonymo quodam Grammatico, quem ſervat Neapoli Bibliotheca Carbonaria, ubi agit de verbis neutris Imperſonalibus

HISTOR. CONTINVAT

POſt aliquot annos Tatius ad ſolemne ſacrifi- AB. V. C. XIII
cium profectus, Lavinij, anno v. poſt quam Romae regnare coeperat, (*ut ſcribit Meſſala Corvinus*) interficitur; iure, quod injurius fuiſſet judex inter propinquos ſuos & Laurentium Legatos, qui ab ijs fuerant pulſati. Expiatis Legatorum injurijs & regis caede, foedus inter Romam & Lavinium factum. Bellum deinde cum Camerinis Romulus XVI
geſſit: quod excepit aliud in ipſis fere urbis portis, XXI
exortum a Fidenatibus, qui aegre ferebant nimis vicinas prope ſe convaleſcere opes. Vaſtatur agri quod inter urbem erat & Fidenas. Tumultus agreſtium ex agris in urbem inlatus Romulo nunciat inſtans periculum. Exercitum educit. Effunduntur urbe Fidenates. Concurritur. Illi terga vertunt, opidumque repetunt. Haeret cum ſuis in terga Romulus, & priuſquam fores portarum objicerentur, uno

agmine irrumpit. Sic victi Fidenates. Ejus belli contagione irritati Vejentes & moti consanguinitate in fines Romanos excurrunt, populabundi magis, quam justi more belli. Rapta ex agris praeda, Vejos redeunt. Insequitur eos Romulus. Obviam egressi Vejentes vincuntur. Illorum urbe, muris ac situ ipso munita, abstinetur. Agros tamen reversus Romulus vastat, ulciscendi magis, quam praedae studio. Qua clade subacti Vejentes pacem petitum Romam Oratores mittunt. Agri parte multatis in centum annos induciae dantur. Quum Romulus urbem atque Imperium Romanum multis praeclaris Legibus atque Institutis fundasset, domesticamque disciplinam stabilijsset,

XXXVII *Nonis Quintilibus*

Nonis Quintilibus *(quae posteris Caprotinae)* recenset ad Caprae paludem *(cui fini incertum, an ut aliquo educeret, an vero ut suorum sciret vires)* exercitum;

. . . *quem super ingens*
Porta tonat coeli,
& saeva oritur Tempestas

PORTA COILEI 7.) Nominantur apud Homerum Iliados θ. πύλαι οὐρανοῦ

TRANSNAVIT VIII

Iunius Philargyrius ad IIII. Georg. Virg. *Nare*, inquit, *pro volare, ut Ennius in I:*

Transnavit cita per teneras caliginis auras

V.CL.

V.CL. Hieronymus Columna refert ad Homeri animam vel umbram, evolantem ex inferis in ſuperam regionem per interjectam caliginem: ego ad Romulum, quem, niſi fallor, canit hic poeta

. . . *Vitam tenues profundere in auras*

HISTOR. CONTINVAT

RApitur ex ſuorum conſpectu Romulus, &, ut creditum eſt, AB. V. C *Eodem*

Tranſnavit citu' per teneras caliginis auras

CITU' 9.) In vulgatis erat *Cita.* Illud malui. Sic enim raptus Romulus integer, ut nuſquam poſtea comparuerit *Ennius leviter corr*

IUNO, VESTA VIII

L. Apuleius de Deo Socratis: *Quorum in numero ſunt illi*, inquit, *duodecim numero, ſitu nominum in duos verſus ab Ennio coartati:*

Iuno, Veſta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Iovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo;

ceterique id genus, quorum nomina quidem ſunt noſtris auribus jam diu cognita: poſſumus vero animis conjectare pervarias utilitates in vita agenda animadverſas in ijs rebus, quibus eorum ſinguli curant. Martianus Capella in Nuptijs Philologiae: *Tunc etiam*, ait, *ut inter alios potiſſimi rogarentur ipſi Conlegae Iovis, qui biſſeni ab eodem Tonante numerantur: quoſque diſtichum complectitur Ennianum:*

Iuno, Veſta, Minerva, Ceres: ut paullo ante

Locus Apuleii manu medica indiget. Legunt plerique: *Quorum in numero ſunt illi duodecim numero, ſitu, nomine in duos verſus ab Ennio coartati:* ut quaſi innuat Apuleius,

Deos Deasque non solum nomine suo singulos in versibus Ennianis esse, sed etiam ordine suo, quo hic major, ille minor; hic antecedere, hic subsequi dicitur, collocatos. Quod mihi nequaquam adridet. Non enim is Deorum Dearumque ordo. Nam situs ille injuriam creat non modo DIs maribus, quibus hic praeponuntur feminae; verum etiam Iovi, cui Deorum omnium genitori & regi

Apuleius emendatus

praemittuntur Mars & Mercurius, quorum huic Iuppiter pater, illi avunculus. Lego igitur: *Quorum in numero sunt illi duodecim, inverso situ nominum in duos versus ab Ennio coartati.* Inversus nominum situs, qui natus ex metri necessitate, in eo praecipue, quod Deae praenominatae DIs. Alium certe Deorum Dearumque ordinem edit Apolloni Scholiastes in lib. II. Argonaut. apud Hieronymum Columnam, qui, ut & Petrus Crinitus lib. VIII. de honesta disciplina, cap. VIII. de duodecim DIs Consentibus plura, lectu digna. Iis addendum & ab Herodoto in Erato

XII Atheniensium DI

nominari XII. Atheniensium Deos, quos Gulielmus Postellus, miraculum illud suo aevo naturae, praeceptor

XII Atheniensium principes

olim meus, in libello de Atheniensium magistratibus, arbitratur esse duodecim eorum Principes & Eponymos, a

XII Athenarum partes

quibus XII. partes urbis nuncupatae, Cecropis, Erechtheis, Ægeis, Pandionis, Acamanthis, Leontis, Oeneis,

XXXVI Athenarum Tribus

Hippothoontis, Antiochis, Acantis, Antigonias, Demetrias: quae ipsae singulae in tris partes divisae reddebant sex & triginta Tribuum numerum, quas Romani una minus sunt imitati. Scribit etiam Herodotus in Euterpe XII.

XII Aegyptiorum DI

Deos primo in Aegypto cultos, inde in Atticam portatos, habuisse Pisis aram communem, quae δώδεκα θεῶν βῶμος

XII Deorum ara

vocabatur. Aegyptios igitur sequuti Graeci, Graecos Romani: an vero Aegyptii Hebraeos, qui XII. habuerũt my-

XII mystica Dei nomina

stica veri & summi Numinis nomina? Decem enumerat D. Hieronymus ad Marcellam scribens. Ea haec; 1, *El*,

quod

quod Septuaginta θεὸν, Aquila vero ἰσχυρὸν interpretatur; II, *Elohim*; III, *Elohe*; IIII, *Zebaoth*, quod Septuaginta *virtutum*, Aquila *Exercituum* transferunt; V, *Elion*; VI, *Eser Eheieid*; VII, *Adonai*; VIII, *Iah*; IX, *Iehova*; X, *Saddai*: quibus addenda, XI, *Sur*, XII, *Abir*

HISTOR. CONTINVAT

SIc obijsse & abijsse ex hac vita scribitur *(ab Livio libro I. Plutarch. in Romulo, L. Floro, Messala Corvino, Ovidio II. Fastor. Alij dicunt a Primoribus interfectum, corporeque in minutißima fragmenta dissecto, occulte sub vestibus per partes asportatum. Aristobulus Italicarum rerum scriptor lib. II. Dionys.* Halic. *libro II. Valerius Maximus lib.* V. *cap.* III. *& Augustinus lib.* III. *de Civit. Dei cap.* XV. *ejus paricidij novos cives auctores fuisse memorant. Alij Veneno exstinctum volunt; alij sua manu mortuum: alij alia mortis genera & caussas referunt)* primus ille & urbis & ImperI conditor; quum regnasset annos XXXVII. *(quidam addunt menses* II. *Dies* XVIII. *Unus Paullus Diaconus, EutropI interpolator, annos edit* XXXIX. *male & contra omnes Historiographos, atque adeo contra ipsum, quem in manibus habebat, Eutropium. Mortuo Romulo, fingitur ab Ennio Concilium Deorum Dearumque. Conveniunt* AB. V. C. XXXVII Paulli Diaconi lapsus

Iuno, Vesta, Menerva, Ceres, Deiana, Venus, Mars,
Mercurius, Iovi', Neptunus, Volcanus, Apollo

IOVI' 13.) *Iovis* antiquitus, qui hodie *Iupiter*, quasi *Iou-* Iovis

piter, ut *Marſ-piter*, *Neptunu-pater*, *Saturnu-pater*; quamvis alijs, quaſi *Iuvans pater*. Videndus Varro lib. VII. de L.L. Addendi Hyginus in fabulis cap. CCXX. & D. Auguſtinus lib. VII. de Civitate Dei, capp. IX. XIV. & XV. Reliquiae manent in *Dijovis* & *Vejovis*. *Iovis* autem ab myſtica Dei appellatione יהוה

CONSTITIT VIII

Sex. Pompeius Feſtus lib. XVII: *Sos pro eos antiqui dicebant, ut Ennius lib. I:*

Conſtitit inde-loci propter ſos DIa Dearum

Quis ſenſus? Superioribus adnecto, οὐχ' ἱστορέων:

CONTINVAT

Conſurgens cum Marte Venus,
Conſtitit inde-locei propter ſos DIa Dearum

Conjectura in Ennio

CONSTITIT 15.) Putavi aliquando referendum haec ad Iovem Statorem, & legendum:

Conſtitit endo loco propter ſos DIu' Deorum

Facile enim ex *DIu'*, quemadmodum, teſte M. Tullio in Bruto, ſcribebant Veteres, factum *DIa*, ignorantibus & qui dictabant, & qui excipiebant: ut ſit hujus verſus ſententia: Romulo, quae folio VII. linn. 3. & ſeqq. ecfato, viſum fuiſſe (quid poetis non licet?) adſtare propter ſuos Iovem, Deum Deorum, endo loco, quo pugnabatur (is Intermontium erat;) & auxilium ferre tam promtum & oportunum, ut non ſolum fugam Romanorum ſiſtendo, ſed etiam Romanis conſtando, Statoris cognomen fuerit meritus

Iovis Stator

Gloſſar. auctus

CONSTITIT 15.) Gloſſar: *Conſtat*, συνίσταται, συμμένει. Et paullo poſt: *Conſtituit*, συνίσταται, ὁρίζει, καθίστησιν. Mallem, aucta voce: *Conſtitit*, συνέσταται. *Conſtituit*, ὁρίζει, καθίστησιν

INDE

INDE LOCEI 15.) Sic alibi poeta noſter apud Feſtum lib.x: *Inde-locei*

Inde locei lituus ſonitus ecfundit acutos.

Lucilius lib.xxx.Satyrarum:

Molteis inde locei ſermonibu' concelebrârunt;

apud Nonium cap.iv.§.109. ubi male Vulgarij libri, *inductis*; Veteres ſanius, *inde locis*; unde nonnulli *endo loceis*. Lucretius libro v: *Lucilius emendatus*

Sic nova tum Tellus herbas, virgultaque primum
Suſtulit; inde-locei mortalia ſaecla creavit,
Multa modis multis varia ratione coorta

DIA DEARUM 15.) Δία θεάων

UNUS ERIT VIII

M. Terentius Varro libro vi. de L. L. ſuppreſſo auctoris nomine: *Dicam*, inquit, *iſto libro de verbeis, quae a poeteis ſunt poſita. Primum de loceis; deinde de ijs, quae in loceis ſunt; tertio de Temporibus, tum quae cum Temporibus ſunt conjuncta, adjungam. & ſi quid excidit ex hac quadripartitione, tamen in ea ut comprehendam, incipiam hinc:*

Unus erit, quem tu tolles in coerula coeli
Templa . . . . . .

Interſerit paucula Vetus apud me liber: *tam quae cum Temporibus ſunt conjuncta, utque cum his ſint conjuncta, adjungam.* V. N. Ioſephus Scaliger putat ex i. EnnI, & haec eſſe verba Martis Iovem rogantis, ut Romulus filius Deorum numero adſcribatur. Certe Ovidius, Ennio utens, ii. Faſtorum inducit Martem, qui ἀποθέωσιν Romuli apud Iovem molitur his verbis: *Varro auctor*

Juppi-

Juppiter, inquit, *habet Romana potentia vireis*
Sanguinis officio non eget illa mei,
Redde patri natum: quamvis intercidit alter:
Pro se, proque Remo, qui mihi restat, erit:
Unus erit, quem tu tolles in coerula coeli,
Tu mihi dixisti: sint rata dicta Iovis

Ovidius castigatior

Nonnullae editiones, *in sidera coeli*, male; ut & omnes, libro XIV. Metamorph. idem eodem poeta narrante:

Tu mihi concilio quomdam praesente Deorum:
(Nam memoro, memorique animo pia verba notavi)
Unus erit, quem tu tolles in sidera coeli;
Dixisti; rata sit verborum summa tuorum:

Idem correctus

Reponendum omnino:

quem tu tolles in coerula coeli;

Coerula coeli Templa dixit etiam paullo ante Ennius IV. 12. Simplicius autem *coerula coeli* ante Ovidium Lucretius libro I:

Atque ideo totum circumtremere aethera signis,
Et solis flammam per coeli coerula pasci

CONTINVAT

R*eferunt ad Deorum Senatum illi, faciente verba Marte, de Romulo in Deorum numerum adsciscendo ex Jovis promissis, qui aliquando spem ejus rei fecerat Marti, hujusmodi dictis:*

Unus

Vnus erit, quem tu tolles in coirola coilei
Templa . . . .
& quae ſequebantur

RESPONDIT

Citat Donatus, quo loco docet Soloeciſmum fieri *per Comparationem; ut:*

Reſpondit Juno Saturnia ſancta Dearum

pro ſanctiſſima. N. V. Ianus Duza ſcripſit ad me videri ſibi verſum hunc Ennianum reſipere; quod quur non credam, nil cauſſae habeo; maxime quum accedat Servius, qui ad illud VirgilI libro IV. Aeneidos:

. . . . ſequimur te ſancte Deorum,
Quiſquis es, imperioque iterum paremus ovantes;

Aut diſtingue, inquit, *Sancte: aut ſecundum Ennium dixit:*

Reſpondit Juno Saturnia, ſancta Deorum

Sanandus ex Servio Donatus, apud quem *Iuno, ſancta Dearum.* Concinnius ille, & adſtipulante magis Priſcorum ſermone. *Deus* enim apud Veteres Latinos, exēplo Graecorum, utroque genere enunciabatur, quod notatum ab V.N. Ioſepho Scaligero ad PompeI Feſti librum de verb. ſignif. XIV. Pertinet mihi hoc carmen ad Deorum Dearumque concilium

Donato paulla medicina

CONTINVAT

AT vero Iuno Romanorum invidens potentiae jam inde ab initio, (teſte Servio ad I. Aeneidos, ubi ſcribit bello Punico ſecundo Iunonem placatam coepiſſe Romanis favere) ſententiam rogata, ſecus de conſecrando Romulo, quam reliqui DI Deaeque, ſentit

M.Tullius lib.1.Tusculanar. Disputat. *Mortem non interitum esse omnia tollentem, atque delentem; sed quamdam quasi migrationem, commutationemque vitae, quae in claris viris & feminis dux in coelum soleret esse, in ceteris humi retineretur, & permaneret tamen. ex hoc & nostrorum opinione,*

Romulus in coelo cum DIs agit aevum

Ennius apud Ciceronem suppletus Supplendum hoc Carmen ex Servio, qui hic plenior ad illa VirgilI vi. Aeneidos:

Quem tibi longaevo serum Lavinia conjux
Educet Silvis regem, regumque parentem;

Longaevo, inquit, *id est, Deo. Aevum enim proprie aeternitatis est, quae non nisi in Deos venit. Ennius:*

Romulus in coelo cum DIs genitalibus aevum
Degit . . . .

Servius inlustrat Hunc EnnI locum proculdubio intellegit etiam idem Servius ad versum,

Quin & avo comitem sese Mavortius addet
Romulus

Amulius, inquit ille, *& Numitor fratres fuerunt: sed Numitorem regno Amulius pepulit: etiam Iliam ejus filiam sacerdotem Vestae fecit. De hac & Marte nati Remus & Romulus; qui quum adolevissent, occiso Amulio, avum Numitorem in regnum revocarunt, & cum eo uno anno regnaverunt: postea propter angustias ImperI, Romam, captatis augurijs, condiderunt. Ergo avo se comitem, aut avito se junget imperio; aut secundum Ennium referetur* (sic enim legendum) *inter Deos cum Aenea.* Delirat in sequentibus doctissimus alioquin Grammaticus. *Dicit namque* (inquit de Virgilio) *Iliam fuisse filiam Aeneae, quod si est,*

Aeneas avus est Romuli. Non hoc dicit Servi Virgilius: sed *Avi* voce abutitur & Aeneam significat: quemadmodum saepe Majores vocantur *Avi* ab Scriptoribus Latinis. Et fortean scripserat Virgilius:

Virgilius contra Servium defensus

Conjectura in Virg

Quin & avis comitem sese Mavortius addet
Romulus:

Avi vel Majores Romulo ipsi DI Saturnus, Iuppiter, Aeneas; pater Mars: quos, & Venerem, poeta hoc loco nuncupat *Deos genitaleis,* quod ab ijs Romulus divina quadam serie genitus. Certe VirgilI illa de Consecratione Romuli esse accipienda, non vero, quae ServI mens, de aequa & annua inter Numitorem & Romulum regni societate, sequentia apud poetam principem clamant. Sequitur enim:

DI Genitales

Servius iterum reprehensus

. . . Assaraci quem sanguinis Ilia mater
Educet: viden' ut geminae stent vertice cristae?
Et pater ipse suo superum iam signet honore?

Poeta enim Martem intellegit, quem Anchises dicit filium superum, id est, astris inlatum, suo signaturum honore

Virgilio lux

CONTINVAT

EVincitur tandem, superata Romuli bono, votis; & fit quasi SC in haec fere verba:

Romolus in coelo cum DIs genetalibus aivom
Degat . . . .

Sic suum Romulum Deum deinceps agnoscunt & habent Romani; Templo condito, Flamine creato, Festo die instituto

CUM DIs GENETALIBUS 26.) *Genitales* Romulo *DI*, quemadmodum dixi, a quibus genitus, Satur-

nus, Ioupiter, Aeneas, Venus, Mars. Hunc locum designat M. Tullius lib. de Oratore, ex emendatione CL. V. Dionysi Lambini: *Vel saepe*, inquit, *vel sine conjunctione Verba novantur, ut illud Senis diserti, DI Genitales.* Antea legebatur: *ut ille sensus disertus indigenitalis.* Unde Hadrianus Turnebus lib. xx. Adversi. cap. xxiv. *ut ille Ennius: DI genitales.* Scripsit meo judicio Tullius: *ut ille senex disertus Annalibus, DI Genetales.* Vox *Annalibus*, ab Exscriptoribus abbreviata *Ann.* postea *In* facta

Ciceroni varia medicina

PES DV/// VIII

Sex. Pompeius Festus lib. xiv. de verb. signif. notata *Pertusi Dolij* notione, nonnulla videtur adjecisse de *Pede*, & citasse inibi librum I. Annalium EnnI: quia vero verba ibi perierunt, coactus sum adscribere mutilata, incerto libri I. loco. Sic libri primi finis in fine primi regum: in quo explicando si quibusdam prolixior visus ego & fusior, quam in reliquis libris futurus; norint illi, & primum librum alios superare Fragmentorum numero, & semel initio, data occasione dicenda, quae sequentibus datura lucem & interpretationem

PAVLLI G. F. P. N. MERVLAE
COMMENTARIA IN
Q. ENNI
POETAE ANTIQVISSIMI
FRAGMENTA ANNALIVM
LIBRI II

O ROMOLE IX

L. Coelius Lactantius lib. I. de Falsa religione, cap. xv: *Nam Romulum*, inquit, *desiderio suis fuisse, declarat Ennius, apud quem populus amissum regem dolens, haec loquitur:*

O Ro-

O Romule, Romule, dic o,
Qualem te patriae custodem DI genuerunt?
Tu produxisti nos intra luminis oras.
O pater, o genitor, o sanguen DIs oriundum!

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. *Eodem*

ROmulum nusquam comparentem populus valde desiderat, &, velut orbitatis metu concussus, moestum aliquamdiu continet silentium: deinde facto a paucis initio, Deum Deo natum, Regem Custodemque urbis, communem omnium parentem universi salutant, pacem precibus exposcunt, uti volens & propitius suã sospitet progeniem

O ROMOLE, ROMOLE 2.) Calpurnius Piso lib.1: *Iteratio*, ait, *quam Graeci ἀναδίπλωσιν vocant, si dextre collocatur, magnum ornatum adfert orationi. Omnis aetas hic excellit. Non male Livius Andronicus in Odyssea: Ah vestros, vestros, dum hic mantatis, irruet nervos perduelles. Melius Ennius in Ann. III. O Romule, Romule, dico. Optime Lucilius Satyra* XXVIII. *de fure Callonio. Hic scurra, hic carcer, carcer vix carcere dignus.* & quae alia ibi ex Virgilio, Horatio, Calidio & alijs. Scripsisse arbitror Livium:

v. Lucilium a Dousa p. 106.

Livius apud Calpurnium emaculatus

Ah vostros vostros, dum hic mantatis, inruet
Moeros perduelles

Mantare Festo, saepe manere. Soli, ni fallor, Calpurnio haec NaevI citata. Ennius etiam apud diligentissimum & infinitae lectionis auctorem castigandus, & distrahenda in duas vox *Dico*. Numerus item reponendus. Pertinent

Mantare
Ennio apud Calpurnium antiqua scriptura conservata

enim haec ad lib. II, vel saltem finem libri I; non ad III, quo persequutus poeta quae gessit, non Numa, non Tullus Hostilius, non Ancus Marcius; sed quae L. Tarquinius Priscus, quae Ser. Tullius, quae denique L. Tarquinius Superbus. Luciliani versus posteriora citat aliquoties Donatus ad Terentium, non indicata Satyra. Calpurnius XXVIII. nominat, & de fure Callonio (lege *Gallonio*) scripta notat. Iis adnecto, quae apud Nonium ex eadem Satyra in Sumere & Legere; hoc modo:

Lucili versus aucti, juncti, mendis liberati

Hic scurra, hic carcer, carcer. vix carcere dignus,
Omnia viscatis manibus leget, omnia sumet,
Crede mihi, presse auferet omnia . . .

Sic enim lego. De eodem Gallonio exaudiēda, quae apud M. Tullium lib. II. de Finibus:

O Lapathe, ut jactere necesse est, cognitu' cui sis.
In quo Laeliu' clamores sophos ille solebat
Edere, compellans gumas ex ordine nostros.

Praeclare Laelius & recte σοφὸς, illudque vere:

O Publi, o gurges, Galloni es homo miser, inquit:
Coenasti in vita numquam bene, quum omnia in isto
Consumis squilla, atque accipensere cum decumano

Lucili versus apud Cicer. suppleti correcti

Vera & germana horum scriptura, eruto, qui in Ciceronis verbis perierat, versu:

O lapathe, ut jactere, necesse est cognitu' cui sis:
In quo Laeliu' clamores σοφὸς ille solebat
Edere, compellans gluvias ex ordine nostros.
Laeliu' praeclare & recte σοφὸς: illaque vere,
O Publi Gurges Galloni, es homo miser, inquit,

Coenasti

Coenasti in vita numquam bene, quum omnia in ista
Consumis squilla, atque acipensere cum decumano.

& illustrati

Nonnihil lucis dabo. Lapathus, Lapathum vel Lapathium, herba tenui vitae non inimica, ἀπὸ τοῦ λαπάζειν. Ventri enim evacuando apta & commoda. Infeliciter in nonnullorum hortis ex hac herba ridiculus prodijt homo, Lapathus, cui Satyras quasdam scripsisset (error ex errore) Lucilius. Gulosi autem antiquitus *Gluviae* dicti. Adserenda vetus Nonio Marcello, & apud eum Lucilio scriptura. *Genuae*, inquit, *gulosi*. Lucilius lib. xxx:

Petr. Crinitus notatur

Lucilius & Nonius emendati

Illo quid fiet lamia & pitto ixiodentes
Quod veniunt genue illae, vetulae, improbae, ineptae

Scribo: *Gluviae, gulosi*. Lucilius lib. xxx:

Illi quid fiet? Lamia & Pytho ὀξυόδοντες
Quom veniũt illae gluviae, vetulae, improbae, ineptae

Item Sex. Pompeio Festo lib. IX. *Ingluvies a gula dicta. Hinc & Ingluviosus, & Gluto, Gulo, Gluvia, Guttur, Guttus, Gutturiosus & Gurgulio.* In Vulgatis legitur: *Gumia:* quam vocem tamen retinet vir magnus Iosephus Scaliger, qui & in Conjectaneis ad Varronem reponit apud Nonium: *Gumiae, gulosi*. Lucilius lib. xxx:

Festo medicina

Illo quid fiet Lamia & Pytho oxyodentes
Quo veniunt illae gumiae, vetulae, improbae, ineptae.

Alij pro *Genuae*, scribunt *Geniae*, quasi genio & ventri indulgentes. Mihi vox Luciliana apud M. Tullium, Festum & Nonium *Gluvia*, eo magis adridet, quod in antiquis TullI libris deprehendam expressum hoc carmen:

Quo veniunt illae glumae, vetulae, improbae, ineptae.

Gurges autem hujus P. GallonI est cognomen, inditum

illi ab nimia edacitate. Ejuſdem GallonI quaeſtus & ſumtus eſt apud Tullium in oratione pro P. Quintio: *Non ut dominentur illis*, inquit, *qui relicta virorum bonorum diſciplina, & quaeſtum & ſumtum GallonI ſequi maluerunt: atque etiam, quod in illo non fuit, cum audacia perfidiaque vixerunt.* Addam Horatij illud lib. II. Satyr. II:

Nec dum omnis abacta
Pauperies epulis regum. Nam vilibus ovis,
Nigriſque eſt oleis hodie locus. haud ita pridem
GallonI praeconis erat acipenſere menſa
Infamis:

Horatius caſtigatior

Male in quibuſdam libris *Gallonis*. Tertulliano etiam celebrantur CurI alea, ApitI gula, GallonI ſumtus, AntonI ebrietas. Fuit igitur hic P. Gallonius Gurges, Cibi ſuo aevo pernicies, & homo trium litterarum, viſcatis manibus: ideoque Carcer, imo Carcer vix carcere dignus. Sequebantur non magno intervallo ſuperiores apud Lucilium verſus:

LucilI verſus eruti ex Ciceronis verbis

. . . . *cocto,*
Condito, ſermone bono, ſi quaeri' libenter;

quae in Tullij verbis eodem libro latitant. Nominat etiam Calpurnius *Calidium*, eum fortean, cui praenomen & nomen *L. Iulius*. Meminit Aſconius Paedianus. Cornelius Nepos eum elegantiſſimum poetam nominat, & cum Lucretio atque Catullo committit

L. Iulius Calidius poeta

Ennius reſtitutus

TU PRODUXISTEI 4.) Videndus Iulius Firmicus libro I. cap. VI

ENDO LUMINIS ORAS 4.) Emendatio haec certi juris. In Vulgatis eſt, *intro luminis oras*. Ennius meus hoc eodem libro:

Accedit,

Accedit, ſum qui dederat in luminis oras

Lucretius ſaepe imitatus Ennium ſuum; libro de rerum natura I: *Lucretius Ennium expreßit*

Inde enaſcitur, atque oras in luminis exit:

paullo poſt:

Tuto res teneras ecfert in luminis oras:

libro V:

. . . ratioque in luminis eruit oras.

Sic Virgilius libro II. Georgicon:

Sponte ſua quae ſe tollunt in luminis auras;

Arbitror verius: *Virgilius emendatus*

in luminis oras.

Idem Virgilius dixit, *Edere ſub luminis oras*, libro VII:

Collis Aventini ſylva, quem Rhea ſacerdos
Furtivo partu ſub luminis edidit oras,
Mixta Deo mulier,

Sic enim recte, non, ut quidam, *auras*. Vtrobique expreſſit Ennium Virgilius *Iterum*

O GENETOR 5.) Caecutierunt hoc loco operae. Scripſeram enim *o Genitor*. *Genetrix* per E, *Genitor* per I ſcribendum obſervavit olim Probus Grammaticus

O GENITOR 5.) Priſcianus lib. VI: *hic Sanguis, hujus ſanguinis, quod veteres hoc Sanguen dixerunt. Cicero in Hortenſio, ut ait Ennius:*

Refugiat timido ſanguen atque exalbeſcat metu;

Ennius apud Priscianum restitutus

Sic enim ſcribendum pro *timidos. Idem in II. Annalium:*

O genitor, o ſanguen, o DIs oriundum.

De antiqua voce notat & quaedam Fl. Soſipater Chariſius, cujus verba, ut plenius exſtant in antiquiſſimo apud N. V. Ianum Duzam codice, adſcribi digna: *Sanguis maſculino genere facit hunc ſanguinem. Sed Cato de habitu, ut declinaretur, ait Sanguen, inis; Sanguis, ſanguis, ſangui. id imitatur Lucretius;* lib. I. de rerum natura:

Soſipater ſuppletus

Viſceribus Viſcus gigni, Sanguenque creari

Vulgata exemplaria habent: *Sanguis maſculino genere dicitur & facit hunc ſanguinem, ſed Cato de habitu ait, Sanguen demittatur. & Lucretius:*

Viſceribus Viſcus gigni, Sanguenque creari.

Videndi & Agellius lib. III. Noct. Attic. cap. VII. & Nonius Marcellus, qui alia hujus vocis exempla adducit, ut (praeter EnnI, LucretI & aliorum) AttI Amphitruone, quem ſic emendo:

Attio apud Nonium medicina

Cum patre parvos patrum hoſtifico ſanguine
Sanguen miſcere ſuum;

Alii ibi *Viſcere*, alij *Hiſcere*. Habuit oculos in Attio M. Terentius Varro in Coſmophthor. cui medicinam adfero:

& Varroni

Africa terribilis contra concurrere Iberis,
Atroque Aeneae miſceri ſanguine ſanguen,
concurrebat, miſcebatur

DIs *5.)* Marte, Aenea, Venere, Iove, Saturno, Coelo.

INGENS IX

Priſcianus lib. XIII: *Sic ergo* ἐμοῦ, σοῦ, οὗ, *mei, tui, ſui,* ἐμοῦς, σοῦς, οὗς, *mis, tis, ſis: ſed propter ſupradictam cauſſam tacitus eſt tertiae hujuſmodi genitivus. Ennius in II:*

Ingens

Ingens cura mis cum concordibus aequiparare,

Mis, dixit pro mei. V. N. Ioſephus Scaliger ſcripſit mihi ſcribendum:

Ingens cura mihei concordibus aequiperare:

Quod verius forte, ni pugnaret Priſcianus, quem ſequutus lego:

Ingens coira mi' cum concordibus aiquiperare

HISTOR. CONTINVAT

ERant, qui regem Patrum manibus diſcerptum taciti arguebant. Certe ſolicita Romuli deſiderio & Patribus infenſa civitate, ſubornatur Iulius Proculus, vir nobilis, & Romulo amicitia haud vulgari devinctus. Is in concionem prodit, revocaturus *(quo pertinent haec Ennî)* in mutuam concordiam Patres & Plebem, jurejurando adfirmat, urbis parentem, quum prima luce coelo repente delapſus eſſet, auguſtiore forma ſibi obvium factum in Agonio colle; *(qui poſtea Quirinalis)* mandaſſe, nunciaret Romanis, Coeleſtes ita velle, ut urbs ſua caput Orbis, ſuique Cives omnium Gentium eſſent Domini: Rem modo militarem colerent, ſcirent & poſteris traderent, nullas opes humanas armis Romanis reſiſtere poſſe. Facile creditum haec nuncianti; & facta Immortalitatis fide, deſiderium Romuli apud omnes lenitum

AB. V. C. Eodem

CUM CONCORDIBUS 7.) Concinnius, ſi: *Ennio paullo forte melius*

Ingens coira mi', quom concordibus aiquiperare

Sensus: Summam adhibeo diligentiam, singularem impendo curam, pro virili cunctos ingenI nervos explico, Patres, quum nullas non vias quaero, quibus redire vobis licet in mutuam cum plebe concordiam, & aequiperari potestis ijs, quibus, artissimo amicitiae vinculo cõjunctis, res publicae magis solent cordi esse & curae, quam privatae dissensiones. Verba IulI Proculi ad Senatum, a quo paullo post mitigandae plebi subornatus. Ne hoc sileam, scribunt alij hoc carmen:

Ingens cura mis est concordibus aequiparare

AIQUIPERARE 7.) De antiqua hujus vocis Orthographia vide, quae notat V. N. Iosephus Scaliger, ad librum I. M. TerentI Varronis de re rustica. Adde ex Glossario: *Aequiperas*, ἐξισοῖς. Ἐξισοῦμαι, *Aequipero*

ECQUIS IX

Festus lib. xv. de verb. signif. *Quadrata Roma in Palatio ante Templum Apollinis dicitur, ubi posita sunt, quae solent boni ominis gratia in urbe condenda adhiberi, quia saxo munitus est initio in speciem quadratam. Ejus loci Ennius meminit, quum ait:*

Et quis exstiterat Romae regnare quadratae

HISTOR. CONTINVAT

AB.V.C. *Eodem*

RApto Romulo subficiendus rex Romanorum vorsat animos. Inter ordines certatur. Ab Sabinis oriundi sui corporis regem moliuntur. Veteres Romani regem peregrinum adspernantur. Variatur quidem; regem tamen omnes volunt, libertatis dulcedinem nondum experti. Dum rex quaeri-

quaeritur, ne caput deesset, ad Interregnum itur. Pa- xxxviii
tres, factis decem Decurijs, imperitant unum annum. Fremit plebes regnandi rationem, multiplicatam servitutem, plures pro uno dominos factos. Advocatur concio. Iubentur ab Interrege Quirites regem creare, ita Patribus visum esse: Patres, si dignum, qui secundus a Romulo numeretur, creârint, auctores futuros. Id plebi adeo gratum, ut totum fere quaerendi regis negocium in Patrum arbitrium rejecerit. Hi, quum Romae neminem invenirent, dispiciunt, ecquis exter esset, qui urbi regnare (*ut canit Ennius*) quadratae posset. Inclutum justitia & religione tempus illud habebat Numam Pompilium, Pomponis (*id, Dionysio. lib. 11. & XL. item Livio lib. 1. scribentibus, patris nomen, apud nonnullos, Valerium Maximum, Plutarchum & Auctorem de V. V. Inlustr. qui* Pomponium *appellant, est restituendum: nisi quis velit, Latina eos terminatione* Pomponium *dixisse, qui Sabinis* Pompo) F. Hic, divini & humani juris consultissimus, Curibus Sabinis habebat. Ejus nomine audito: nemo, qui se, qui suae factionis aliquem, qui denique Patrum aut Civium quemquam ausus praeferre: ad unum omnes Numae regnum deferendum decernunt

ECQUIS EXTER ERAT 10.) Vulgat. habent:
Et quis extiterat Romae regnare quadratae.

Fulvi Ursini editio, quae Romae vulgata:

Et quis est erat Romae regnare quadratae.

Ennius varie correctus

V. N. Iosephus Scaliger, in suis ad me litteris:

Et quibu' lex steterat Romae regnare quadratae.

Ego, historiae seriem sequutus:

Ecquis exter erat, Romae regnare quadratae:

Illustratus

Consilium hic capitur, quum Romae non inveniretur, qui Romulo subficiendus, ecquis apud exteros esset, qui, post Romulum, Romae regnare posset: inventus tandem, ut ἱστορέων dixi, Numa Pompilius. Non plene tamen mihi satisfactum. *Exter* autem pro Exterus. Sic apud Papinium lib. XI. Thebaid. *Exter honos.* Glossarium: Ἐξωτικός, *Exter, Extraneus, Externus.*

Festus notatus

Roma quadrata

ROMAI REGNARE QUADRATAI 10.) Festus hunc Ennī versum haud bene citat notando in X. urbis regione loco, qui propter Apollinis templum excitabat florenti civitati memoriam Veteris urbis, & dubiam admodum in incunabulis fortunam inculcabat. Fuit quidem talis locus, teste P. Victore urbis Topographo, in regione Palatio: non tamen illum Ennius, sed majus quid respicit. Primi Interregni tempore Roma etiamnum erat Quadrata: de qua adeundi Dionysius lib. I. Plutarch. in Romulo, Solinus cap. II. & Tacitus libro XII. In proximo versu sequebatur apud Ennium *Qui pote*, vel quid aliud

QUOM TONUIT IX

M. Tullius de Divinatione libro II: *Quae autem est inter Augures conveniens & conjuncta constantia? ad nostri augurii consuetudinem dixit Ennius:*

Quom tonuit laevom bene tempestate serena.

Versus non unius loci

HISTOR. CONTINVAT

IS igitur, invitus etiam, Romam accitus, ante omnia Deos ex more de se consuli jubet. Addicentibus auspicijs, *(Videndus, praeter alios, Livius lib. I.)* rex declaratur AB. V. C. XXXIX

TONUIT 13.) Imitatur M. Terentius Varro in Eumenidibus: *Dum sermone coenulam*, inquit, *variamus*, *Varro Ennium imitatus*

Interea tonuit bene tempestate serena

CONTREMUIT IX

Est hoc apud M. Terentium Varronem lib. VI. de L. L: non indicato auctore; praecedentia ibi & sequentia satis docent esse EnnI. non male adnectitur superiori; in cujus explicatione, quo & hoc pertineat, paret. *Coeli Templa* dixit etiam Lucretius lib. v: *Coeli Templa*

Et tanto magis illa foras elapsa volabant,
Corpora multa vaporis & aeris, altaque coeli
Densebant procul a terris fulgentia templa.

& libro VI:

Fumida quom coeli scintillare omnia templa
Cernentes pavida complebant pectora cura,
Quid moliretur rerum natura novarum.

Consulendus & Varro lib. VI. de L. L. qui Templum tribus modis dici notat

OLLI IX

M. Terentius Varro lib. VI. de L. L: *Apud Ennium*, inquit,

Olli respondet suavis sonus Egeriai:

Olli

Olli valet dictum illi; ab olla & ollus: quod alterum Comitiis quum recitatur, a Praecone dicitur: OLLA CENTURIA, *non Illa: alterum apparet in Funeribus Indictivis, quum dicitur:* OLLUS LETHO DATUS EST. Sic Paullus Diaconus ad Festi lib. XIII: *Ollic, illic, ut olli, illi.* Glossarium Fornerl: *Ollis* ἐκείνοις. *Pacuvius Per ea ollis opitularier cupio.* Leg. *Pacuvius Periboea: Ollis opitularier cupio.* In XII. Tabulis OLE, OLUM, OLORUM & similia

Pacuvius emendatus

HISTOR. CONTINVAT

Ab. V. C. Eodem

SIc regno potitus, urbem, quae vi condita erat & armis, jure, legibus & moribus de integro condere parat. Efferatos militia animos armorum desuetudine mitigandos ante omnia ratus, Iano Templum, quod apertum belli, clausum pacis indicium esset, excitat. Vt Deorum metum injiceret, miraculum commentus, & astutiam Minois sequutus, simulat sibi cum Dea Egeria, in nemore Aricino, congressus esse nocturnos, ejus se responso (*quo spectat Ennius*) & monitu, quae acceptissima DIs essent, Sacra instituere, & Sacerdotes cuique Deorum praeficere

EGERIAI 19.) Si vacat, lege nugacissimas nugas, quae ex ValerI Antiatis libro Annalium II. apud Arnobium libro V. adversus gentes. Egeria Numae Conjux consiliumque apud Ovidium III. Fastorum

MENSAS IX

M. Terentius Varro lib. VI. de L.L. *Apud Ennium*, inquit:

Mensas constituit, idemque Ancilia . . .

Ancilia

Ancilia dicta ab ancisu, quod ea arma ab utraque parte, ut Peltae Thracum, incisa, Saturnio in Carmine. Sic enim distinguendum. Nam vult Varro Anciliorum descriptionem esse in eo Carmine; non autem, quod sequitur, Saturnium esse Carmen. Est enim Hexametrum *Varro distinctio*

HISTOR. CONTINVAT

Omnium primus Annum ad Lunae cursum in XII. *(is numerus reponendus apud Eutropium ex M. SS.)* menses describit, additis Ianuario & Februario. Dies distinguit in Fastos & Nefastos. Sacerdotum plura genera excogitat. XXX. Curiones, quorum primus, Curio Maximus; III. Flamines, Dialem Iovi, Marti Martialem, Quirinalem Quirino *(Dionysio lib. II. Livio lib. I. & Auctore de VV. Inlustr. consentientibus. Quatuor vult a Numa institutos Dominicus Floccus, cujus libellum de Magistratibus Romanis nonnulli adscribunt Fenestellae: Pomponius Laetus Dialem & Martialem a Romulo creatos, Quirinalem a Numa Pompilio scribit superioribus conscriptum, sequutus Plutarchum in Numa. Augustinus lib. II. de Civitate Dei, cap. XV: credit Sacerdotium hoc, quod Iovi tribuerat Vetustas, Romulo etiam fuisse tributum, quum vita esset functus & Quirinus vocaretur, deinde vero, ne filius videretur patre major, Marti, propter Quirinum)* III. Augures; IIII. *(alii VI. edunt)* Virgines Vestales; XII. Salios Palatinos, quorum Princeps Praesul, & Magister Collegi Saliorum; III. Pontifices, quorum primus *AB. V. C. Eodem Eutrop. emendat*

Pontifex Maximus; Feciales cum Patre Patrato; Tribunum Celerum, qui ſecundus ab rege etiam Sacra quaedam obibat. Omnium denique ritus tradit Sacrorum, *(quae docet hoc & ſequẽti verſu poeta noſter)*

MENSAS 22) Alijs legitur *Menſes*, non male. Numa x. Romuli menſibus duos adjecit Ianuarium & Februarium. Melius tamen *Menſas*, quod quae ſequuntur, videntur poſtulare. Menſae in Sacrificijs ſuum habebant uſum, qui notus. Vid. Feſtum in *Menſas* & ibi doctum, cum Medicum, tum Interpretem; Macrobium lib. III. in explicat. verſus Virg. lib. VIII. Aeneid. *In menſam laeti ibant*. Quid Ancilia, Liba, Fictores, (vel, ut alij, Fartores) Argei, Tutulati, ante me dixit docte, qui nihil non poteſt rep. litteraria

Lucili verſus conjuncti & correcti

ANCILIA 22.) Idem de Numa teſtatur Lucilius, cujus duo verſus diſtracti, ſic conjuncti & emendati, reſtituendi ſunt libro Satyr. IX:

Hinc Ancilia, ab hoc Apices, Capideſque repertae,
Praeſul ut amtruet hinc, ut Vulgu' redamtruet inde

Prior citatur a Priſciano in Capis; poſterior a Feſto in Redamtruare. *Amtruare*, id eſt circumvolvere, Praeſulis, qui a praeſiliendo: *Redamtruare* Saliorum eſt, qui *Vulgus* hic Lucilio, quum ſaliendo ſaltum & numeros Praeſulis exprimunt, &, quamtum per artem licet, imitantur. Poſterior etiam invenitur apud Nonium, quem mecum ſic ſanius lege: *Redamtruare, reſilire. Lucilius lib.* IX:

Nonius, & apud eum Lucilius, caſtigatiores

. . . . *ut vulgu' redamtruet inde.*

hinc, inde apud Lucilium, id eſt, ex Numae Pompili inſtituto. Pacuvius in Chryſe:

Graecos nihil mediocriter redamtruare . .

Adi

Adi magnum Virum in Festum voce Andruare

Ennius suppletus

PREIMUS 22.) Sic supplet hoc carmen V.N. Iosephus Scaliger, sensu commodissimo. Primus Numa Pompilius, qui haec instituit & populo Romano praescripsit

LEIBAQUE IX

Ennius conjunctus

Hunc versum adhaerere firmissimo nexu superiori, doceor cum ex sententia, quam vinculum concinnam admodum concinnat; tum ex Varrone, qui utrique, nullo interjecto, quamvis illud ubique non necessario statuendum, singularem dat lucem. Festo mutilius hoc carmen citatur. *Tutulum vocari ajunt Flaminicarum capitis ornamentum*, inquit, *quod fiat vitta purpurea innexa crinibus, & exstructum in altitudinem. quidam pileum lanatum forma e tali figuratum, quo Flamines ac Pontifices utantur, eodem nomine vocari. Ennius:*

Libaque, Fictores, Argeos . . .

Ennius apud Festum auctior

Supplendus ex suo Mutilatore, Paulo Diacono, apud quem Ennius, capitis diminutionem hoc loco passus:

Fictores, Argeos, & Tutulatos

Festus emendatus

Illa autem Festi *forma e tali*, invenio in Romana editione *forma metali*: scribo, *formaque tali*; ut pileum Grammaticus designet non modo lanatum, sed forma etiam tali figuratum, quo Flamines & Pontifices utuntur. *Tutuli* autem nomẽ, ut & hoc indicem, hodieque, ab tam remoto aevo, ab tam longinqua regione, manet in plerisque Belgicae locis: quin & res fere ipsa, ut eam describit M. Terentius Varro lib. VI. de L.L. quum inquit in explicatione Tutuli: *ab eo, quod matres-familias crines convolutos ad verticem capitis, quos habent uti velatos, dicunt Tutulos.* Nam & nostrae Matres-familias Capillos, in duas quasi classes conlectos & fasciolis utrimque conligatos, Tuten solent appellare: quos deinde sibi invicem implectunt, ne per humeros, ut

Tutuli apud Belgas

in multis videmus moris esse provincijs, diffluant vel potius versus suras dependeant; & per sinciput in orbem circumductos extremis fasciolis connectunt

Fictores

FICTORES 25.) Fictorum, ut me monuit Vir magnus, fit mentio in duabus Inscriptionibus, quarum altera Romae servatur in Aedibus Colotianis, ad Aquam Virginem, tabula marmorea, deficiente principio:

. . . .

IMP. M. AVRELI. ANTONINI AVG
PII. FELICIS. PONTIFICIS. CONS
IMP. L. SEPTIMI. SEVERI AVG. PII. FELICIS
PONTIFICIS. ET. PARTHICI. MAXIMI. COS. III. NVRVI
FILIAE

. . . .

. . . .

PONTIFICIS. NOBILISSIMI. PR. NECESSARII
AVGG. ET. COMITIS. PER OMNES. EXPEDITIONES. EORVM
T. STATILIVS. CALOCAERVS. NOMENCL
CVM. STATILIO. DIONYSIO. TRIB. LEG. XVI. FLAVIAE
ET. STATILIO. MYRONE. DESIGNATORE. SCAENAR
FILIIS. ET. STATILIO. DIONYSIO. DISCIPVLO. FICTORVM
PONTIFICVM. C. C. V. V. NEPOTE SVO
AMPLA. BENEFICIA. DE. INDVLGENTIA
AVGVSTORVM. SVFFRAGIO. PATRIS. EIVS
CONSECVTVS

Altera vero ibidem, in via Sacra ad radices PalatI, e regione Fani, quod consecratum D.D. Cosmae & Damiano

FL. PVBLICIAE. V. V. MAX
SANCTISSIMAE. ET. PIISIMAE
AC SVPER. OMNES. RETRO
RELIGIOSISSIMAE. PVRISSIMAE
CASTISSIMAEQVE. Ǿ
CVIVS. RELIGIOSAM. CVRAM
SACRORVM. ET. MORVM. PRAEDI
CABILEM. DISCIPLINAM
NVMEN. QVOQVE. VESTAE. CONPROBAVIT
Q. VETVRIVS. MEMPHIVS. V. E

FICTOR

PICTOR. V. V. DIGNATIONIS. ERGA. SE HONORISQVE. CAVSSA. PLVRIMIS IN. SE. CONLATIS. BENEFICIIS

ME REGAT IX

Nonius Marcellus cap 11.§.534. *Fortunatim,* inquit. *prospere. Ennius Annalibus:*

Mi reliquae fidei, regno, vobisque Quirites,
Se fortunatim, feliciter, ac bene vortat.

In vetustissimo apud me Codice legitur:

Ea mihi reliquae fidei, regno, nobisque Quiritis
Se fortunatim foeliciter abinde vortat.

Repono, fortean violentius: *Antiqua Ennio scriptura reposita*

Me regat aiqua Fides; Regno, Vobisque, Quirites,
Res fortunatim, feliciter, ac bene vortat.

Emendationis ratio in historia

HISTOR. CONTINVAT

IOvi praeterea Elicio aram in Aventino dicat. Primus Templum sacrat Fidei, *(auctoribus Dionysio libro Roman. Antiq 11. & Plutarch. in Parallel. Videtur & hoc notatum ab Floro, qui, esse potest, ut ita scripserit, lib. 1. cap. 11:* Ille Ancilia atque Palladium, secreta quaedam ImperI pignora; Ianumque Geminum, indicem pacis & belli; Fidem in primis; Focum, Vestae Virginibus colendum, dedit.) & Solenne instituit (*scribente Livio lib. 1.*) adsignatis ei, quemadmodum DIs ceteris, ex aerario Victimis, quasi quae & Iusjurandū, propulso Legum ac Poe-

AB. V. C. XLIII

Florus de opinione emaculatus

Fides quando coli coepta Romanis

narum metu, civitatem regerent. (*quod idem Livius notat. Scribit tamen Pompeius Festus libro* XVI. *ex Agathocle, Fidem ante ipsum Romulum ab Aenea in Palatio consecratam. Apud Ennium videtur Numa Pompilius, consecrato Templo, Fidem precari, ut se regem regat & tueatur; utque Regno & Quiritibus omnia sinat esse bona, fausta, felicia, & fortunata. De qua formula alij*)

Vortat 28.) N.V. Ianus Duza, retenta lectione, quae in Vulgat. scribendum arbitratur hoc loco, *vortant*, commodiore sensu

Sei quid ix

Sex. Pompeius Festus lib. de verb. sig. xi: *Me pro mihi dicebant antiqui, ut Ennius quum ait libro secundo:*

Si quid me fuerit humanitus, ut teneatis

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. XLII

His omnibus ita constitutis adtribuit, quem legerat Pontificem, Numae Marcio M.F. Sacra omnia exscripta exsignataque; monens illum & ceteros Sacerdotes, si quid humanitus sibi contingeret, stricte omnia tenerent & servarent. (*quod vult Ennius. Persuadeor tamen facile Numam hoc versu, & qui sequebantur apud Ennium, praescribere, quid non solum suis rebus, sed & suo corpori, quum anima inde migrarit, velit fieri. Cavisse enim traditur, ne Cadaver igni consumeretur, uti moris erat: ideoque duabus arcis lapideis factis, in quarum altera Corpus, altera Libri*

Varia lux Ennio

bri Sacri, humo est conditus in Janiculo: ut hujusmodi verbis Testamentum suum quasi fuerit orsus Numa, sequutus Graecos, quos lego praefari solitos, quum ultimam voluntatem docerent haeredes, ΕΣΤΑΙ ΜΕΝ ΕΥ: ΕΑΝ ΔΕ ΤΙ ΣΥΜΒΑΙΝΕΙ; *quali initio concipiuntur nonnullorum, apud Diogenem Laertium, postrema Placita*) Sic, ut Romulus bello, pace civitatem auxit Numa, qui octogenarius *(Dionysio lib. 11.)* & morbo solutus, quum XLIII. annos regnasset *(Conveniunt omnes: praeter Paullum Diaconum, Eutropi interpolatorem, Eusebium & Cassiodorum, qui* XLI *produnt; sed recentiores hi, quam ut fide & auctoritate veteres vincant Historiographos. Ipse Eutropius ab Diacono intactus, morbo decessisse Numam quadragesimo tertio Imperi anno notat*) urbem tradit posteris, & belli & pacis artibus temperatam. XXCI

ME FUVIT 30.) *Fuvit* κατὰ συγκοπὴν pro *Fuverit*: alij legunt *Fuat*, mallem *Fuvat*. Atticis autem hoc proprium, qui solent Accusativum, ut cum Grammaticis loquar, usurpare loco Dativi, quoties significant alicui fieri vel bene vel male. Sic loquuti & alij apud Latinos. Lucilius libro XXVIII. Satyr. apud Nonium in *Committere*: *Quid me fiet, si quidem non vis te improbis committere.* In antiquissimo Exemplari, quod mihi a Patre: *Quid me fiet, si quidē non justa improbo committere.* Latet mihi elegantissima γνώμη. Lego: *Ennius emendatus* *Me pro mihi* *Lucilius correctus*

. . . . . quid me fiet? si quidem
Noli justa Improbo committere . . .

Idem

Idem apud Festum lib. XI:

Nunc ad te redeo, ut, quae res me impendet, agatur.

Plautus in Mostellaria, Sc. Ubi somnum sepelivi omnem:

Dispudet dari istam veniam. quid me fiet nunc jam

Plauto fortean melius

Exsulat ab veteri libro vox *dari*, quam etiam non agnoscunt superioris aevi interpretes Ioannes Petrus Valla, Vgoletus & Grapaldus. Sic Terentius in Phormione Act. I. Sc. II:

Da. O Geta

Quid te futurum est? G. nescio hercle, unum hoc scio,
Quod Fors feret, feremus aequo animo . . .

Apuleius lib. II. de Asino Aureo: *Quid, inquam, me fiet, ubi iste jugulatus mane apparuerit.* Quibus locis, qui ut claudicanti sensui *De* vocem advocant; nati illi vere corrumpendis auctoribus

QUIANAM IX

Fragmentum hoc acceptum debemus V. N. Iosepho Scaligero, exscriptum ex Schidis Servianis, magno reip. litterariae incommodo apud Petrum Danielem latentibus. De voce *Quianam* docebo ad librum VII. ubi Ennius:

. . quianam dicteis nostreis sententia flexa'st

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. XXCII

NVma mortuo, regnum, in honorem virtutis, ultro datum Tullo Hostilio, HostI F. HostI N. Hic III. Romanorum rex, Numae non solum dissimilis, sed Romulo etiam ferocior, residesque moturus in arma viros, (*Virgilius lib.* VI. *Aeneid.*)

Aeneid.) senescere civitatem otio ratus, undique belli materiem quaesitam facilis invenit. Forte praedas Albani, gravis & diu princeps populus, ex Romano; Romani ex agro Albano agebant. Velitatum diu altrinsecus, spe incerta, certa clade. Tandem clarigatum utrimque mittuntur Legati. Imperitabat Albae C. Cluilius. Romani res repetunt, astu TullI, priores; neganti Albano bellum ab Tullo, fiducia exercitae bene juventutis, in xxx. diem indicitur. Albanorum Legati, eorum, quae Albae acta, ignari, posteriores socordius id agunt. Tullus Deos testes facit, uter populus prius res repetentes Legatos adspernatus dimiserit, ut in eum omnes futuri belli clades exspuant. Sic dimissi Legati. Paratur & Romae & Albae summa ope bellum. Albani priores cum magno exercitu impetum faciūt in agrum Romanum. Mortuo in castris C. Cluilio subficitur Dictator Metius Fuffetius *(Sic enim scribendum ejus nomen. Nam Dionysius, accuratissimus scriptor,* φουφέτιον *vocat. Nonnulli minus recte Suffetium appellant. Male apud Plutarchum in Parall.* μέτιος φουϐέντιος *dicitur)* Interim Tullus infesto exercitu in agrum Albanum pergit. Ea res Metium ab Stativis excitat; & castris, quam proxime poterat, hostem versus motis; per Legatum Tullo nunciat, priusquam dimicetur, opus esse colloquio. Haud abnuit Tullus, suos nihi-

XXCV

Historiographi nonnulli notati

lominus in hoſtem educit; exeunt contra & Albani; cum paucis procerum in medium Duces procedunt. Ibi varie ſermocinantur de ImperI cupidine, principe belli cauſſa; de vicino & in utriuſque perniciem vigilante Hetruſco, qui finito praelio, feſſos confectoſque ſimul Victorem & Victum adgrederetur. Et cui bono, addit Fufetius, qui videbatur & animis & armis inferior, in cognata corpora tam inſignes utrimque vires vortimus?

quianam Legiones caedimu' ferro

utrimque, & crudeliſſima clade deletum properamus? quur in dubiũ ImperI ſervitIque aleam imus?

Quamde x

Feſtus libro de verb. ſignific. xv. Cujus, vocem *Quamde* explicantis, verba folio ccxvi. 6

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. *Eodem*

HOc potius agamus; mitigemus animos ferociores; comprimamus aeſtus iracundiae mutuiter ob cauſſam nihili conceptae, & hactenus, nimis quam decet, exercitae: controverſiam inter nos motam paucorum potius clade & ſanguine terminare nos oportet, quam indignis modis evertere omnes & tuas & meas Legiones (*ut hic canit Poeta*) & Populareis

Haic inter x

Feſtus libro xix. cum lacuna: *Tuditantes tundentes* . . . . *entes ſignificare ait Cinnius* . . . . *nius libro ſecundo:*

Haec

Haec inter se totum . ntes & Lucretius item libro II. Nec . . . . rem cessam extrinsecus ullum . . . . Supplendum & emendandum: *Tuditantes, tundentes. Tuditantes negocium, id est agentes* (Non video enim, quid aliud lateat) *significare ait Cincius de verbis Priscis. Ennius libro secundo:*

Festus suppletus & emendatus

. . Haec inter se tota vei tuditantes

& Lucretius item lib. II:

Nec tuditantia rem cessant extrinsecus ullam

Sequitur, non tamen apud Festum:

Corpora conficere . . . . .

Eadem voce utitur idem Lucretius lib. III:

Et quam intervallis tantis tuditantia poßint
Concursare, coire, & dissultare vicißim.

Vnde autem dirivetur, docet V. CL. Obertus Gifanius ad Lucretium

HISTOR. CONTINVAT.

DVm talia inter se tractant & attentius discutiunt (*quod* Tuditare *Ennio*) Fortuna obtulit, quo tota Lis componeretur, & bellum mitteretur in compendium

AB. V. C. Eodem

ADNUVIT X

Priscianus lib. IX: *Annuo,* inquit, *annui.* Ennius in II:

Annuit sese mecum decernere ferro,

Lego:

Adnuvit sese mecum decernere ferro:

Ennius leviter apud Priscianum correctus

ut multa ejus generis apud poetam nostrum, quod alias me monere mihi in mentem. Glossar. *Adnuit* ἐπινεύει

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. *Eodem*

ERant in duobus exercitibus Tergemini fratres HoratI & CuriatI, nec aetate nec viribus diſpares. His utriuſque populi fata committenda ducunt Rex & Dictator: cum his agunt, ut pro ſua quiſque patria ferro dimicarent; Imperium ibi fore, a quibus Victoria ſteterat (*Verba, quibus hoc perſuaſum fratribus, quibuſque uſi, dum haec moliebantur Tullus & Fufetius, exſtant apud Dionyſium libro II. unde lux petenda huic Enniano verſui*)

Et cecinit x

Propertius libro III. Elegia III; de EnnI ſcriptis:

Et cecinit Curios fratres; & Horatia pila;
Regiaque Aemilia vecta Trophaea rate;
Victriceſque moras Fabij; pugnamque ſiniſtram
Cannenſem; & verſos ad pia vota Deos;
Annibalemque Lares Romana ſede fugantes;
Anſeris & tutum voce fuiſſe Iovem.

Dubium quibus verbis ab Ennio ſcripta

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. *Eodem*

HOratI obtemperant Tullo; Fufetio CuriatI. Foedere icto, pugnae tempus ſtatuitur, & locus quaeritur

Ut datus x

Feſtus lib. XIII: *Occaſus interitus, vel Solis, quum decidit a ſuperis infra terras. Quo vocabulo Ennius pro Occaſione eſt uſus in libro ſecundo:*

Hic

Hic occasus datus est, at Horatius inclutus saltu

Principem virum emendantem sequor, qui putat Ennium scripsisse: *Ennio melius*

Ut datus est occasus, Horatius inclutu' saltu.

V. N. Ianus Duza scribens ad me reponẽdum arbitratur:

Hic datus est occasu: at Horatius inclutu' saltu

Consimiliter, inquit, *dare leto vel neci passim apud poetas obvium.* Eleganter, & utinam id pateretur Festus, qui *Occasum* EnnI interpretatur occasionem. Festus autem ex suo mutilatore supplendus: scripsit enim: *Occasus interitus, vel Solis mersio, quum decidit, &c* *Festus suppletus*

HISTOR. CONTINVAT

TErgeminis utrimque dato signo concurrentibus, duo Romanorum cadunt; tres Albani vulnerantur. Vnus Horatius, quamvis integer, viribus tamen impar, oblata occasione, (*ut datus est occasus, inquit Ennius*) inclutus (*ut idem docet*) saltu, rem Romanam restituit *AB.V.C. Eodem*

QUEI FERRO X

Sex. Pompeius Festus lib. XII: *Ningulus, nullus, ut Ennius libro secundo: Qui ferro minitere atque in te ningulus mederi queat.* Pro *minitere atque* lego *minitaris ut*, & pro *mederi* restituo *modo ire*, hoc modo: *Ennio apud Festum medicina*

Quei ferro minitaris, ut in te ningulu' modo
Ire queat . . . .

Si non vero, certe meliore paullo sensu. Paullus Diaconus Festi mutilator: *Ningulus, nullus. Marcius vates: Ne ningulus*

Paullus ad Festum emaculatus

lus mederi queat. In antiquissimo apud me libro *Nigulus* legitur. Suspectum mihi hic MarcI vatis nomen, cujus semel tantum meminit Festus in Negumate. Cedat igitur Paulli *Marcius* locum *Ennio*, qui apud Festum. Voces vero *ut in te* facile mutatae in *Vates*. Magnus Scaliger putat EnnI & MarcI testimonia apud Festum confusa

HISTOR. CONTINVAT

AB.V.C. Eodem

FVgam simulat & singulos per intervalla, ut vulnerum dolor patiebatur, insequentes, ferroque minitantes *(quo videtur Ennius pertinere)* adgressus interficit, duos dans fratrum manibus; tertium populo Romano, ut Albanis imperaret

Laitificum x

Ausonius in Grammaticomastige:

Ennius ut memorat replet te laetificum gau

Huc referendum videtur monere Glossarium, suo aevo maximi, Gulielmi FornerI: *Gau, Gaudium*, χάρμα. *Ennius in II*. De truncatis vocibus dicam ad incerta fragmenta

HISTOR. CONTINVAT

AB.V.C. Eodem

ROmani laetantes & gaudio elati summo Horatium victoria ovantem excipiunt

Et horatia x

Propertius lib. III. Eleg. III. quem paullo ante descripsi. Ipsa EnnI verba perierunt

HISTOR. CONTINVAT

AB.V.C. Eodem

IS Trophaea, quibus onustus & magno exercitu comitatus Romam redibat, figit. Locus Pila Horatia

ratia posteris appellatus (*Meminit P. Victor in* VIII. *urbis regione, Foro Romano:* Pila Horatia, *inquit*, ubi Trophaea locata. Pilam Horatiam *Dionysius* Halicar-*nass. interpretatur* γωνιαίαν στηλίδα)

FERRO SUCCEIDAM X.

Sex. Pompeius Festus lib. de verb. sig. XVIII: *Tolerare, patienter ferre. Attius in Neoptolemo:*

Haut quisquam potis est tolerare acritudinem.

Ennius libro secundo:

Ferro secedere, quam dictis his toleraret.

Romana, quam Farnesiana bibliotheca dedit, editio:

Ferro se caede, quam dictis his toleraret.

Legit Fulvius Vrsinus:

Ferro se caedi, quam dictis his toleraret. *Ennio varia medicina*

V. N. Iosephus Scaliger ad Festum:

Ferro caedere se, quam dictis his toleraret.

Idem, quum vidisset fragmenta EnnI a me edita, in suis ad me litteris, quibus judicium suum mihi de nonnullis locis aperiebat:

Ferro succeidi, quam dictis heis toleraret.

Magnus vir, Ianus Duza ad me:

Ferro secedere, quam dictis his toleraret;

& addebat: *Sic: Aquila rostro pectus seciderat.* Sunt qui volunt:

Ferro se caedet, quam dictis his toleraret.

Ego operae jussi excuderent:

Ferro

Ferro ſucceidam, quam, dicteis heis, tolerarem.

Secunda jam cura acceſſerit:

Ferro ſucceiſam, quam, victeis heis, tolerarei;

Scilicet *praeſtat*, vel quid tale. Emendationis vel prioris vel poſterioris, quae mage placet, ratio in hiſtoria lucet

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. *Eodem*

OBvia fratri ſoror, viſo paludamento Curiatiorum unius, cui jam deſponſa erat, in lacrumas erumpit, & ſolutis crinibus, veſtibuſque prae animi moerore laceratis, immenſae fratrem multis verbis *(quae Pathetica admodum apud Dionyſium Halic.)* accuſat crudelitatis. Degenerem ſtirpem indignatus egregius adoleſcens, & parum pudicas ratus lacrumas atque intempeſtivo amori datas; ſatius ducit, Sororem, velut hoſtiam ſuccidaneam, eodem gladio mactari, quam in laeta illam urbe & familia victrice, victis hoſtibus, tolerari. Stricto itaque gladio, verbis increpans puellam, oblitam fratrum caeſorum, oblitam patriae, tranſfigit, & cum immaturo amore ad ſponſum abire iubet

Accedit X

Feſtus lib. XVII: *Sum pro eum uſus eſt Ennius libro ſecundo:*

At ſeſe ſum quae dederat in luminis oras;

Ennius caſtigatus

Curavi, ſententia animo meo & hiſtoriae commoda:

Accedit, ſum qui dederat in luminis oras

HISTOR.

HISTOR. CONTINVAT

ATrox visum patribus & plebi HoratI facinus. Non liberavit recens meritum ab molestia. Rapitur in jus. Iudicant Duumviri Horatio perduellionem. Advocatus Lictor ligat manus, injicit laqueum. Provocat ille. De provocatione certatur ad populum. *Accedit*, & sese in mediam turbam infert Horatius, qui illum genuerat; (*Ennius*:

. . *sum qui dederat in luminis oras*)

proclamat ille, se filiam jure caesam judicare; ni ita esset, patrio jure animadversurum fuisse AB. V. C. *Eodem*

ET SIMOL X

Festus lib. XVII: *Speres antiqui pluraliter dicebant, ut Ennius libro II:*

Et semel effugit speres ita funditus nostras.

Repono; duabus litteris mutatis: *Ennius emendatus*

Et simol ecfugit speres ita funditu' nostras

HISTOR. CONTINVAT

ORat populum, ne se, quem paullo ante cum egregia stirpe conspexerat, plane orbum liberis faceret; familiae aeternitatem, quam praevidebat in copiosa prole, cum hujus filij supplicio simul effugere spem suam. Addit multa alia movendo populo. Absolvit tandem Horatium admiratio magis virtutis, quam jus caussae AB. V. C. *Eodem*

METIEO X

M. Fabius Quintilianus lib. I. Orator. Instit. cap. IX: *At in*

Ennius semigraecus

eadem vitij geminatione Metieo Fufetieo *dicens Ennius, poetico jure defenditur.* Ionas imitatus poeta sic loquitur. Illi enim Genitivos ab vocibus, quae in ας vel ης desinunt, non per ου, ut Communes & Attici; non per α, ut Dores; non per αο, ut Aeoles & Boeoti; non item per ω, ut Poetae; sed per εω enunciant. Corinthus de Ionibus: Τὰς εἰς ου ληγούσας Γενικὰς, τὰς ἀπὸ τῶν εἰς ας, ἢ εἰς ης εὐθειῶν γινομένας, διὰ τοῦ εω προφέρουσιν. Ἀπὸ μὲν τῶν εἰς ας, Ἡρόδοτος: Τρίτῳ δ' ἀπ' Ἀρχιέω γεγονότι: ἀντὶ τοῦ, ἀπ' Ἀρχίου. Ἀπὸ δὲ τῶν εἰς ης: Ἀτρείδεω δαΐφρονος. Dicis gratia: in Ας; Αἰνείας κοινῶς, καὶ Αἰνείης Ἰωνικῶς: τοῦ Αἰνείου κοινῶς, καὶ Ἀττικῶς; Αἰνεία, Δωρικῶς; Αἰνείαο, Αἰολικῶς, καὶ Βοιωτικῶς; Αἰνείεω, καὶ κατὰ συγκοπὴν Αἰνείω, Δωρικῶς; Αἰνείω, ποιητικῶς. In ης, ὁ Κρονίδης, κοινῶς; καὶ Κρονίδας, Δωρικῶς: τοῦ Κρονίδου, κοινῶς καὶ Ἀττικῶς; Κρονίδα, Δωρικῶς; Κρονίδαο, Αἰολικῶς καὶ Βοιωτικῶς; Κρονίδεω, Ἰωνικῶς; Κρονίδω, ποιητικῶς

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. LXXXVII

PAx Albana pauci temporis. Invidia flagrat Albanorum vulgus: exprobrat Metio Fortunam Publicam Tribus commissam. Is, rei corrigendae, Vejentes clam citat & Fidenates in Romanos. Metio Tullus suo jure auxilia imperat. Locatis trans Anienem castris, Tullus contra Vejentes aciem dirigit. Metium contra Fidenates collocat, nihil suspicans sinistri, vel proditionis. At vero facile

Neminis ingenio quemquam confidere oportet,

(ait Lucilius) Metius aciem subducit in collem, ut extra tela adspiceret, quo res inclinaret, eoque modo fortunam sequeretur belli. Digressis socijs, metu percelluntur Romani. Cognita Tullus perfidia, callidus & invitus periculosum commentus stratege-

ma,

ma, magna voce exclamat, Metium illud facere ſuo juſſu; eo fini, ut Fidenatium terga invaderet. Hac voce ut terreri hoſtes, ſic ferocius inſtare & acrius pugnare Romani. Fraus Proditorum eſt fruſtra. Fuſo Fidenatium cornu, Vejens in fugam vertitur. Alij armis foede abjectis, caeci in aquam ruunt; alij, dum in ripa cunctantur, inter fugae & pugnae conſilium miſere opprimuntur

TRACTATV' X

Citatur hoc ab Hieronymo Columna ex Grammatico ignoto & pleris inviſo, qui viſitur in Bibliotheca Carbonaria

HISTOR. CONTINVAT

Metius ſpectator certaminis, deducto in campos Albano exercitu, Tullo devictos hoſtes gratulatur; quamquam ſcelerata ars hominem arguebat, benigne tamen excipitur. Poſtera die ad concionem advocat rex utrumque exercitum; qua habita, accuſatum convictumque proditionis Metium, qui machinatus erat bellum, & foedus Romanum Albanumque ſceleratiſſime ruperat, quadrigis jubet religari, & pernicibus equis in diverſa per campos diſtrahi; AB. V. C. *Eodem*

VOLTURUS X

Priſcianus libro VI: *Vetuſtiſſimi tamen*, inquit, *etiam* Homo homonis *declinaverunt. Ennius:*

Vulturis in ſilvis miſerum mandebat homonem:
Heu quam crudeli condebat membra ſepulcro.

Priſcianus emendatur

Nam & Vultur & Vulturis & Vulturius dicitur. Arbitror verius: *Vetuſtiſſ. tamen etiam Hemo hemonis declin. Ennius:*

Vulturus in ſilvis miſerum mandebat hemonem:
Heu quam crudeli condebat membra ſepulcro.

Vulturus veteribus notus

Nam & Vultur & Vulturus & Vulturius dicitur. Vulturus enim vidi aliquando expreſſum in Mss. & antiquioris editionis libris: & ſane Veteres ita dixiſſe vero eſt ſimilius quam *Vulturis*; quamvis ſint, qui antiquum hunc nominativum velint, ut *Folminis*, *Apollinis*, & ſimiles. Servius ad VI. Aeneidos:

Nec non & Tytion terrae omnipotentis alumnum
Cernere erat, per tota novem cui jugera corpus
Porrigitur, roſtroque immanis vultur obunco
Immortale jecur tondens . . . . . .

Sane in uſu eſt Vultur, inquit, *licet Cicero Vulturus dixerit, & Plautus in Curculione:*

Jacit vulturios quatuor:

quod quidem poteſt eſſe dirivativum Ennius, (ut ego emendo)

Vulturus in ſilvis miſerum mandebat homonem

Soſipater Chariſius Inſtitut. Grammat. lib. I. *Vultur dixit Virgilius in* VI: *ſed Vulturius Lucilius in I.* In antiquo codice eſt *Vultor* & *Vultorius*. Idem ad ejuſdem libri calcem: *Vulturius. M. Aemilius Scaurus contra Q. Caepionem actione II: Nefarius Vulturius patriae paricida eſt. Cicero in Piſonem: Vulturius illius*

illius provinciae. Idem in eadem : Scaurus vulturius reipubl. Vultur Maro: Aeneidos VI:

. . *rostroque immanis vultur adunco*

ut Turtur. Vulturis Ennius:

Vulturis in silvis miserum mandebat homonem

Lego posteriora: *Vulturus. Ennius:*

Charisio medicina

Vulturus in silvis miserum mandebat hemonem.

Sic tribus Grammaticis in hac vocum triga convenit. Est etiam *Vulturius* apud Apuleium libro IV.VI.& X.Metamor. & emendante magno Lipsio apud Livium libro XXVII

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. *Eodem*

SEmivivum insepultumque abjici, & in silvis objici feris. *(inter quas Volturos nominat hic poeta)* Sic MetI dissipata visceratim membra, & duplicis animi noxā poena divisi corporis expendit Metius: silente & gemēte ad omnia milite Albano, qui hactenus fuerat ferocior. *(Recte Attius in Aegistho:*

. . . . *neque fera hominum pectora*
Fragescunt, donec vim persenserint imperI . .)

IN SILVIS 31.) Alia ServI exemplaria legunt:

Vulturus in campo miserum mandebat homonem.

Certe ita loquitur poeta paullo post:

Oscitat in campeis caput a cervice revolsum.

Alij item Charisij codices sequius multo:

Vulturus in spineto supinum mandebat homonem

Hemo *scribendum*

HEMONEM 31.) Hanc arbitror germanam hujus loci lectionem. Ad hoc enim EnnI respicit Paullus Diaconus ex Festi de verb. signif. lib.v: *Hemona*, inquit, absque mendae suspicione, *humana, & Hemonem hominem dicebant*. Sic Glossarium FornerI: *Emo* ἄνθρωπος, deficiente, qui antiquior scribendi ritus, adspiratione. In margine adscriptum erat ab imperita & recentiore manu, ἀγοράζω. Alij apud Ennium legunt, contra Prisciani mentem, *Hominem* non *homonem*, & versum hunc Miurum clamant, quales multi veterum

CRUDELI 32.) Multo crudeliore, quam *Terra gravi*. Nam & illud erat acerbum. *Gravem Terram* precabantur olim quibus male volebant: ut *levem Terram, placide quiescerent, molliter cubarent*, quibus bene

AT TUBA X

Servius ad illud Virgilij lib.IX. Aeneidos,

At tuba terribilem sonitum procul aere canoro
Increpuit . . . .

Hemistichium, inquit, *EnnI. Nam sequentia ista mutavit. Ille enim ad exprimendum tubae sonitum, ait:*

At tuba terribili sonitu Taratantara dixit

Et multa hujusmodi Virgilius, quum aspera inveniret, mutat: bene tamen electis verbis hic imitatur sonitum Tubarum. Est idem hic EnnI versus apud Priscianum in fine lib.VIII: *Praeterea,* sunt Grãmatici verba, *in Nominationibus, id est,* ὀνοματοποιΐαις, *sive Nominum, sive verborum novis Conformationibus, nõ omnes declinationis motus sunt quaerendi: ut* Tinniat. *Persius:*

Ne qua subaerato mendosum tinniat auro.

Tara-

Taratantara. Ennius:

At tuba terribili sonitu Taratantara dixit.

Neuter indicat, unde petitum. Vt ad historiam excisae Albae referam, praeit Servius ad II. Aeneidos, ubi Virgilius:

Exoritur clamorque virum, clangorque tubarum.

Graecum est, inquit, *Nam* κλαγγὴ *dicitur. Illud sane intelligendum est, quia morem tetigit expugnationis. Plerumque enim ad tubam evertuntur Civitates, sicut Albam Tullus Hostilius jussit everti*

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. Eodem

EOdem momento Tullus Albam, quamvis Vrbis parentem, aemulam tamen ImperI, diruendam ad Tubae sonitum mandat

TARATANTARA 35.) Vox Tubae, exstimulando ad conserendas cum hoste manus militi non apta modo, sed & grata. Mihi sane ταρακτικὴ & terribilis, qui bellum, nisi quod pium, quodque tarde & nulla licentia susceptum, avorsor

QUOMQUE X

Exstat apud, paucis tritum, StatI interpretem. Nam ubi poeta libro XI. Thebaidos:

. . . . *carmen tuba sola peregit,*

adscribit ille, furto indicando: *Ennius:*

Furtum StatI detectum

Dumque caput caderet, sonitum tuba sola peregit;
Et, pereunte viro, rauco sonus aere cucurrit.

Talem enim medicinam adhibet, quem principem adgnoscunt

gnoſcunt adfectiorum Auctorum medici. Videtur proxime praeſcriptis adhaeſiſſe. Nam

CONTINVAT

Deſcribit poeta, me latet fere, quid adverſae fortunae, quam paſſus Tubicen. Cui videtur, dum canebat, caput, neſcio quo modo, abſciſſum, & tamen, cadente capite, tubam ſolum & abſque hominis miniſterio, vocem, coeptam jam ab homine, peregiſſe &, pereunte viro, ſonum nihilominus rauco aere ex tuba in aera cucurriſſe

Oscitat XI

Non uno loco locupletatum prodit EnnI noſtri Annales Calpurnius Piſo in libris de Continentia Veterum Poetarum. Nam priores hic verſus laudantur ab Servio; tertium duobus addit Calpurnius. Virgilius Aeneid. lib. x:

Semianimeſque micant digiti, ferrumque retractant:

EnnI eſt, inquit interpres, *ut:*

Oſcitat in campis caput a cervice revulſum;
Semianimeſque micant oculi lucemque requirunt.

Servius obiter correctus Calpurnius caſtigatus

quem verſum item (ſic forte legendum pro *Ita*) *tranſtulit ad ſuum carmen Varro Atacinus.* Meus autem ille: *Morti proximum, quum* (emendo *quin*) *mortuum, vivis coloribus depingit Ennius, libro ſecundo Annalium, ubi ſic ſcribit:*

Oſcitat in campis caput a cervice repulſum;
Semianimeſque micant oculi lucemque requirunt
Nequiquam; reliquae carni nihil eſt animai.

Duplex, eaque proba, in Calpurnio ſcriptura

Haereo, utrum *repolſum*, an vero *revolſum* rei, qua de agitur, conve-

convenientius. Injuriam autem, credo, faceret Ennio, qui hos versus a praecedentibus revulsos, conaretur alijs collocare

CONTINVAT

Canit fortean, licentia quadam, quae poetis adnata, Ennius; quamvis moris esset evertere civitates ad Tubam; tamen DIs quasi ritum hunc in exscindenda Alba displicuisse, quum ea urbs esset metropolis Romae, mater quasi & genetrix eorum, a quibus solo erat aequanda; ideoque merito Tubicinem, qui signum dabat exstirpaturis, servatae odiosius consuetudinis poenas DIs solvisse; caput, quum a cervice esset revolsum, in campis oscitasse; micantibus, qui semianimes erant, oculis, lucemque frustra requirentibus; reliquo cadaveri nihil fuisse animae vel vitae

Ennio lux

OSCITAT 4.) Oscitare proprie os saepe ciere, & subinde aperiendo commovere, ut videre est in quod morti, quidquid sit, proximum. Glossar. Benedicti II: χασμῶμαι; *Oscitor, Hieto.* χάσμησις; *Ostentudo*; repone, *Oscitudo*, pro quo nunc dicimus *Oscitatio:* Glossar. FornerI: χασμᾶ; *Oscitat*, ad hoc EnnI, cujus Glossographus ille fuit studiosissimus, forte pertinet

Glossarium emendatum

AT DOMVS XI

Virgilius II. Aeneidos:

At domus interea gemitu miseroque tumultu
Miscetur, penitusque cavae plangoribus aedes
Foemineis ululant, ferit aurea sidera clamor:

Servius inlustratus

Addit Servius: *De Albano excidio translatus est locus.* Intellegit mihi Grammaticus, nonnulla ibi Virgilij, & plura forte, quam poetae ausus ego adscribere, transscripta ex Ennio, qui Albam jussu Tulli HostilI radicitus eversam cecinit, libro II

HISTOR. CONTINVAT

AB.V.C. *Eodem*

A Templis Deorum, & sacris Albae locis temperatum. Reliqua & publica & privata complentur

. . . *magno gemitu miseroque tumultu.*

Populus Albanus cum opibus urbis transfertur Romam; ita consanguinea non periisse, sed in suum quasi corpus redijsse visa. Civitas datur plebi, & Caelius ad habitandum adsignatus. Primores in Patres leguntur. *(inter quos nobiles fuerunt familiae; Julia, Servilia, Quinctia, Gegania, Curiatia, Cloelia, Quinctilia, & Atilia)* Sic crevit Roma Albae ruinis. Hac fiducia Tullus Sabinis bellum indicit. Vtrimque erant minae factae, & res nequiquam repetitae. Bellum ab utrisque summa ope paratum: pugna atrox ad silvam Malicusam fuit; devicti Sabini. Tullius, quum regnasset, magna belli gloria, annos XXXII. *(constantissime omnes)* fulminis ictu, cum regia, uxore, liberis & tota familia *(quemadmodum scribit apud Plinium libro II. L. Piso in Annalibus)* conflagrasse dicitur. *(Alij Anci MarcI insidijs exstinctum scribunt)*

CAIROLA XI

Sex. Pompeius Festus lib. de verb. signif. XVII: *Rigido . . . . . . Ennius locatus videtur . . . . . n est enim amanis no . . . . re usus est. & lib. II . . . . . Caerula prata:* & quae sequuntur. Supplent docti viri, & emendant: Rigido *tum caerula suro, quum ait* Ennius jocatus videtur *super etymo verbi Caeruli.* est enim a matris *nomine. eodem verbo de eadem* re usus est & lib. II: *Fert se per laeta campi* caerula prata. Integrior enim videtur EnnI versus scriptus apud Macrobium:

Festus suppletus & correctus

Fert sese campi per caerula laetaque prata;

quem tamen mallem alius esse loci. N.V. Iosephus Scaliger putat, quae hic tractantur ab Festo, non pertinere ad censum litterae R. & aliena esse illo loco. *Nam,* inquit, *quid Caerula prata, quid Parus insula,* (de qua ibidem) *quid denique Surus habent cognatum aut simile inter se?* Quocumque modo hic apud Ennium versus fuerit, certe denotatur levis aliqua in mari navigatio: ut facile videam, quo pertineant; non qui suppleam, quive medear morbosis & vitio adfectis. Nam *caerula prata,* nihil aliud hic, quam mare interius. Seu enim quod Europam vel ab Asia vel ab Africa dividit, seu quod has omnes orbis partes circuit, *Caerulum* antiquioribus poetis κατ' ἐξοχὴν vocatur. Varro Marcipore:

Caerulum *antiquis poetis.* *Varro restitutus*

Propontis unda quam liquante caerolo
Aqua natante nempe perfundat, cape.

Sic suae integritati & numeris restituit, qui nihil non potest, ad Catalecta: ubi non ignobilis vates *Insulam Caeruli* nominat Britanniam. Hinc saepe *Caerula freta, maria, pontus,* apud poetas: Hinc Neptuno *caeruleos oculos* adfingit Cicero libro I. de nat. Deor. Hinc *Caerula mater* Thetis,

Insula Caeruli *quid* *Caerulei oculi Neptuno.* *Caerula mater.*

quae Achillem peperit, apud Ovidium libro XIII. Metamorph. De Pratis, Campis, ſimilibus; quod μεταφορικῶς maria, dixerunt alij

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. CXIV MOrtuo Tullo Ancus Marcius Numae F. M. N. IV. Romanorum rex, ſuccedit. Eo vix regnum orſo, Latini, rupto foedere, incurſionem faciunt in agrum Romanum. CXVII Rex, proditis, quae poſteri in omni bello ſervarent, caerimonijs, per Feciales res repetit: ſuperbe reſpondentibus bellum indictum. Politorium, urbs Latinorum, vi capitur; & paullo poſt Latinis, qui recuperarant, iterum erepta diruitur, multitudine omni Romam traducta. Ceteris ad Medulliam & Ficulneam acie victis, Ancus, ingenti praeda potitus, Romam redit. Hinc bellum gerit cum Fidenatibus, Sabinis, Vejentibus, Volſcis, & iterum cum Sabinis. Ad publica opera converſus, Ianiculum ponte Sublicio urbi conjungit. Carcerem media urbe aedificat. Silva Maeſia Vejentibus ademta, & ad uſum navium publicata; CXXVII imperium profert ad mare. Ibi, adſcenſa nave, & caerula prata aliquantũ invectus, littora Italiae, & praecipue Romani agri, luſtrat ad portum exſtruendum:

OSTIA XI

Sex. Pompeius Feſtus lib. XV. de verb. ſignif. *Quaeſo*, inquit, *ut ſignificat idem quod rogo; ita Quaeſere ponitur ab Antiquis pro Quaerere, ut eſt apud Ennium, libro ſecundo:*

Oſtia

Oſtia munita eſt, idem loca navibus pulcris
Munda facit, nautiſque mari quaeſentibus vitam.

In veteri codice vitioſe & librariorum culpa *mundo*. Manifeſtum, quo de agatur

HISTOR. CONTINVAT

IAm tum animo praeſagiens futurum, ut totius mundi opes & commeatus, exſtructo a ſe portu, veluti maritimo urbis hoſpitio, maximo Romanorum foenore, reciperentur. Oſtiam urbem condit,

AB. V. C. *Eodem*

IDEM 13.) Perierunt haec etiam, magnam partem, apud Paullum Diaconum ad Feſti librum XI. de verb. ſig. *Mundus*, ait, *appellatur Coelum, Terra, Mare & Aer. Mundus etiam dicitur ornatus muliebris. quia non alius eſt, quam quod moveri poteſt. Mundus quoque appellatur lautus & purus. Ateius: Cum virginali mundo clam pater . . . Ennius: idem loco navibus celſis, munda facie atque etiam aere* Corrupta haec nimium quantum ſic lego, emendando, diſtinguendo, tranſponendo: *Mundus appellatur Coelum, Terra, Mare & Aer, quia non alius eſt, quam quod moveri poteſt. Mundus etiam dicitur ornatus muliebris. Attius:*

Paullo Diacono antiqua ſcripturae reddita

Cum virginali mundo clam patre . . .

Mundus quoque appellatur lautus & purus. Ennius:

. . . idem loca navibu' celſeis
Munda facit, nauteiſque mari . . .

Ennius apud Paullum emendatus

Fugerunt haec magnos Cenſores. Obſecro te Livor, veritati advorſus ne fuas

POLCREIS 13.) Duplex hujus loci lectio. Nam lib. XI.

 apud

apud Diaconum *celſeis*; libro vero xv. apud Feſtum *polcreis* expreſſum

Vitam quaerere

QUAI SENTIBU' VITAM 14.) *Vitam quaerere* hoc loco, quod Graecis ζητεῖν τὸν βίον; quodque alijs, *victum comparare*. Βίος πολύσημον vocabulum, quod inter alia τροφὴ, σιτίον, τὰ ἄλφιτα. Vnus Diogenis LaertI locus, huic Enniano maxime conveniens, ſufficiat: Ἐβόα, ait de non imi ſubſellij Philoſopho, πολλάκις λέγων, τὸν τῶν ἀνθρώπων βίον ῥᾴδιον ὑπὸ τῶν θεῶν δεδόσθαι; ἀποκεκρύφθαι δ' αὐτὸν ζητούντων μελίπηκτα, καὶ μύρα, καὶ παραπλήσια. Quem ſic convertero, πολύσημον πολυσήμῳ reddens: *Vociferabatur ſaepe facilem hominibus vitam a DIs datam eſſe, ſed latere quaerentes liba melle confecta, unguenta & ſimilia*. Adludebat Philoſophus ad illud Heſiodi:

Βίος

Κρύψαντες γὰρ ἔχουσι θεοὶ βίον ἀνθρώποισι·
Ῥηϊδίως γὰρ κὲν καὶ ἤματι ἐργάσαιο:
Ὥστε σε κ' εἰς ἐνιαυτὸν ἔχειν καὶ ἀεργὸν ἐόντα.

Vt autem Βίος apud Graecos τροφὴ; ſic apud Latinos *Vita* Alimentum & Victus. Virgilius, citatus a Donato ad TerentI Scenam 1. Act. 1:

quum femina primum,
Cui tolerare colo vitam tenuique Minerva,
Impoſitum cinerem & ſopitos ſuſcitat ignes.

Vita

Nec ſemel apud Terentium: ad cujus Phormionem interpres: *Vita autem*, inquit, *& mores ſignificat, & animam, & alimentum, & ſpacium vivendi*. Quemadmodum autem Vita, Victus; ſic Victus, Vita. M. Tullius de finibus bonor. & malor. lib. v: *Perſequutus Ariſtoteles omnium animantium ortus, victus, figuras*, notante Nonio. Galli hoc elegantiſſime *Cercher ſa vie*

EUROPAM XI

M. Tullius lib. 1. Tuſculanarum Diſput. *Etenim ſi nunc aliquid*

quid adsequi se putant, qui ostium Ponti viderunt, & eas angustias, per quas penetravit ea, quae est nominata

Argo, quia Argivi in ea delecti viri
Vecti petebant pellem inauratam arietis:

aut ij, qui Oceani freta illa viderunt,

Europam Libyamque rapax ubi dividit unda.

Et III. de natura Deorum: *Quid Chalcidico Euripo in motu identidem reciprocando putas fieri posse constantius? quid freto Siciliensi? quid Oceani fervore illis in locis,*

Europam Libyamque rapax ubi dividit unda?

Alio tractu fragmentum

Ennio licenter hoc adscribo, licentius autem huic loco. Commodius potuisset intelligi de Hannibale aliove, trajiciente fretum Herculeum ex Africa in Hispaniam, & vellem tali loco adscriptum, penitius singula intuitus. Nam fretum id designat Cicero περιφραστικῶς: Alijs *Gaditanum* dicitur; nonnullis *limen interni maris* vocari scribit Plinius lib. II. cap. I. Strabo libro III. τὸν κατὰ στήλας πορθμὸν nominat, κατ' ὃν ἡ ἐντὸς θάλαττα συνάπτει τῇ ἐκτός. Hispanis hodie est, *Estrecho de Gibraltar*, vel *de Maroco*. Aethiopibus est *Gibreltharif* & *Zukak*. Nostrati nautae nuncupatur *Strate*, ab Latina voce, quod stricti ingressus & oris angusti

Fretum Herculeum

HISTOR. CONTINVAT

AD mare mediterraneum, cujus rapax unda dividit Europam Libyamque

AB. V. C. Eodem

ET TIBERIS XI

Macrobius lib. VI. cap. IV. ad hoc Virgili:

Mane salutantum totis vomit aedibus undam

Pulcre,

Pulcre, inquit, *vomit undam*, *& antique. Nam ait Ennius:*

. . . . & Tiberis flumen vomit in mare salsum

Vnde & nunc Vomitoria in spectaculis dicimus, unde homines glomeratim ingredientes in sedilia se fundunt

HISTOR. CONTINVAT

AB.V.C. *Eodem*

LOco commodissimo, ubi Tiberis sese exonerat, & flumen vomit in mare salsum. Salinas fecit, earumque vectigal instituit: novis moenibus urbem circumdedit: primus sellam Curulem, Lictores, Togam pictam invenit. His rebus belli domique egregie gestis, immatura morte populo suo est ereptus, quum regnasset annos XXIV. (*Eusebius, Eutropius, & Cassiodorus* XXIII. *edunt*) nõ potis praestare, qualem promiserat, regem. (*Excusis jam his hoc loco versibus, in mentem veniebat historia transvectae Romam ex Phrygia per Tiberim Matris Deûm, quae eosdem flagitabat, atque adeo monebat, expressa olim haec EnnI ab Ovidio lib.* IV. *Fastor. in depingenda ejusdem transvectionis historia. Mater Deum*, inquit

CXXXVII

Alius fragmenti intellectus

Ovidius Ennium imitatus

Ostia contigerat, qua se Tiberinus in altum
Dividit, & campo liberiore natat

PAVLLI

PAVLLI G. F. P. N. MERVLAE COMMENTARIA IN

Q. ENNI

POETAE ANTIQVISSIMI FRAGMENTA ANNALIVM LIBRI III

Hic denseis XI

PRobus ad VI. VirgilI Eclogam, citatis aliquot ejus verſibus: *Nam pro aere,* inquit, *venti hic extrinſecus accipiuntur, ad quod argumentum colligimus EnnI exemplum de anilibus tertio:*

Sic denſis aquila pennis obnixa volabat
Vento, quem perhibent grajum genus aera lingua.

Probo haud probe. Nemo non videt emendandum : *colligimus EnnI exemplum de Annalibus tertio.* TertI libri ortus in ortu quinti regum *Probo probius*

HISTOR. CONTINVAT

ANco Marcio regnante, Lucumo Tarquinius, tranſmarinae originis, vir impiger & divitijs potens, ſpe magni honoris, Romam commigrarat. Ad Ianiculum quum ventum eſſet, hic denſis aquila pennis pileum illi in carpento cum conjuge ſedenti abſtulerat; &, quum obnixa vento alte ſubvolaſſet, deſcendens rurſum leviter capiti ejus impoſuerat. Laeta id augurium acceperat Tanaquil, peri- AB. V. C. (CXXI)

ta coeleſtium prodigiorum mulier; virum magna & excelſa ſperare juſſerat

Ennius obiter emendatus

Vulgata Enni lectio defenſa

Hic 26.) Ita ſcripſi, ne qua hic videatur eſſe aliena hoc loco ſimilitudo. In vulgatis *Sic* erat: quod tamen non plane diſplicet, alîus notionis; ut ſit ſenſus, *Sic*, geſtans roſtro pileum Lucumonis, *denſeis aquila penneis obnixa volabat vento.* V.N. Ioſephus Scaliger *At* legit. Quid ſi *Sis* pro ſuis

Aquila 26.) An hoc carmen lectum Mario Victorino? Nam in explicatione Metri Trochaici ſic ſcribit: *Tetrametri Trochaici quatuor traduntur genera, haec: Archilochium, Tragicum, Comicum, Satyricum. Volunt enim Archilochium eſſe, qui ex omnibus Trochaeis conſtat. Tragicum autem, quod plures Spondaeos habet, & ſit elatius. Comicum vero, quod ſolutiones habeat complures.* & paullo poſt: *Satyricum quoque, quum plurimas habeat, ut ſuperius, ſolutiones; frequenter tamen Tribrachyn pedem, ut eſt:*

Qualis Aquila cita celeribus rapida pinnis tranſvolat

Ennio medicina

Perhibet 27.) In vulgatis *perhibent.* In alijs codicibus:

quem perhibent Grajum cui aeria lingua.

Scaliger reponit:

Grajugenum perhibet quemve Aethera lingua.

Idem in ſuis ad me litteris:

Vento, quem perhibet Grajumgenus;

uno, addit, *ductu; ut quinquegenus, & ſimilia*

Postquam XI

Feſtus libro de verbor. ſignif. XVII: *Sos pro eos antiqui dicebant.* Et paullo poſt: *Interdum pro ſuos ponebant, ut quum per Dativum caſum idem Ennius effert:*

Poſtquam lumina ſis oculis bonus Ancus reliquit

HISTOR.

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. (CXXIII)

CVm hoc felici augurio urbem ingressum cum novitas, tum divitiae conspicuum fecerant. Partim pecunia, partim contra Latinos industria dignitatem illi & regis familiaritatem conciliarant; adeo ut ab Anco Tutor relinqueretur duobus filijs. Hi prope puberem erant aetatem, quum vita defungeretur pater. Ideoque

Postquam lumina sis oculis bonus Ancu' reliquit:

Lucretius Ennium exprimit

LUMINA 30.) Iisdem fere verbis hoc EnnI expressit Lucretius παροιμιαζόμενος:

Lumina sis oculis etiam bonus Ancu' reliquit.

Lucretius correctus.

Sis oculis enim ibi ex Ennio legendum, pro *Sic solis*, quae in vulg

SIS OCULIS 30.) Hunc & similia loca intelligit Cornutus in Satyram PersI primam: *Sis pro suis*, inquit, *apud antiquos ponebatur, & Sos pro suos, Sas pro suas, detracta V littera. Lumina sis oculis relinquere*, idem, quod apud Aemilium Probum in vita Timoleontis: *Lumina oculorum amittere*, ut notat ibi V.CL. Dionysius Lambinus

Boni appellatio

BONUS ANCUS 30.) Apud Veteres Romanos non modo *DI boni, Deae bonae, bonae preces, bona verba*, & similia; sed etiam *boni viri, bonae feminae:* appellatione, quam Vulgus opinatur, secretiore. Hoc loco *Bonus Ancus*, ut & paullo ante apud Lucretium; quos imitatus Catullus in Carmine Saeculari ad Dianam:

Catullus Ennium & Lucretium imitatus

Sis, quocumque placet tibi,
Sancta nomine, Romulique
Ancique, ut solita es, boni
Sospites ope gentem.

Catullus castigatus

Sic enim legendum potius existimo, quam *Iona*. Addo solere Regibus *Boni* epitheton adtribui, quo monerentur, quid maxime ab ijs exspectandũ esset Subditis. Homerus:

Αμφότερον βασιλεὺς ἀγαθὸς, κρατερός τ' ἀιχμητής:

Capis optimus

Bonus pastor

Quo versu, quod in eo duo, quae maxime in viris principibus elucere oportet, imprimis delectatum scribit Alexandrum Magnum Plutarchus in Moralibus. Sic *Capis* Ennio *Optumus*, III. 15. Ab ea mẽte Tiberius Imperat. apud Suetonium, *Boni pastoris esse*, inquit, *Tondere pecus, non Deglubere*. Alia, quae hujus loci, praetereo

RELIQUIT 30.) *Lumina linquere* dixit Naevius in Lycurgo;

Ubi bipedes volucres lino linquant lumina:

& Cicero de suo Consulatu lib. II. de Divinat:

Luce serenanti vitai lumina liquit.

Virgilius IIII. Aeneidos; *Lucem relinquere*

TARQUINIO XI

Festus lib. XVII: *Solum, terram. Ennius libro tertio:*

Tarquinio dedit imperium, simul & sola regni.

Criticorum error

Male hunc versum quidam adscribunt Naevio

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. (CXXXVII)

TArquinius instat, ut quamprimum Comitia regi creando fierent. Sub tempus Comitiorum

rum pueros venatum ablegat. Ille primus ambitiose petit regnum, & orationem habet ad conciliandos plebis animos compositam. Populus docta oratione motus,

Tarquinio dedit Imperium simul & sola regni,

eumque ingenti consensu regnare jubet CXXXVIII

INDE SIBI XI

Agellius lib. I. Noct. Attic. cap. XXII: *Invenimus*, inquit, *in tertio EnnI Annalium, in hoc versu:*

Inde sibi memorat unum superesse laborem;

id est, reliquum esse, restare. & quae sequuntur

HISTOR. CONTINVAT

Tarquinius regno potitus ante omnia Patres AB.V.C.
legit in Senatum, eosque Minorum Gentium adpellat. Bellum primum cum Latinis gerit, & opidum Apiolas vi capit. Circum exstruit, & loca ibi dividit Senatorio Equestrique ordinibus. Ludos CXLIV
Romanos, qui & Magni, instituit. Quum muro lapideo urbem circumdare pararet, coeptis intervenit bellum Sabinum, tam subito exortum, ut prius transirent Anienem hostes, quam obviam ire & prohibere exercitus Romanus posset. Quum semel dubio Marte esset pugnatum, recolligendi se utrimque nonnihil temporis datum. Tarquinius Equitem CLX
maxime suis viribus deesse quum animadvertisset, Centurias Equitum tres, quas Romulus scripserat,

duplicare ſtatuit, ijſque nova imponere nomina. Negat id fieri poſſe Attius Navius, inclutus ea tempeſtate Augur. Rex ira motus, artem eludens, in experimentum, memorat, *(quod videtur Ennius narrare)* magnum negocium ſibi ſupereſſe agendum; divinaret fierine poſſet, quod mente conceperat. Futurum quum dixiſſet Augur. ille, Hoc animo agitabam, inquit, te novacula cotem diſciſſurum; caperet igitur, & perageret, quod Aves fieri poſſe portenderant. Hic Augurem abſque mora diſcidiſſe cotem ferunt. Augurio motus Rex tres prioribus a ſe additas Equitum Centurias antiquis nominibus appellat, Secundos Ramnes, Tities, Luceres

MEMORAT 34.) ἀντὶ τοῦ *Memoravit*, κατὰ συγκοπὴν

PROLETARIUS XII

Agellius lib. xvi. cap. x: *Legebatur*, inquit, *in conſeſſu forte complurium EnnI liber ex Annalibus tertius. In eo libro verſus hi fuere:*

Proletarius publicitus ſcutiſque ferroque
Ornatur, ferro muros, urbemque forumque
Excubijs curant . . . . .

Ennius correctus

Lego:

feroque
Ornatur ferro, moeros urbemque, &c.

Inſignis παρονομασία, *Ferum ferrum*, quae etiam apud Lucretium, ſi bene memini, libro de rerum natura III. Apud eumdem libro II. ſunt *feratela*. Emendandus, Agellio praeeunte,

eunte, Nonius cap. II: §. 666. *Proletarij*, inquit, *cives dicebantur, qui in plebe tenuissima erant, & non amplius quam mille & quingentos aeris in censum deferebant. Ennius Annal:* *Nonius castigatus*

Proletarij, ut publicitus scutaque ferrique
Ornatus . . . . . .

Repone:

Proletariu' poblicitus scuteisque feroque
Ornatur . . . . . .

HISTOR. CONTINVAT

SEd non solum copias suas militares ab Equite auget, verum etiam ab Pedite. Nam quum Roma ad Sabinum hostem summopere trepidaret, regis jussu, excubijs rite dispositis, etiam Proletario civi (qui, utpote pauper, nihil alioqui reip. exhibebat, sed tantum prolem subficiebat,) arma dantur ex publico. *(Falsum est igitur, quod nonnulli scribant, Proletarios multo post Regum tempora armatos fuisse contra hostes pop. Ro. Sunt enim, qui existimant factum illud paullo ante bellum Tarentinum, quodque gestum cum Pyrrho Epirotarum rege. Colligunt illud ex Augustino de Civit. Dei libri* III. *cap.* XVII: Tum vero, *inquit*, tam multa bella ubique crebruerunt, ut inopia militum Proletarij illi, qui, eo quod proli gignendae vacabant, ob egestatem militare non valentes, hoc nomen acceperant, militiae conscriberentur. Accitus etiam a Tarentinis Pyrrhus rex Graeciae, &c. *Alij arbitrantur* *AB. V. C. Eodem*

Caßius Hemina apud Nonium restitutus varie

bitrantur id accidisse bello Jugurthino, inducti ab L. Casſio Hemina, lib. II. Annalium, cujus verba apud Nonium corruptiora; Tunc Marcus praeco primum Proletarios armavit; *sic restituunt:* Tunc Marius primus Consul primum Proletarios armavit. *Quod ad Augustini locum, non ille scribit eo tempore primum armatos fuisse Proletarios, sed simpliciter propter inopiam militum militiae fuisse conscriptos, quum proculdubio jam ante militassent. Et velit etiam Augustinus tunc primum arma Proletarijs data, intellegendum sane armatos fuisse, ut tali jam nomine insignitos, quum tamen ea plebis pars, quae postea proletaria habita, aliquoties militaßet. Quod ad CaßI Heminae Verba, capienda illa arbitror, praeeunte Augustino, de quodam ante bellum Tarentinum Proconsule, cui sive praenomen vel* M. *vel* M'; *sive nomen* Marcius: *& ausim, ut quid dicam, legere:* Tunc Manius Proc. primum Proletarios armavit, *& intelligere de anno ab* V.C. CCCCLXX. *quo nonnulla gesta contra Gallos ab Coss. P. Cornelio Dolabella & Cn. Domitio Coss. ab Proc. vero M' Curio Dentato, qui praecedente anno fuerat Consul, subfectus L. Caecilio Dentri, in proelio contra Gallos non procul ab Vrbe occiso. Quia vero hi Galli acerrimi & funestissimi eßent ImperI Romani hostes, facile caußam dederunt armandi Proletarios tam difficili & periculoso reip. statu. Memores enim erant Romani, quanti superioribus annis sibi*

Inlustratus idem

sibi constiterant Gallorum in Italiam irruptiones, quanti bella cum ijs gesta, quāti denique ab ijs occupata Vrbs, & quae varijs temporibus occupatam urbem varie sequuta, M' igitur proconsul, meo judicio, Proletarios, scribente Cassio Hemina, armavit primum, quod nimirum tenuissima fere pars plebis tali, illo tempore, appellatione ab reliquo populo, auctore quomdam Ser. Tullio, distincta, tunc primū, utpote in maximo tumultu, armata; quum tamen ante Ser. Tullium sub Tarquinio Prisco militasset, nondum Proletaria vocata. Vel primum, ut intellegantur Proletarij armati, anteaquam quid aliud ab M' Curio ageretur; ut scilicet, dum reliqua ad bellum necessaria parabantur, Proletarij, quamtum per temporis penuriam liceret, armis adsuescerent, eaque tractare discerent. Vix est, ut Marius primus Cos. corruptiori apud Nonium praenomini & praeconi substituatur. Primum non illud patitur rerum gestarum apud Cassium series, nisi quis velit scriptorem illum a principe narratione nonnumquam in sua vel alia tempora digressum, quod facile & credo & colligo ex, quae restant, fragmētis. Deinde vix potuit Cassius, qui, teste Cassiodoro, vixit circa annum ab V. C. IↃC. novisse C. Marium, audisse & scripsisse res ab eo gestas, quae inciderunt praecipue in annos ab V.C. IↃ CL. & sequentes. Et notarit etiam C. Marium; praestitit quidem ille in conscribendo milite novi aliquid, sed clamant magnae fidei historiographi &

Caßij Heminae tempora

scriptores, non Proletarios ab Mario, sed Capitecēsos fuisse armatos: unde & ipsum Marium Capitecensum nominatum, sunt qui scribunt. Jam vero certum est non eosdem fuisse Romae Proletarios & Capitecensos. Erant quidem, auctore Tullio, in unam & imam conjecti classem, majoris tamen honoris erant & re & nomine Proletarij, quam Capitecensi. Illi mille & quingentos asses in censum deferebant, plus minus, & subficiendae tantum proli vacabant. Hi vero tenuiores erant, & in censu habebant trecentos septuaginta quinque asses, qui quū propter tenuissimas fortunas non viderentur censi, capite suo censebantur. Haec duo civium genera immunia fecit ab militia Ser. Tullius, quod imparia essent ferendis militiae sumtibus. Nam antiquis temporibus miles de suo se alere erat solitus. Stipendium institutum paullo ante Vrbem ab Gallis captam, Pediti quidem anno ab V.C.CCCXLVII: *Equiti vero anno* CCCL. *quo primum hibernacula ad Vejos, obsidionis cōtinuandae, fieri coepta. Quae a me dicta, confirmandis legendi Livius lib.* I. *Dionysius lib.* IV. *Agellius lib.* XVI. *cap.* X. *Valerius Maximus, Quintilianus in Milite Mariano, Augustinus de Civitate Dei, lib.* III. *cap.* XVII. *Festus lib.* XIIII. *Nonius in Proletarij cap.* I. *§.342. & cap.* II. *§.666. Ne autem hoc quem turbet, Proletariorum Ennium facere mentionem in describendo Tarquinio Prisco, quum nati primum illi sub Ser. Tullio: dicendum Ennium Proletarios*

Ennio lux

nomina-

nominare, non quod ita Tarquinij tempore fuerint dicti, ſed quod pars illa plebis, quam militiae etiam adſcripſit rex, poſteris Proletaria fuerit habita: quemadmodum ſaepe loquuntur auctores, & ego ſubinde innuere memini)

ORNATUR 3.) Sic etiam loquitur Lucretius lib. II. de rer. natura:

Quod ſupereſt, animo quoque nil prodeſſe putandũ:
Si non forte tuas legiones per loca campi
Fervere quum videas, claſſem lateque vagari
Ornatamque armis belli ſimulacra cientem

POSTQUAM XII

Citat haec Macrobius lib. VI. Saturn. cap. I. praemittens illa Virgili:

. . . . . . concurrunt undique telis
Indomiti agricolae . . . . . .

HISTOR. CONTINVAT

SIc majore & Peditum & Equitum numero inſtructus rex, iterum cum Sabinis confligit; Tela ſparguntur; armis undique concurritur. Vincuntur Sabini & vi & dolo *AB. V. C. Eodem*

SUNT STANT ET SPARGERE SESE HASTEIS 6.) Morboſa mihi haec, nec ad manum medicina

ANSATEIS 7.) Anſatus homo apud Plautum, qui, brachijs Anſarum inſtar diductis, ſuperbus incedit *Anſatus*

DEQUE TOTONDIT XII

Exſtat hoc fragmentum apud Calpurnium Piſonē lib.II. quo loco agit de Vocum Sectione, quae Graecis τμῆσις. Locum integrum, quod nimiſquam elegans, adſcribam, & obiter emendabo; explicabo, quum Claſſes Poetarum edam. *Sectio,* inquit, *duplex, Simplicium & Compoſitarum. Priorem rariſſime vel numquam mutare* (lego *imitari*) *decet. Dandum aliquid eſt Antiquis; non, quidquid illis, hoc nobis licet. Scripſit Ennius, licentia quaedam toleranda, lib.* VI:

Calpurnius correctus

. . . . telo
Tranſſigit corpus, ſaxo cere comminuit brum

Iterum

Intoleranda licentia imitatur Sempronius Grajus: (ſcribo *Gracchus*; forte is eſt, cujus meminit Ovidius lib.IIII. de Ponto, Elegia XVI.)

Praeſate

Sempronius Gracchus emendatus

(reponendum:

Praefracte) *oblatam ſtultum eſt medi ſpernere cinam.*

Dixit Pomponius:

Lamen color tatrici mutat; lacrumis
Se ſalſis lavitat euita tundit dextra
Pectus ſatiſt ab blanda fallax.

Pomponius caſtigatus

(Germanam lectionem horum verſuum exiſtumo:

Lamen color tatrici mutat; lacrumeis
Se falſeis lavitat; emta tundit dextera
Pectus; ſati' ſt; ab blanda, fallax . . .

Pergit Calpurnius) *Et fero: non fero Iulium Proculum in Elegijs:*

Claſſa ſago feri nant . . . .

(Monſtra

(Monſtra verborum. Corrigo: *Iulio Proculo melius*

Claußa ſagi fera nant

Saginant fera clauſſi) *Sectionum, quas compoſita patiuntur, nulla datur regula. Potius dicam cum Varrone libro III. de Vita populi Romani: Plebiſque ſcito cautũ, ne qui legaret cauſſave mortis donaret, ſopra aßis mille; quam cum Ennio lib. III:*

Deque totondit agros laetos atque oppida cepit.

Et quae multa ibi apud inſignem Auctorem alia ſequuntur. Dignus certe is, qui luce donetur. Ex his facile eſt judicare, non bene eſſe Priſciano lib. IX. apud quem idem hoc fragmentum. *Vetuſtißimi tamen,* inquit, *etiam, detotondi, protulerunt. Ennius in Annalibus:*

Et detotondit agros laetos, atque oppida cepit.

Legendum: *Priſciano medicina*

Deque totondit agros, &c.

HISTOR. CONTINVAT

TArquinius inſtandum perterritis ratus, captivis Romam cum praeda miſſis, exercitum inducit in agrum Sabinum, vaſtans omnia; laetos, pingues & fertiles agros detondens; opida denique multa capiens Sabinorum *AB. V. C. Eodem*

CIRCUM SOS. XII

Feſtus lib. XVII. de verbor. ſignificat: *Sos pro eos antiqui dicebant; ut Ennius libro primo:*

Conſtitit inde locei propter ſos dia Dearum.

& libro tertio:

Circum ſos quae ſunt magnae gentes opulentae

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. *Eodem*

Sabini iterum tumultuario milite Romanis egressi obviam, iterumque fusi, perditis rebus, pacē petunt. Collatia & quidquid circa agri, ademtum Sabinis. Iis debellatis, contra Priscos Latinos, &, quae circum eos, alias gentes opulentas sumta arma: numquam & nusquam de summa rei certatum: circumductis ad singula opida Legionibus, omne tandem Latinum nomen domitum; capta Corniculum, Ficulnea vetus, Cameria, Crustumerium, Ameriola, Medullia, Nomentum

Postumque XII

Virgilius libro VI. Aeneidos:

. . . corpusque lavant frigentis & ungunt;
Fit gemitus, tum membra toro defleta reponunt:

ubi Servius: *Versus EnnI, qui ait:*

TarquinI corpus bona femina lavit & unxit.

Interpres, quocumque nomine sit appellandus, in Hecyram TerentI Act. I. Sc. II. *Vxor dicitur,* inquit, *vel ab ungendis postibus & figenda lana, id est: quod, quum puellae nuberent, maritorum postes ungebant: cujus rei testis Ennius:*

Exin Tarquinium bona femina lavit & unxit.

Ennius auctior

Caput his membris adfixi ex Glossis FornerI, ubi: *Tyrannus,* βασιλεὺς. *Ennius Annalibus:*

. . . . . tostumque tyranni
TarquinI corpus . . . . .

emendo

emendo *postumque*. Ex Glossographo & Servio manifestum, quam foede labatur ille TerentI inlustrator (illi sint etiam sui sequaces) qui EnnI versum trahit ad Nuptiarum ritum, quum pertineat ad cerimonias in funere Tarquinij servatas. Nam

Glossae Fernerij corr. *Lapsus interpretis Terentiani*

HISTOR. CONTINVAT

TArquinius, facta pace, pacis opera magno animo inchoat. urbem muro lapideo cingit, & (*ut Caeciliano in Synephoebis proverbio utar*) serit arbores, alteri saeculo quae prosint. Aream Iovi Capitolino diffinit; opus diffinitum lentet. Tandem regi, quum imperaret jam annũ XXXVIII. insidiae struuntur ab Anci MarcI liberis, qui indignissime ferebant se regno, tutoris fraude, privatos; regnare Romae advenam, non modo non vicinae, sed ne Italicae quidem stirpis. Delecti ad facinus duo robustissimi ex Pastoribus juvenes. Hi, simulata tumultuosissime rixa, regem appellant, adeunt, obtruncant, securi in caput impacta; relictoque in vulnere telo, ambo se foras ejiciunt. Caesi corpus statim colligitur, lavatur, ungitur

AB. V. C.

CLXXV

POSTUMQUE 13.) *Positus* idem quod *Situs*; hoc tamen illo est notius. *Siti*, inquit Cicero lib. II. de Legibus, *dicuntur ij, qui conditi sunt; nec tamen eorum ante sepulcrum est, quam justa facta, & corpus incensum est*, &c. quibus verbis praemissum EnnI Hemistichium de Africano:

Situs

Hic est ille situs:

cui

cui adnectenda, quae apud Senecam libro XIX. epist. CIX.

cui nemo civi', neque hostis,
Quivit pro factis reddere operaeprecium.
Si fas endo plagas coelestum scandere quoiquam est,
Mi soli coeli maxuma porta patet.

Siticines Hinc *Siticines* apud Agellium appellat Capito in Conjectaneis, qui apud *Sitos*, id est vita functós & sepultos canere soliti. *Positus* Iam quod *Positus* idem, testantur Virgilius, qui apud TerentI interpretem ad Act. I. Sc. IV:

Corpus ubi exanimum positum Pallantis Acestes
Lavit . . . .

Virgilio melius Legerat apud Virgilium Interpres:

Corpus ubi exanimum positi Pallantis Acestes, &c.

Lucanus libro belli Pharsal. nono:

Non illuc auro positi, nec thure sepulti
Perveniunt . . . . . .

Inscriptio, quam cum alijs a me transmissam adcumulavit Smetianorum lapidum Auctario V. CL. Iustus Lipsius, fol. XLV.

D. M. S
VETVRIAE. C. F. BELLAE
HEV. POSITAE. GNATAE. TRISTES. POSVERE. PARENTES
C. VETVRIVS. Q. F. C. N. OVF
IVLIANA. Ↄ. F. SCAPT
LIBB. MER

Ponere vocis duplex notio Vbi duplex uno versu hujus vocis notio. Hinc *Positum corpus* sepultum, in L. Libertis, 18. §. cibaria. fin. D. de alimēt. & cibar. legat. Eadem voce usus erat, credo, Attius in Alcmaeone apud Nonium Marcellum, cap. II. §. 487: *Laetitudinem,*

dinem, inquit, *pro laetitia. Attius Alcmaeone: Vt me repositum immerentem repentino nuncio alacrem reddidisti, ac me excitasti ex luctu in laetitudinem.* Corrigendum censeo: *Attius apud Nonium emaculatus*

Ut ferme positum, ac moerentem repentino nuncio alacrem
Me reddidisti, ac me excitasti ex luctu in laetitudinē.

Nisi quis malit:

Ut me depositum, &c.

Depositi enim apud Nonium Desperati, quod credo, inter eos, qui desperati ab Medicis, quique Positi jam, & sepulti, vix quid discriminis. Lucilius Satyr. lib. III: *Depositi*

Symmachu' praeterea jam tum depostu' bubulcus,
Exhalans animam pulmonibus aeger agebat.

Conjungo versum, qui apud eumdem cap. XI. §. 49: *Lucilii versus collecti*

Non, ut opinor, is a leto jam longiter errat. Lucretius Lib. III

Ea enim certi juris emendatio ab magno mihi Iusto Lipsio. Excusi libri insaniter: *& correcti*

Non, ut opinor is a lecto jam longiter rati.

Addam ex Nonio Attium & Caecilium. Is enim, a me nonnihil emaculatus, Tereo: *Attius castigatus*

Tereus indomito more, atque animo barbaro,
Conspexit in eam, amore vecors flammeo, &
Depostus, facinus pessumum ex dementia
Confingit . . . .

& Alphesiboea, me medicinam ex veteri libro tentante: *Iterum*

. . . . & si est in malis
Depostus animus meu', quae scribo, ex me audiet.

Caecilius Oboloſtate, quae eadem cum Foeneratore:

Depoſitus modo ſum anima, vita ſepultus ſum.

In antiquo codice ſcriptum video:

Depoſitis modo ſum animae, vita ſepultus ſum.

Caecilius emendatus

Quid ſi, concinna admodum ſententia?

Depoſitis modo ſunt animae; vita ſepultus ſum;

& inluſtratus

quaſi diceret: ijs, qui depoſiti & deſperati jam a medicis, etiamnum ſunt animae, & vitae nonnihil ſupereſt: ego vero vita ſum ſepultus, & vivo mortuus inter vivos

BONA FEMINA 14.) Dixi paullo ante ad verſum 11. Annalium,

Poſtquam lumina ſis ocolis bonus Ancu' reliquit,

Boni Epitheton

feminas etiam *Bonas* dici, remotiore ab vulgi notitie vocabulo. *Bona Femina* hoc loco in Funere; *Bonae Feminae & Bona Virgo*, ut & *Bona Venus, Bonus Amor, Bona ales, omen Bonum* apud Catullum in Nuptijs

Ablutio defuncti

LAVIT ET UNXIT 14.) Mos, qui in Funeribus ſervari ſolitus. Defuncti enim Corpus Propinqui & Adfines calida aqua abluebant & ungebant. *Ablutio* eſt apud Virgil. IV. Aeneid.

. . . . *date vulnera lymphis;*

Abluam . . . . . .

Vnctio

ubi Servius, *Lavare*, inquit, *Cadavera Proximis concedebatur:* qui & eius cauſſam notat ex Plinio. *Vnctionis* meminerunt, praeter alios, Plinius lib. v. Epiſt. Marcellino: *Quod in Veſtes, Margaritas, Gemmas fuerat irrogaturus, hoc in Tura, Vnguenta & Odores impenderetur.* Ovidius IV. Faſtorum:

Oſcula-

Osculaque adplicuit posito suprema feretro;
Atque ait: Invito frater ademte Vale.
Arsurosque artus unxit . . . .

Macer libro I. ad Legem vicesimam Haereditatum: *Funeris sumtus accipitur, quidquid corporis caussa, veluti Vnguentorum, erogatum est.* l. 37. D. de relig. & sumtib. funer. Hinc in XII. Tabulis: SERVILIS. VNCTVRA. CIRCOMPOTATIOQVE QUOM. FONUS. EXSEQUIANTOR. VINEIVE. RESPERSIO. NEI. FUAT. &c. apud M. Tullium II. de Legibus. Ubi *Servilis unctura,* ut quidam putant, nihil aliud, quam Pollinctorum familia. *Pollinctores* enim ij, qui cadavera polluta ungebant & curabant, in quos saepe incidunt, qui Auctores Latinos legunt. Alij volunt, legem vetare *Vnctionem* in Servorum corporibus. Ad *Vncturam* docte & acute, suo more, adludit Martialis:

XII. Tabulis medicina & lux

Pollinctores

Martialis inlustratus

Unguentum, fateor, bonum dedisti
Convivis here; sed nihil scidisti:
Res salsa est, bene olere & esurire;
Qui non coenat, & ungitur, Fabulle,
Hic vero mihi mortuus videtur.

Alibi:

Iterum

Vnguentum haeredi numquam, nec Vina relinquas:
Ille habeat Nummos; haec tibi tota dato.

ubi eruditus poeta in voce *Vina* respicit ad Cōvivia, quae, peractis ad sepulcrum Iustis, adparabantur Amicis & Cognatis; item ad Coenam Funebrem, quae Senibus dabatur, *Silicernium* dicta. Et *Ablutionem* & *Vncturam* nominant hoc loco Ennius, & sequutus Ennium Virgilius libro Aeneid. VI:

Idem explicatus

Corpusque lavant frigentis & ungunt

Olim XII

Laevum

Nonius Marcellus cap. 1. §. 253: *Laevum significari Veteres putant, quasi a levando. Virgilium quoque sub hac ostensione posuisse voluerunt, Georg. lib IIII:*

si quem
Numina laeva sinunt, auditque vocatus Apollo.

Ennius Annalium lib. III.

Olim de coilo laivum dedit inclutu' signum

HISTOR. CONTINVAT.

AB.V.C. *Eodem*

INterim Tanaquil, tumultu orto, clausa regia & Arbitris ejectis, Servium advocat; ostenso marito, orat, ne inultum sineret tantum scelus. Inculcat datum de coelo signum, flammam dormientis capiti circumfusam olim bona omnia & fausta addixisse: erigeret igitur se, Deos duces sequeretur, monet; coelestem flammam ne parvi haberet, expergisceretur, & regni promissi gubernacula adriperet. (*quae omnia apud Livium eleganter*) Tumultuanti populo persuadet deinde, res regi satis salvas, haud periculose vulneratū ad se redijsse, jubere interim, dum sanatur, Ser. TullI dicto audiens esset. Egressus ille cum regijs insignibus, regia sede sedens, alia decernit, de alijs regem se consulturum simulat. Sic tandem praesidio firmo munitus, primus injussu Populi (cujus postea consensus accessit) patrum voluntate regnat, tanta industria, ut regnum dolo

dolo partum adeptus jure videretur: Anci liberi exsulatum eunt

SIGNUM 18.) *Prodigium visu eventuque mirabile* vocat Livius. Caput enim arsisse ferunt multorum in conspectu

PRODINUNT XII

Festus lib.XIV: *Prodinunt, prodeunt, ut Ennius Annalium libro tertio:*

Prodinunt famuli, tum candida lumina lucent.

Sic alibi: *Redinunt, redeunt*

HISTOR. CONTINVAT

Firmato ab Servio, astu & industria Tanaquilis, AB. V. C.
regno, Tarquinius nunciatur mortuus: ablutus CLXXV
igitur, ut dixi, unctus, toga itē indutus, & in aedium Vestibulo ad Ianuam conlocatus, adparatis omnibus, & indicto per Praeconem funere, post ultimam conclamationem, ollus ex aedibus ecfertur ab Viris principibus. Prodinunt famuli, fide insigniores, lacrumarum pleni & herilem interitum miserantes. Sequuntur defunctum Propinqui, Adfines, omnesque alij, qui ad regium funus evocati confluxerant; pullati omnes: caeteraque, quae ad exsequias pertinebant, ordine peraguntur

HAC NOCTV XII

Macrobius lib.1.Sat. cap.IV: *Animadvertendum est*, ait de Ennio, *non solum quod noctu concubia, sed etiam quod qua*

noctu dixerit. Et hoc poſuit in Annalium ſeptimo, in quorum tertio clarius quidem idem dixit:

Hac noctu filo pendebit Hetruria tota.

Vide plenius ad fol.xx.9

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. CCLXXIX Quarto poſt anno bellum Servio ortum ab Etruſcis, qui declinarāt a foedere, quod cum Tarquinio icerant. Initium defectionis fuit a Vejentibus; hos ſequuntur Caeretani & Tarquinienſes: armatur poſtremo univerſa Hetruria.
CCXCVI Poſt multa praelia, dimicatur tandem ultimo certamine, quo, tota Etruria periclitante, & pendente (*ut innuit Ennius*) filo, victoriam Servius reportat, tribus decoratus triumphis: daturque pax, ſalvis TarquinI conditionibus. Iis, qui primi defecerant, ceteroſque ad bellum commoverant, pars agri adimitur.
CCXCVII Cenſum deinde Servius inſtituit, civitatem in Claſſes dividit, & primum luſtrum condit. Amplificata urbe, Pomoerium profert.
CCXIIX Regnanti XLIV. annum manus violentas infert Tarquinius, cui cognomen poſtea a moribus; Socero gener, qui regnum rapere maluit, quam exſpectare. Exſtimularat ad foedum & ferox facinus animum juvenis ferocem ferox Tullia; quae nec hic ſiſtit. Cor impietate fervet caecum, amentia rapitur ferturque, ſcelus

ſceleri

ſceleri addit. Trucidato patre, prima in forum properans, maritum regẽ ſalutat; juſſa e turba domum diſcedere, patri in via jacenti Mulio conſternatus carpentum ut ſuperinduceret, praecipit

FILO 20.) ἀπὸ λεπτοῦ μίτου dixit Syneſius in Epiſtolis; ἀπὸ σχοινίων Plutarchus in Apophth. Laconicis; ἐκ τριχός, *de pilo* alij: quae omnia dicuntur de re, cui maximum imminet periculum. Imitatus videtur Viro N. Iano Duzae, hunc EnnI locum Valerius Maximus, lib. VI. cap. IV. de Graviter dictis aut factis verſ. I. *Civitate noſtra*, inquit, *Cannenſi clade perculſa, quum admodum tenui filo ſuſpenſa reip. ſalus ex ſociorum fide penderet* *Valerius Maximus Ennium expreßit*

INSOMNIA XII

Servius ad illa Didonis, IV. Aeneidos:

Anna ſoror, quae me ſuſpenſam inſomnia terrent.

Inſomnia, inquit, *licet Pacuvius & Ennius frequenter dixerint, Plinius tamen excluſit, & de uſu removit*

HISTOR. CONTINVAT

TArquinius, quum ſceptra vi & ſcelere rapuiſſet, nec juſſu Populi, nec auctoribus Patribus regnans, omnia tyrannus agit. Corpus armatis circumſepit; Senatorum numerum & auctoritatem debilitat; ſuorum metu peregrinas amicitias & neceſſitudines ambit; Latinos maxime ſibi conciliat. Primus bellum, quod in CC. annos tractũ, Volſcis, propter crebras in agrum Romanum excurſiones, movet. Gabios, arte minime Romana, fraude inquã, & do- AB. V. C. CCXIX CCXXIV

& dolo, usus foede opera Sex. filij, in potestatem suam redigit. Suessam Pometiam, quod Legatis res raptas repetẽtibus superbe responsum, vi expugnat. Cum Tuscis foedus, quod cum Tullo Hostilio percusserant, renovat.
CCXLIV Templum Iovi in Capitolio exstruit. Ardeam obsidione & munitionibus prementem, quum quieti corpus dedisset & sopore placaret artus languidos, terrent Insomnia. Expergitus advocat Conjectores; exponit quid viderat;

Visum est in somneis

inquit (*utar L. AttI in Bruto verbis, quibus apud M. Tullium. 1. de Divin. TarquinI somnium describit*)

pastorem ad me adpellere,
Duos consanguineos Arietes inde elegi,
Pecus lanigerum eximia polcritudine:
Praiclarioremque alterum involare me.
Deinde ejus germanum cornibu' connItier;
In me arietare: eoque ictu me ad casum dari;
Exin prostratum terra, graviter saucium,
ResupInum in coelo contuerI maxumum
Ac mIrificum facinus, dextrorsum orbem flammeum
Radiatum solis lIquier cursu novo

Haut temere XII

Debemus haec EnnI, ut multa ejusdem, aliorumque Veterum Auctorum alia, Servio Petri Danielis: unde exscripta communicavit mihi prolixa admodum V. N. Iosephi Scaligeri humanitas

HISTOR.

HISTOR. CONTINVAT

EOrum rogati interpretationem Conjectores, quae regi regiaeque familiae eventura brevi, exponunt: (*verbis, quae Trochaicis Tetrametris Catalecticis apud Attium concepta*)

Rex quai in vIta usurpant homines, coogitant, coirant, vident, *AttI versus castigatiores*
Quaique agunt vigilantes, agitantque; ea si quoi in somno adcidunt,
Minu' mIrum est: sed in re tanta haut temere vIsa obferunt.
Proin vide, ne, quem tu esse hebetem deputes aique ac pecus,
Js sapientia moenitum pectus egregium gerat,
Teque regno expellat. Nam id, quod de sole ostentum est tibi,
Poplo commutationem rerum portendit fore.
Perpropinqua haic bene verruncent poplo. Nam quod ad dexteram
Cepit cursum ab laiva signum praipotens; polcerrume
Auguritum est, rem Romanam poblicam summā fore

DEDUCUNT XII

Nonius cap. 11. §. 364. *Gracilitudo*, inquit, *& gracilens pro gracilis, gracilentum pro gracili, & gracilium pro gracilitas. Attius Amphitruone:*

Tamē ista tua gracilitudo propemodū & luctus facit,
Ne dubitem . . . .

Ennius lib.VII:

Deducunt habiles gladios filo gracilento

Ennius apud Nonium ingen esse correctus

Nonius emendatus

Lubens hic accedo emẽdationi CL.V. Iusti LipsI, qui libro v. Antiquar. cap.x. legit *radios* pro *gladios*, & refert hũc versum ad Lucretiae historiam. Reponenda autem apud Nonium TernarI nota, expuncta SeptenarI

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. *Eodem*

Continuatur interim ad Ardeam obsidium. Quumque satis liberi cõmeatus essent, incidit forte inter regios juvenes de uxoribus mẽtio. Suam quisque laudat miris modis. Collatinus negat verbis opus esse, paucis id horis sciri posse, quamtum ceteris sua praestaret Lucretia. Certamine accensi & vino calidi, citatis equis Romam convolant: inde pergunt Collatiam. Invenitur Lucretia, sera nocte, inter lucubrantes ancillas, lanae dedita, & (*ut canit Ennius*) habiles radios filo gracili deducens. Penes illam laus manet muliebris certaminis. Virum illa & regios juvenes benigne excipit. Ibi Sex. Tarquinium mala stuprandae per vim Lucretiae libido capit

INTEREA XII

Citat ex libro III. Annalium V.CL. Obertus Gifanius in Notarum Appẽdice ad Lucretium: meos oculos hoc fragmentum, quum huic enitendo feliciter foetui darem operam, & varios eidem concinnando volverem auctores, effugit. Puto tamen priorem esse partem ejus, quod ex MacrobI lib. VI. cap. IV. scriptum a me lib. XVI. Annalium

HISTOR.

HISTOR. CONTINVAT

AB certamine Iuvenes in caſtra redeunt. Paucis interjectis diebus, Sex. Tarquinius, inſcio Collatino, cum comite uno Collatiam redit. Paratur rurſus illi benignum hoſpitium. Poſt coenam, occidente ſolo, cubitum deducitur. Amore ardens & animo audax, noctu, quum videret omnia tuta, ſtricto gladio proripit ſe ad Lucretiam. Fatetur ibi amorem, orat, miſcet precibus minas, obſtinatam reperit, addit ad metum dedecus, cum mortua jugulatum ſervum nudum ſe poſiturum ait, ut in ſordido adulterio necata eſſe diceretur. Hoc terrore vincit obſtinatam Pudicitiam Victrix Libido. Patrato ſcelere, in caſtra redit ferox Tarquinius AB. V. C. Eodem

COILVM XII

Macrobius libro VI. cap. I. adſimilans huic Enniano Virgili illud:

Axem humero torquet ſtellis ardentibus aptum

HISTOR. CONTINVAT

NEc inultum diu ſcelus. Lucretia, AB. V. C. Eodem

Amore mortis terminum quaerens mali,

advocatis Marito, Patre, Amicis; guttatim lacrumãs, injuriam multis querelis aperit caſtiſſimo corpori factam (*nefariam Sex. Tarquini in ſe audaciam orditur apud L. Attium Lucretia, tali verſu:* Attio lux

Nocte intempeſta noſtram devenit domum;

Varroni medicina

citat Varro lib. v. *de LL. ubi recte legendum* Attius *pro* Cassius *monet Sol Galliarũ*) coelum testatur nocturni in se admissi sceleris conscium: ultionem sui suis mandans, & tanti facinoris vindictam ab singulis stipulata, suis manibus perit

DIRIU' SUPPICIUM XII

Glossae FornerI: παλαμναῖον *Dirum, quod Deorum iram habet conjunctam. Ennius in tertio:*

Dirius supplicium sceleris violentia poßit

Gloßis melius

Lego, *Poscit*, poscente sententia

HISTOR. CONTINVAT

AB.V.C. Eodem

EXanimatur ad funestam familiae suae Tragoediam Tarquinius coniux; consternatur animo Lucretius pater; in stuporem abeunt Iunius & Valerius amici. Revocati ad se, quid faciundum, conciliatis consilijs, decernunt. Orationem habet Brutus non brutam, neque ejus pectoris, quod ad illam usque diem fuerat simulatum. Ea motus populus regi, xxv. regni anno, imperium abrogat, & exsulem esse cum tota familia jubet, quamvis dirius exsilio supplicium sceleris violentia posceret. Sic nemo, qui malus, diu foelix

PAVLLI

PAVLLI G. F. P. N. MERVLAE COMMENTARIA IN

Q. ENNI

POETAE ANTIQVISSIMI FRAGMENTA ANNALIVM

LIBRI IIII

REGES ODISSE XIII

M. Tullius lib. VI. ad Atticum, epist. III. *Tibi autem valde solet in ore esse, Gravius autem, non contemnere se & Reges odisse superbos.* V. CL. Faernus corrigit: *Tibi autem valde solet in ore esse gnavius autem non contemnere se & reges odisse superbos.* Aldus Manutius *Gravius* substituit. Doctissimus Simeo Bosius, qui nuper indigna morte perijt, legit: *Gravius autem*, &c. Magnus ille Fulvius Vrsinus, in suis ad Ciceronem notis, notat in margine cujusdam libri a doctissimo quodam viro cum Manuscripto collati, ita eum locum emendatum: *Tibi autem valde solet in ore esse Ennianum illud, Gravitatem non contemnere, sed reges odisse superbos.* EnnI certe fragmentum latet: scripsit forte Tullius: *Tibi autem valde solet in ore esse Ennianũ illud, gravitatis non contemnendae;* M. Tullius varie correctus

. . . *Reges odisse Superbos*

HISTOR. CONTINVAT

VRbe pulso, cum regia stirpe, Tarquinio, Imperium placet ex Perpetuo Annuum, ex Singulari Duplex; ne Potestas Solitudine vel Mora corrumperetur. Consules primi fiunt L. Iunius M. F. Brutus & L. Tarquinius. //. F.. Aruntis N. Tarquinius

 (haec

Attius inlustratus *(haec in Catastrophe suae Bruti narrabat Attius apud Varronem lib.* IV. *de L.L.*

. . . . . . qui recte consulat,
Consul fuat . . . .)

AB. V. C. *Eodem* Hic, quod Tarquiniorum nomen invisum esset, sive persuasus, sive coactus ab conlega, consulatu abdicat, in cujus locum fit P. Valesius, Volusi F. qui postea Poplicola. Tarquinius per terras vagus, extorris regno, *(ut Attio utar in Eurysace)* incensus cum dolore, tum odio, nobilissimos juvenes sollicitat. Dant illi; liberi etiam, non solum damnante, sed & spectante patre; poenas. Etruscos, quum frustra suae essent apud Romanos technae, ad bellum invitat. Concurritur acerrime. Aruns Tarquinius & L. Brutus, duo quasi Martes congressi, mutuis vulneribus cadunt. Victor Romanus. Valerius Cos. triumphans Romam redit. TarquinI ad Lartem Porsenam, Clu-
CCXLVI sinum regem, fugiunt. Is cum infesto exercitu Romam venit, armata & violenta manu pulsos reducturus. Quum alia muris, alia Tiberi viderentur esse tuta, pons Sublicius iter pene dat hostibus. Eminet in prima periculi procella virtus HoratI Coclitis. Trepidantes, Ianiculo capto, & incubante ipsis urbis faucibus hoste, Romanos reprehensat; fugientibus obsistit, monet, pontem interrumperent. Ipse in primum ejus aditum vadit. Circumlato ad hostes

stes

ſtes minaciter truci vultu, nunc ſingulos provocat; nunc omnes increpat; Regum Superborum vocat Servitia; objicit, ſuae libertatis immemores alienam oppugnatum veniſſe libertatē; eoſque quibus jam juſtiſſimas ob cauſſas certum erat & obſtinatū,

. . . . *reges odiſſe Superbos,*

& ubivis terrarum igni ferroque perſequi

AT ROMANUS XIII

M. Tullius lib. III. de Orat. non adſcripto Scriptoris nomine: *Aut ex toto partem,* inquit, *ut quum unam turmam, Equitatum populi Ro dicimus: aut ex uno plures,*

At Romanus homo, tamen etſi res bene geſta'ſt.

Ego ex quarto Annalium eſſe didici ex Gloſſar. FornerI: Ἀπολειφθεὶς, *Delictus. Ennius libro tertio* (proculdubio *Annaliū*) *Gloſſ. caſtigat*

Corde ſuo trepidat, delicto poplite;

Lego: *Delicto Coclite.* Retinet tamen hic V. N. Ioſephus Scaliger Vulgatam, *poplite.* Emendationi meae lux & fulcrum, Hiſtoria

HISTOR. CONTINVAT

COnjiciuntur undique in Horatium unum ab omnibus tela; pleraque in objecto haerent ſcuto. Quum detrudendo advolarent viro, pontis abrupti auditur fragor, & clamor tollitur perfecti operis alacritate. Romani, quamvis in primo hoc impetu rem bene feliciterque geſſerant, *ut canit Ennius,* in urbem ex agris demigrando, urbem ipſam praeſi- AB. V. CI CCXLVI

praeſidijs ſepiendo, pontem abſcindendo, tamen corde ſuo trepidant, & timore percelluntur, quum viderent Horatium ſolum delictum, & impetum hoſtilem vix ſuſtinere poſſe. Is tandem, rebus ſic ſatis ſalvis, armatus in Tiberim deſilit, & incolumis ad ſuos tranat

Tamenetſi

TAMENETSI 6.) Eam vocem pro *Tametſi* uſurpant & apud M. Antonium Muretum, Variarum XI. cap. XVII. Plautus Milite, M. Tullius in Verrem, & lib. XII. ad Attic. C. Iulius de bello Gallico, Lucanus ad Piſonem, & Seneca lib. V. de benificijs; apud Ianum Gulielmum Quaeſtionum in Caſinam, cap. III. Plautus; apud eundem I. Veriſimilium, cap. XIV. Terentius Andria, ubi & hoc vocabuli Plauto reſtituitur. Non addam alios, qui uſi. Perierat proba vox apud Nonium cap. IIII. §. 186. Lucilio, Satyr. XXIX:

Colligere auxilium tamen etſi indignū, feramus

Lucilius emendatus

Scripſit poeta, quod monuit jam V. CL. Dionyſius Gothofredus, (non ego eo ingenio, ut alicujus induſtriam & diligentiam, quod multi ſolent, mihi vindicem)

Collegae auxilium, tamenetſi indignū, feramus;

& illuſtratus

Malo *indignus*, quam, quod ex vulgatis retinet magnus vir, *indigno*. Verba ſunt Q. FabI Maximi Dictatoris auxilium monentis ferendum Minutio Mag. Eq. qui temere provocarat hoſtes & ſe ſuumque exercitum in ſummum vitae diſcrimen conjecerat. Plura, quae eo, ex Lucilio adferam ad librum VIII. Annalium. Perijt fortean & Gloſſario D. Benedicti II. Εἰ καὶ, *Licet, Tamen ſit, Sin etiam.* Scriptum fuit, ni fallor: *Licet, Tamenetſi, Sin etiam.* Amplius dicam infinitis locis antiquam vocem in *Tametſi*, quae notior & magiſtellulorum aures minus offendit, migraſſe

Gloſſario vetus ſcriptura repoſita

Obsi-

OBSIDIONIS XIII

Plinius lib. XVII. cap. VIII: *Et Ennius antiquissimus Vates obsidionis famem exprimens, offam eripuisse plorantibus liberis Patres commemorat.* Loci fragmentum & ordinis dubij; dubium etiam, quibus fuerit verbis conceptum

HISTOR. CONTINVAT

SPe sua urbis primo impetu potiundae dejectus Porsena, Romanos arto claudit obsidio. Laborant obsessi paullatim maxima frumenti, cum summa caritate, inopia *(quam, credo vel aliam, designat apud Plinium Ennius)* Rex sedendo Victoriam auguratur

AB. V. C. *Eodem*

VOS ETENIM XIII

M. Tullius de Offic. lib. I: *Itaque in probris maxime in promptu est, si quid tale dici potest:*

Vos etenim Iuvenes animos geritis muliebreis,
Illaque Virgo viri . . . .

Supprimitur Auctor: mihi & alijs omnino est EnnI

HISTOR. CONTINVAT

HIc C. Mutius de interficiendo rege cogitat; petita venia, castra adit; ibi Scribam pro rege obtruncat. Dexteram, quod errarat, incenso foculo coram rege, & regi sua oratione metum injicit. Rex virtutem egregij adolescentis admiratus, & pavore concussus, Legatos Romam mittit, qui pacis conditiones Romanis obferrent. Dant illi obsi-

AB. V. C. *Eodem*

des. una ex ijs Cloelia, frustrata Custodes, dux agminis Virginum inter tela hostium patrium flumen tranat. Rex indignatus Oratores Romam mittit, Cloeliae soli reposcendae. Deditur. Virginem ab virili laudat animo, (*verbis, quae hic*) intactam inviolatamque ad suos cum parte obsidum remittit, &, pace cum Romanis facta, exercitum ab urbe alio movet (*Suspicantur nonnulli versus hosce Statuae Equestri, quam Cloeliae Virtus merita, fuisse insculptos; ejusque addunt sententiae fuisse Senecam libro de Consolatione, quum inquit;* Equestri insidens Statuae in Sacra via celeberrimo loco Cloelia exprobrat Iuvenibus nostris pulvinum adscendentibus, in ea illos urbe sic ingredi, in qua etiam Feminas equo donavimus. *Parum interest*)

Varians in Ennio lectio

Animos geritis moliebreis 14.) Alij Codices, *Animum geritis muliebrem*. Neutrum temere respuendum

Illa virago viri 15.) In alijs libris est: *Illaque Virgo viri*. Apud Dionysium Halic. lib. v. Porsena παρθένους ἀνδράσιν ὁμοίας, *Virgines Obsides* vocat

Dionysius explicatus

Ova parire XIII

Citant, non unus. M. Terentius Varro lib. iv. de L. L. *Nam neque, quas Ambracia ante portas statuit duas viriles species aheneas,* Dei Magni; *neque, ut Volgus putat, hi Samothraces Dii, qui* Castor & Pollux: *sed hi* Mas & Femina, *& hi, quos Augurum libri scriptos habent sic:* Divi potes, *& sunt pro illeis, qui in Sa-*

in Samothrace, θεοὶ δυνατοί. *Haec duo* Coelum & Terra, *quod* Anima & Corpus; humidum & frigidum.

Ova parire ſolet genus penneis condecoratum
Non Animas . . . .

ut ait Ennius, & poſt:

Inde venit divinitus pulleis inſinuans ſe
Ipſa anima . . . .

ſive ut Zenon Citieus, animalium ſemen ignis, qui Anima & Mens, *qui* calor *e coelo, quod heic innumerabiles & immortales ignes.* Quibus verbis lux & medicina ab Magnorum Virorum ſcriptis eſt quaerenda. Diomedes lib. I: *Pario quum ex hoc dicamus Infinitum* Parere, *apud Veteres* Parire *dictum reperimus, apud Ennium:*

Ova parire ſolet pennis genus condecoratum.

Priſcianus lib. VII: *Pario apud Veteres quartam declinationem habebat. Ennius:*

Ova parire ſolet genus pennis condecoratum.

Et lib. X: *Pario Vetuſtiſſimi non ſolum ſecundum Tertiam, ſed etiam ſecundum Quartam Conjugationem declinabant. Unde Ennius:*

Ova parire ſolet genus pennis condecoratum.

Eodem libro: *In Rio unum inveni, Pario peperi. Vetuſtiſſimi tamen & ſecundum quartam Conjugationem hoc protuliſſe inveniuntur. Ennius:*

Ova parire ſolet genus pennis condecoratum.

Hoc ipſum vult idem Priſcianus lib. VIII. quum inquit: *Veteres enim & Pario quartae Conjugationis declinabant.* Mutila haec ab Sequentibus vitio Operarum, quas ex Autographo meo addere oportebat:

Non animas . . . .

 quibus

quibus ſubjiciendum, quod paullo poſt apud Varronem:

Inde venit dIVInitu' polleis inſinuans ſe
Ipſa Anima . . . . . .

Illud hoc loco monitum volui, ne neſcius eſſes lector. Iudicium addam de his verſibus magni Scaligeri ex litteris, quas ad me ſcripſit: *Animas,* inquit, *pro Animans. Eſt ex Epicharmo ſine dubio non ex Annal. Epicharmus enim conſcriptus fuit vario carmine.* Oſtendiſſem facile me maximo viro adſentire, ſi res fuiſſet integra. Impreſſa enim jam erant Annaliũ fragmenta, quum ſuas mihi Conjecturas V.N. tranſmitteret. Hiſtoria me excuſabit, & meas vices ſupplens, probabit apud Lectorem, hanc Ennianam Digreſſionem non omnino turbando ſenſui poſitam hoc loco

De Enniani verſibus judicium

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. FRegerant non parum Romanos Etruſca arma:
ſciebant hoc Sabini, qui, contemtis Romano-
CCXLVIII rum opibus, quum, quinto ab ejectis regibus anno,
arma latrocinantes moviſſent, vincuntur & trium-
phantur, primo ab M. Valerio, & P. Poſtumio Tu-
CCXLIX berto Coss; ſecundo, comminuti ſuperiore praelio,
CCL a P. Valerio Poplicola; tertio, tertium in agrum Ro-
manum ferociter irrumpentes, ab eodem Poſtu-
CCLX mio, & Agrippa Menenio Lanato; poſtremo ab Sp.
Caſſio Viſcellino cos. qui, Sabinorum bello, quod
quadriennium, non paucis utrimque caeſis, durarat;
CCLV finem impoſuit. Anno ab V. C. CCLV. Dictatorem
creat T. Lartium Flavum Sabinus, iterum cum La-

tino

tino contra Romanos exortus. Dictator, exercitu in Latinos educto, quosdam caedit; nonnullos capit; &, dissolutis illorum copijs, in annum dat inducias.
Post annum, moventibus iterum Latinis, & ad la- CCLVII
cũ Regillum ab A. Postumio Albo Dictatore praelio victis foedus reddunt Romani, & antiquam societatem. Romani hanc Victoriam imprimis acceptam ferebant Castori & Polluci, quos fama erat eo bello adparuisse Equitibus Romanis, praestantiore statura & forma, quam quae videri posset mortalium; praecivisse Romanum Equitatum; hostem hastis ferientes cominus & in fugam cogẽtes; deinde, fusis fugatisque Latinis, & castris eorum captis, fere jam finito praelio, in foro Romano visos, militari cultu, vultu adhuc retinentes, quam in pugna habuerant, speciem, & equos, qui sudore madebant, fontana ad aedem Vestae lavisse; indicata denique pugna & victoria nunciata, foro digressos, ex hominum conspectu abijsse (*Vero simile est Ennium, occasione hujus historiae, narrasse etiam fabulam Castoris & Pollucis: Jovem captum amore Laedae Tyndari regis in cygnum se convertisse; Laedam compressisse; compreßam ovum peperiße; inde natos Castorem & Pollucem; quum tamen ova parere solet genus pennis condecoratum, id est aves, non homines*)

Ennius inlustratus

Inde venit XIII

Unde petitum,& quo pertineat,ſuperiora docent. Hic verſus Impreſſorum incuria hoc loco omiſſus

Bellum XIII

Acron ad HoratI lib. II. Epiſt. II, quae ſcripta Iulio Floro: *Romani,* inquit, *quomdam pugnaverunt cum hoſtibus Samnitibus uſque ad noctem. unde & Ennius:*

. . . . Bellum
Aequis de manibus nox intempeſta diremit

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. CCLVIII Non multo poſt Volſcis, qui Latinos auxilijs juverant, bellum inlatum. Victi illi a P. Servilio Priſco: ſed victi cum Aequis & Sabinis contra Romanos redeunt. Illi foris minarum pleni: plebs domi, nexorum cauſſa, tumultuatur; profiteri nolens ad bellum nomina. CCLIX Ad dictatorem trepida urbs confugit. Dicitur M' Valeſius, Voluſi F. Is, convocata concione, plebem furentem gratiſſima oratione reprimit; pollicitus, ſibi, confecto bello, curae fore, ut ad Senatum de Nexis referretur. Sedatur ſeditio. Terni contra Aequos, Volſcos, & Sabinos exercitus conſcripti; ducibus M. Valeſio, T. Vetuſio, A. Virginio, victoria potiuntur. Poſt triumphum Valeſius, quum fruſtra ad Senatum de Nexis retuliſſet, indignationis plenus, abdicat. Plebs, quum per cauſſam renovati ab Aequis belli ex urbe CCLX educta eſſet, auctore L. Sicinio Coss. relictis, armata

trans

trans Anienem occupat collem, qui postea Sacer;
unde oratione Agrippae MenenI commota, in ur-
bem redit; ea lege, ut magistratus ex suo solum cor-
pore contra Patritiorum potentiā & vim crearetur,
isque sacrosanctus esset. Sic Tribuni plebis Romae
nati anno ab V.C.CCLXIV. Volsci, Romam ad ludos CCLXIV
Magnos profecti, astu Tulli AtI eorum regis, a Cō-
sulibus urbi pulsi, concitantur ad bellum; & in fines
Romanos inrumpūt, duce C. Martio Coriolano, cui CCLXV
indignanti aequum animum iniquarat contumelia.
Nam plebs paullo ante (*anno ab* V.C.CCLXII.) exsilio
multarat. Verum illud, saepe improbari, qui rem
bene gesserunt publicam. Is ab urbis oppugnatione CCLXVI
suorum precibus discedit: At non moventur Vol-
sci, cum quibus a T. Sicinio Cos. aequo Marte est pu-
gnatum, devictis ab C. Aquilio Hernicis, qui eodem
tempore in armis erant. utrique sequente anno ad CCLXVII
amicitiam populi Romani a Sp. Cassio traducti, fu-
sis fugatisque a Proculo Virginio Aequis. Sed saepe
postea rebellantes & Aequi & Volsci saepe a varijs
victi. Interim ab Vejente bellum exortum, cum CCLXX
quibus & Etruscis, qui auxilio venerant, varie con-
cursum. Deposcit eum sibi, quarto post initum an- CCLXXIIII
no, & Fabiorum genti, Kaeso Fabius. Caeditur is CCLXXVI
cum suis ad Cremerum a Vejente; Vejens sequenti CCLXXVII
anno a Sp. Servilio Structo Cos. Vejenti Sabinus ar-
ma con-

CCLXXVIII ma conjungit. Victi uterque a P. Valesio Poplicola, CCLXXIX & anno post ab A. Manlio Volsone. Ab eo tempore cum Volscis, Aequis, Sabinis aliquot annos acerrime bellatum, qui tandem debellati. (*Si semel tantum pugnatum esset cum Aequis, vel saltem nisi Livius in primis libris brevis admodum, pleniore gradu ad sua suisque proxima tempora festinasset, facile sciretur, cujus hoc fragmentum loci. Aequi enim saepe moventes, saepe ab Romanis victi, quin & sub jugum missi. Refero tamen ad annum* CCLXXXVI. *quo Coss. fuerunt T. Aimilius, Q. Fabius. Sic enim Livius initio fere libri* III: Quae ubi Romam *(loquitur de irrita ab Aequis pace facta)* sunt nunciata, indignitas magis quam periculum Cos. alterum ab urbe excivit. Ita duo Consulares exercitus ad hostem accessere, acie instructa, ut statim dimicaret. Sed quum forte haud multum diei superesset, unus ab statione hostium exclamat: Ostentare hoc est, Romani, non gerere bellum, in noctem imminentem aciem instruitis: longiore luce ad id certamen, quod instat, nobis opus est: crastino die, oriente Sole, redite in aciem: erit copia pugnandi, ne timete)

Plautus Ennium imitatus NOX 22.) Imitatus Ennium Plautus in Amphitruone Sc. I. vel (ut quidam nituntur probare) hunc ille:

Sed praelium id tandem diremit nox interventu suo

NOBIS

NOBIS XIII

Nonius Marcellus lib.III.§.183. *Propago propages, ut ſaepe, generis feminini. Pacuvius Antiopa:*

Salvete gemini, mea propages ſanguinis.

Neutri Ennius:

Boni ſecunde forent fructus, ut aeque propaginem.

In antiquiſſimo Codice, qui mihi manuſcripti inſtar, eſt:

Novis unde florent fructus vitaeque propaginem.

Veterem ſcripturam ſic reponendam iudico: *Ennio apud Nonium antiqua ſcriptura reſtituta.*

Nobis unde forent fructus, vitaique propagmem.

Alioqui nō capio, quid velit Nonius, quamvis multa apud illum abſurda, quod probare, non hujus eſt loci *Nonius taxatus*

HISTOR. CONTINVAT

EOrum autem, qui plane labefactavit Aequos, nō poſtremus fuit L. Quinctius Cincinnatus. AB. V. C. Anno enim ab V.C.CCXCV. foedus fregerant, ictum non multo ante cum populo Ro. & arma moverant, duce Cloelio Graccho. Miſſus adverſus eos L. Minutius in Algido cum exercitu concluditur. Imminens reip. periculum Dictatorem flagitabat. Dicitur ab C.Nautio altero Cos. Quinctius. Erat is in agris, arvum manibus ſuis colens quatuor jugerum. Mittuntur Legati; praecurrit Viator, qui moneret, ut deterſo ſudore & pulvere, veſtem ſumeret, & Legatis prodiret obviam. Accedunt illi propius, &, uno ore omnes Dictatorem ſalutantes, injecta veſte CCXCV

purpurea, ceteriſque magiſtratus inſignibus adſiſtere juſſis, rogant, in urbem ut comitaretur. Obticet paulliſper, ac demum, ecfuſis lacrumis, *Ergo*, inquit, *hoc anno agellus non ſeretur;*

Nobis unde forent fructus vitaique propagmen?

& de vita periclitabimur? Deinde, uxori vale dicto, in urbem abit: profectus abſque mora contra hoſtes Conſulem obſidio liberat. Cloelius deditur. Aequi ſub jugum mittuntur. Obſidionali ab exercitu donatus & patronus ſalutatus, triumphans urbem ingreditur, ductis ante currum hoſtium ducibus, militaribus ſignis praelatis, ſequente Victore milite, praeda onuſto. Ille XVI. die Dictatura, quam in ſex menſes acceperat, abdicat, &, expeditione finita, redit ad ſuos boves triumphalis agricola

Romanei XIII

Macrobius lib. VI. cap. I: *Virgilius:*

. . . *ſumma nituntur opum vi;*

addit committendi cauſſa. *Ennius in quarto:*

Romani ſcalis ſumma nituntur opum vi

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. CCCII

SEptimo inde anno Decemviri Conſulari poteſtate ſine provocatione creati, a quibus latae Leges XII. Tabularum: perlatis, quum, nulla reſtituendi conſulatus facta mentione, ſe impotentius

in

in unumquemque gererent, accedente iniquo &
ſcelerato contra Virginiae libertatem Ap. ClaudI CCCIV.
judicio, plebs, relictis, quae inter Fidenas & Cruſtu-
merium, caſtris, ſecundum a Patribus ſecedit, in
Aventinum prius, deinde in Sacrum montem;
paullo poſt, adnitente L. Valeſio Poplicola, placata
in urbem redit, ijs legibus, ut Tribunatus ſibi reſti-
tueretur, &, Decemviris abdicare juſſis, Conſulatis
poteſtas revocaretur. Poſt aliquot annos novi mo- CCCXXV &
tus ab Fidenate, Vejente, Faliſco, Aequo & Volſco. *ſeqq.*
A Cornelius Coſſus cos. opima ſpolia, ſecundus ab CCCXXV
Romulo, Larte Tolumnio Vejentium rege occiſo,
relata Marti conſecrat. Dubius inde aliquot annos
utrimque Mars, faventior tamen Romanis. Anno
ab V.C. CCCXLVII. exercitus in Volſcum agrum du- CCCXLVII
citur. Alij alio quadripartitis copijs; L. Valerius Po-
titus Tribunus militum cos. pot. ad Anxur recipien- CCCLII
dum, negligenter amiſſum, diſcedit. Collis immi-
nens urbi capitur; inde moenia invaduntur: obſtu-
pefacti Oppidani locum dant admovendis (*ſcriben-* CCCLIII
te Livio libro IV.) ſcalis; quibus Romani urbem oc-
cupare ſumma nituntur opum vi (*ut canit Ennius*)

VOLSCUS XIII

Feſtus lib. I. de verb. ſig. *Anxur vocabatur, quae nunc Tarra-*
cina dicitur Volſcae gentis ſicut ait Ennius:

. . . *Vulſculu' perdidit Anxur*

Livius lib. IV. *Anxur fuit, quae Tarracinae sunt. Tarracina* etiam nunc nominatur, ut scribit cum alijs Leander Albertus. *Festus emendatior* Eruditiorum in Gallijs, & apud nos jam, nostrorum Ordinum beneficio, Senatus princeps, testatur in antiqua Festi editione esse, *Axur*

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. *Eodem* IN muris diu caedes fugientium, resistentium, armatorum, inermium: capitur tandem, multa strage edita, opidum, quod vetere fortuna opulentum tres exercitus diripuerunt. Sic (*quod ait Ennius*)

. . . *Volscus perdidit Axur.*

Obsidebantur interim Vei; qui superbius Legatis Romanorum, res raptas repetentibus, responderant.
CCCLVII Vario eventu res gesta. Conficit tandem bellum illud M. Furius Camillus Dictator; urbemque capit,
CCCLX cuniculo in arcem hostium acto. Vejente victo, cum Aequo haud aequo Marte pugnatum; victus a
CCCLXI L. Lucretio Flavo cos. iterum funditur a L. Valesio Potito & M. Manlio Capitolino coss.

ANSERIS XIII

Propertius adeundus libro III. Eleg. III, cujus verba alij loco adscripta, memor ego

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. CCCLXII ANno ab V. C. CCCLXII. Clusini, ab Gallis obsessi, opem Romanorum implorant. Missi eo Legati de pace bellũ Clusinorum in se convertunt.

Galli

Galli enim irati, quod adversus se stetissent in acie
Clusina, relictis obsessis, Romam exercitum addu- CCCLXIII
cunt. Occurrunt illis Romani ad Alliam (unde Sce-
leroso diei nomen,) funduntur, fugantur. Galli urbẽ
petunt, ingressi omnia disturbant, omnia incen-
dunt, omnia in miseros cives conglomerant ma-
la. Nec sic pavor sapientiam Romanis omnem
ex animis expectorat *(ut cum Ennio meo loquar.)* Ro-
mana juventus, tristitia in summa salutis crepera,
(ut Lucilio vtar,) Capitolinam arcem occupat, obsi-
detur septem menses. Captam fere Anseres clango-
re & alarum strepitu servant. *(quod cecinit, teste Pro-
pertio, Ennius.)* Tandem M. Furius Camillus exsul,
pectus purum & firmum gestitãs; cui Patriam For-
tuna eripuerat, non virtutem; Dictator absens crea-
tus, contracto exercitu, Gallos Roma expellit, & in
fugam versos ad octavum lapidem occidione ma-
gna occidit. Sic vicissatim volvitur Victoria. Splen-
det saepe illa fortunae lux, ast ea nubibus interdum
nigret. Gaudent Romani, eo majore gaudio, quo
propius periculum res fuerat. Hic iterum Volsci ar- CCCLXV
ma sumunt; Etrusci de bello conjurant; Latini Her-
nicique deficiunt. Dictator dictus M. Furius Ca- CCCLXIX
millus de omnibus victoriã adipiscitur; ut & paul-
lo post A. Cornelius Cossus, eadem dignitate prae-
ditus. Opitulatos Velitras Praenestinos ad Alliam CCCLXXIV

 fugat,

fugat, & ipsum Praeneste capit T. Quinctius Cincinnatus Dictator

ANSERIS 32.) Adi Lector, quae notavit N. V. Ianus Duza ad suum Arbitrum lib.II.cap.XVII

TANTIDEM XIII

M.Terentius Varro lib.VI. de L.L: *utrum primum* una canis, *an* canes *sit appellata. Dicta enim apud Veteres* una canes. *Itaque Ennius scribit:*

Tantidem quasi foeta canes sine dentibus latrat.

Modeste discessum ab mente magni viri

Ennius inlustratus

V. N. Iosephus Scaliger scribit ad me hunc versum esse LucilI & hinc delendũ. Ennius tamen est in omnibus editionibus absque ulla litura; in quarum nonnullis *Tantumdem* Puto verba esse vel ManlI, qui postea Torquatus; vel potius ValerI, qui deinde Corvus, irridentis Gallum, horribilem in modum armatum, & magnificis verbis ingredientem, quem foetae cani comparat, ejusque insuperhabentis sine viribus iram

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. CCCLXXXVI

ANno CCCLXXXVI. iterum fama repens Gallici belli percellit civitatem. Dictatoria potestate munitus M. Furius Camillus V. hostem caedit, fugat, castris exuit: renatus & tertium reversus profligatur tertium a T. Quinctio Capitolino; cujus auspicijs provocantem Gallum singulari certamine sternit ea tempestate T.Manlius, adquisito Torquati, ab Torque detracto, cognomine: quartum ab Q. Servilio Ahala Dictatore, duplici jam tum Consulatu insigni, haud procul porta Collina: quintum,

CCCXCII

CCCXCIII

cum

cum Tiburtibus, a C. Poetelio Balbo cos: ſextum cccxcv
circa Pedum a C. Sulpicio Petico: ſeptimum a M. cccxcvii
Popillio Laenate, cos. cum M. Fabio Ambuſto ii:
poſtremũ ex Albanis montibus, quo confugerant, ccccıv
erumpentes, campos & maritima loca populantes,
a L. Furio Camillo Dictatore in agro Pontino acie
fuſi in Apuliam compelluntur. Eo tempore Virtus
innotuit M. ValerI, qui provocatus ab Gallo in Mo-
nomachiam deſcendit; auſumque talia, ab Corvo
adjutus, obtruncat. *(irritatus comparat illius minas
cum foeta cane, latrante, ſine dentibus. Talis enim Gal-* ccccv
lus, armis gravis, minans, ſed ſine viribus) Partim cae- ccccvi
ſis, fugatis partim Gallis; biennium domi foriſque
quies: inde bellum inlatum Volſcis, quos cum An-
tiatibus & Satricanis ingenti certamine vicit M. Va- ccccvii
lerius Corvus cos. ii. diruto & incenſo Satrico. Iis
ſucceſſerunt Aurunci a L. Furio Camillo Dictat. ii. ccccviii
prima acie debellandi. *(In his, ni fallor, ſi tamen om-
nia perſequutus, finivit lib. iv. Ennius. Addo, quod ple-
raque NonI exemplaria tribuunt Heminae iiii. Anna-
lium apud Nonium in Lacte;* Ex Tiberi lacte hauriri:
*illud in antiquiſſimo libro, qui apud me, adſcribi Ennio,
Annalium iiii. Quod moneo tantum, non probo*

PAVLLI

PAVLLI G. F. P. N. MERVLAE COMMENTARIA IN

Q. ENNI

POETAE ANTIQVISSIMI FRAGMENTA ANNALIVM LIBRI V

MORIBUS XIIII

CItat Auguſtinus de Civitate Dei, lib. II. cap. XXI. ex libro V. M. TullI Ciceronis de republica: *Sicut etiam,* ait, *ipſe Tullius, non Scipionis, nec cujuſdam alterius; ſed ſuo ſermone loquens in principio quinti libri demonſtravit, commemorato prius EnnI poetae verſu, qui dixerat:*

Moribus antiquis res ſtat Romana Viriſque;

Quem quidem ille verſum, inquit, *vel brevitate vel veritate, tamquam ex oraculo mihi quodam eſſe ecfatus videtur;* & quae ibi plura, notatu digna, inluſtrando verſui. Utitur & D. Marcus Imperator epiſtola quadam ad ſuum Praefectum, apud Vulcatium Gallic. V. C. in AvidI CaſſI vita: *Scis enim verſum a bono poeta dictum & omnibus frequentatum:*

Moribus antiquis res ſtat Romana. Viriſque

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. CCCCX

ANno CCCCX. ſuſceptum eſt bellum contra Samnites; Campanorum cauſſa, qui, ab ijs oppreſſi, ſe ſuaque omnia Romanis per Legatos dediderant. Geſtum per annos multos XXIV. peperit triumphos. Primi Samnitibus occurrunt M. Valeſius

ſius

ſius Corvus ad montem Gaurum, & ad Sueſſulam; A. Cornelius Coſſus ad Saticulam: utrobique res haud infeliciter geſta. Quarto poſt coeptum anno ccccxiii movent Latini, Campani, Sidicini, Aurunci. Praeficiuntur rebus ad Veſerim gerundis T. Manlius Torquatus III. & P. Decius Mus coss. admiranda virtutis exempla. ManlI filius, inexſuperabili fato, contra patris, qui cos. erat, imperium extra ordinem in hoſtem pugnat, & equeſtria ſpolia, fati ignarus & futuri, ex hoſte caeſo ad patrem portat. Is filium avorſatus, concionem claſſico advocat, frequenter convenitur: QVANDOQVIDEM, inquit, (*utar, quae apud Livium, verbis lib.* VIII.) TV MANLI, NEQVE IMPERIVM CONSVLARE, NEQVE MAIESTATEM PATRIAM VERITVS, ADVORSVS EDICTVM NOSTRVM EXTRA ORDINEM IN HOSTEM PVGNASTI, ET QVANTVM IN TE FVIT, DISCIPLINAM MILITAREM, QVA STETIT AD HANC DIEM ROMANA RES, (*hoc vult Ennius*) SOLVISTI, MEQVE IN EAM NECESSITATEM ADDVXISTI, VT AVT REIP. MIHI, AVT MEI MEORVMQVE OBLIVISCENDVM SIT, NOS POTIVS NOSTRO DELICTO PLECTEMVR, QVAM RESP. TANTO SVO DAMNO NOSTRA PECCATA LVAT. Haec (*& quae ſequuntur*) lo-

quutus Lictorem advocat, jubet filium deligari ad palum. Necatur egregius adolescens, & inmoderatae fortitudinis morte dat poenas. (*Referri etiam potuisset hoc Ennianum, quod Ocello Belgicae non abs re in delicijs, cum alio, tum ad agitata illa inter Coss. Manlium & Decium, uti disciplina militaris ad priscos redigeretur mores. Videndus Livius paullo ante singulariam illam inter T. Manlium & Gallum provocantẽ pugnam*) P. Decius, inito cum hoste certamine, & inclinante peneque prostrato laevo cornu, cui praeerat, magna voce exclamans, Deorum ope esse opus, Vitam suam pro repob. pop. Ro. Quiritium DIs Manibus Tellurique devovet, devotus in confertissima se hostium tela jaculatus novum ad Victoriam iter
ccccxiv sui sanguinis semita aperit. Iidem sequente anno
ccccxv in Campis Senectanis a Q. Publilio Philone fusi sunt & castris nudati: tertium ad Sturam flumen a C. Maenio

Cives XIV

Citat Spondaicum hoc Hexametrum Victorinus, sed absque poetae nomine. Adscribit Ennio scribens ad me V. N. Ianus Duza

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. ccccxvii ccccxix

NOnnihil etiam prospere gestum cum Calenis & Sidicinis. Altero post anno, Sp. Postumio, T. Vetusio Calvino coss. Campanis (*Verba sunt*

ſunt Paterculi Vol. 1.) data eſt civitas (*Illud notat Ennius. Videndus Livius lib.* VIII *&* XXIII.)

ROMANI XIV

Diomedes libro III: *Idem Spondaicus appellatur, quum omnes Spondaeos, quem quidam Moloſsicum dixerunt, ut:*

Romani muris Albam cinxerunt Longam.

Et hoc eſſe carmen EnnI ſcripſit ad me Ianus Duza, cui non poſſum non accedere

HISTOR. CONTINVAT

FErocius aliquanto poſt reſurgunt Samnites, AB. V. C. ccccxxviii
qui fuſi & fugati a L. Papirio Curſore Dictato- ccccxxix
re, ducum, qui illud aevum agitabant, rei militaris
peritiſſimo; & altero poſt anno, ab A. Cornelio ccccxxxi
Coſſo Arvina, itidem Dictatore, T. Veturium Cal- ccccxxxii
vinum & Sp. Poſtumium coss. cum Legionibus
Romanis, apud Caudium interclufis, ſub jugum
mittunt: quam ignominiam L. Papirius Curſor ccccxxxiv
cos. III. acerrime ulciſcitur, eadẽ Samnitibus inuſta
nota; quibus petentibus induciae biennij datae. Iis ccccxxxv
rebellandi cauſſam dat L. Aimilius Mamercinus ccccxxxvii
Dictator, oppugnare adortus Saticulam, qua Ro-
mani potiuntur; ut contra Samnites Pliſtia; unde
tota vis belli converſa Soram, quae ad Samnites de- ccccxxxviii
fecerat. Eam cum Auſona & Luceria, defectionis ccccxxxix
etiam reis, C. Sulpicius Longus recipit: & inſequen- ccccxl
te anno Nolam, Atinam & Calatiam C. Iunius Bu- ccccxli

bulcus. Reliquias belli perſequitur M. Valerius Maximus.

CCCCXLIIX Anno CCCCXLIIX. M. Fulvius T. Minucio ſubfectus cos. in Samnites profectus, Bovianum capit, & magna gloria rerum geſtarum triumphat; quem

CCCCXLIX ſequutus P. Sulpicius Saverrio: interea etiam Aequi

CCCCLI ſubacti & triumphati. Biennio poſt Sora, quae iterum hoſtium erat, Alba & Aeſernia in populi Ro. poteſtatem rediguntur, eoque Coloniae deducuntur

Ennio lux (*Livius lib.*X. *&* XXVII. *Flor. in Epitom. lib.*LXXII. *Albam etiam muris cinctam ab Romanis docet Ennius. Ductarum muris Coloniarum ſaepiſſima mentio apud*

CCCCLII *Iulium Frontinum de Colonijs libello.*) Hic maximum Romanis incutit metum rebellãs Etruria, cui, praelio fractae, pacem petenti negant Romani, datis tamen biennij induciis

DIVI XIIII

Nonius Marcellus cap.II.§.625. *Prognariter, ſtrenue, fortiter, & conſtanter. Plautus Perſa:*

> *Ego ſcio hercle utrumque velle: Age, indica prognariter.*

*Ennius Annalium lib.*VI:

> . . . . *Diu hoc audite parumper:*
> *Ut pro Romano populo prognariter armis*
> *Certando, prudens animam de corpore mitto.*

Nonius correctus Numerum apud Nonium corruptum puto, & pro VI. reponendum V. Sequentia conjecturam meam facile tuebuntur

HISTOR.

HISTOR. CONTINVAT

ANno CCCCLVIII. multiplex undique terror. Graviſſimum bellum inferunt, conlatis armis, Samnites, Galli, Etruſci & umbri. Profecti eo Q. Fabius Maximus V. & P. Decius Mus. IV. coss. Etruſcis & umbris ad fines ſuos tutandos revocatis, Samnites & Galli in agro Sentinati juſto certamine provocantur. Dextro cornu Galli, ſiniſtro Samnites conſiſtunt. Gallis oppoſitus Decius, Fabius Samnitibus. Primo concurſu aequis viribus omnia geſta. Decius lentior pedeſtri pugna, equitatum in hoſtes concitat: bis irruens, bis avorſus Gallicus equitatus. Romanorum equos longius evectos eſſedis carriſque ſuperſtans armatus Gallus conterret & in fugam vortit. In hoc diſcrimine Decius M. Livium Pontificem praeire verba jubet, quibus ſe & legiones hoſtium, patrem imitatus, pro exercitu populi Ro. Quiritium devoveret. Praeit Pontifex, Decius ſequitur: IANE, IOVIS PATER, MARSPITER, QVIRINE, BELONA, LASES, DIVEI NOVEMSIDES, DIVEI INDIGETES, DIVEI QVOROM EST POTESTAS POPOLI ROMANI, QVIRITIOM, MEEIQVE, DIVEI MANES: SVB VOS PLACO, VENERORQVE, VENIAM PETO, OBSECROQVE, VTEI POPOLO ROMANO QVIRITIOM VIM, VICTORIAMQVE

AB. V. C. CCCCLVIII

Devovendi formula

PROSPERETIS; VTEI EGO AXIM PRAI ME FORMIDINEM, METOMQVE OMNEM COILESTIOM INFEROMQVE OMNIOM DIRAS: SIC VTEI VERBEIS NONCOPASO ITA PRO REPOPLICA POPOLI ROMANI QVIRITIOM VITAM, SALOVTEMQVE MEAM LEGIONES, AVXSILIAQVE HOSTIOM MECOM DIVEIS MANEBOVS, TELLOVRIQVE DEVOVEO. (Livius lib. VIII. *Revocavi, quantum potuit, antiquam Verborum majestatem. Hanc formulam versibus exprimebat poeta, quorum hic elegantes relliquiae*

DIVEI 13) Scripsit etiam L. Attius Praetextatam, cui nomen fecit Aeneadas vel Decium. Ibi (inter alia) quum longius evecti essent Romani, & inter media equitum agmina praelium cierent; novo conterrentur pugnae genere. Nam essedis carrisque superstantes armati ingenti sonitu equorum rotarumque, (inquit Livius lib. x.) adveniunt

AttI fragmenta aliquot ex Decio collecta, correcta, explicata & ad suas historias vocata

Gallei, canoora vooce, fremitu peragrãt minitabiliter;
Claamore & gemitu templum resonit coilitum.

(Sic enim lego & colligo duo haec fragmenta. Prius apud Nonium in Minitabiliter, ubi male *Calleci* pro *Gallei*. Viri Docti exaudiunt de Gallis Matris Deum, non ego: posterius est apud eumdem in Resonit.) Ibi pavor dissipat victorem Romanorum equitatum; sternit ruentes equos virosque improvida fuga; turbantur Legionũ signa. Vociferat Decius, quo fugerent, quamve in fuga spẽ haberent:

Nil neque pericli neque tumulti est, quod sciam;

excla-

exclamat (apud Nonium in Tumulti.) At vero videns nulla vi perculsos a fuga retineri posse, patrem P. Decium nomine compellans, Quid ultra moror, inquit, familiare fatum?

. . . . patrio
Exemplo me dicabo, animamque devorabod hostibus.

(Sic obiter emendo & constituo poetae verba apud eumdem Nonium in Devorabo) Imitabor ego facta;

Quis rem summam & patriam nostram quomdam
adauctavit pater.

(Idem in adauctavit.) Haec loquutus, quum M. Livius Pontifex verba praeisset, se devovet. Plutonem, qui & DIs, hujusmodi inter alia verbis obsecrans:

DIs summa tibi perduellium esto, quorũ aũt quibus
Se a partibus gliscunt: Castra haec vostra est, optume
Esis meritus a nobis . . . . .
Te sancte venerans precibus, invicte invoco,
Portenta ut poplo patriae vorrunces bene.

(Hoc modo tres tribus apud Nonium locis sparsas naufragij, quod passus Attius, tabulas, desiderato trium verborum fragmine, compono. Prima est in voce Gliscit, ubi male *Disumma*. Secunda in Castra, ubi malo *esis* vel *escis*, quam *essis*. *Vostra* autem apud Attium est *tua*. Vide Servium in illud Virg. x. Aeneidos: *Crimen amor vestrum*. Tertia est apud Non. Verruncent, ubi licentius reposui *Verrunces*

DIVEI 13.) In vulgatis male legitur *Diu*. Vix bene conveniunt, vix una sede morantur hoc loco *Diu* & *Parumper*. Scaliger putat delenda *Divi hoc*. *Nam loquitur*, inquit, *Decius exercitui* *Ennius apud Nonium correctus*

AVDITE

AVDITE 13.) Deos, ut *audirent*, rogabant. Hoc EnnI adponendum Formulis Antiquis, quibus, ut canit poeta ille Lugdunensis, cum Antiquis merito committendus;

Unus homo nobis Romanam restituit rem

PARVMPER 13.) Dixi de hac voce ad librum I

SE TUM XIV

Apud Macrobium libro VI. cap. III. Homerica descriptio est equi fugientis, in haec verba:

ὡς δ' ὅτε τις στατὸς ἵππος ἀκοστήσας ἐπὶ φάτνῃ
Δεσμὸν ἀπορρήξας, θείει πεδίοιο κροαίνων
Εἰωθὼς λούεσθαι ἐϋρρεῖος ποταμοῖο
Κυδιόων, ὑψοῦ δὲ κάρη ἔχει, ἀμφὶ δὲ χαῖται
Ὤμοις ἀΐσσονται, ὁ δ' ἀγλαΐηφι πεποιθὼς:

Ennius, *addit Macrobius*, hinc traxit:

Et tum sicut equus, qui de praesepibus actus,
Vincla suis magnis animis abrumpit, & inde
Fert sese campis per caerula laetaque prata;
Celso pectore, saepe jubam quassat simul altam;
Spiritus ex anima calida spumas agit albas.

Virgilius:

Qualis ubi abruptis fugit praesepia vinclis, &c.

Nimia forte licentia usus, haec libro VI. collocavi. Comparat, ut mihi videtur, his versibus Ennius impetum in hostes DecI citatissimo equi cursui. Priorem vocem leniter mutavi, ut aptius cohaereat Apodosi comparationis:

Ennius apud Macrobium emendatus

Se tum; sicut equus qui de praesepibus actus,
Injicit inreitatus, tenet occasu', juvat res.

V.N. Iosephus Scaliger non putat cohaerere cum antecedentibus

HISTOR.

HISTOR. CONTINVAT

EXsecratus in se Gallorum & Samnitium copias Decius formidinẽ, fugam, caedem, cruorem, omnes coelestium, infernorum iras; qua confertissimam cernebat Gallorum aciem, concitat equum *AB.V.C. Eodem*

ACTUS 18.) Alij *altis* legunt, alij *fartus*

ABRUMPIT 19.) Vulgat. *abrupit*, quod sequentia adspernantur *Iterum*

ET ENDO FERT SESE CAMPEIS 19.) Sic restituo pro corruptioribus Vulgatae editionis: *Endoferre*, inferre. Livius de Decio: *inferensque se ipse. Inferre se campeis*, Sic Varro lib. IV. de Vita populi Ro. sic alij loquũtur apud me ad fragmentum libri I. *Endotuetur ibus*, &c. Non male, si quis malit: *Tertium*

. . . *campi per coerula laetaque prata*

COIROLA PRATA 20.) Ea aliûs notionis libro II. circa finem

CELSO PECTORE 21.) Haec EnnI generosioris equi signis in meis Adversarijs aliquando adgregaram. Videndi imprimis Virgil. lib. III. Georg. M. Terent. Varro lib. II. de re rust. cap. VII. Columella lib. VI. cap. XXVIII. Cassiodorus libro IV. Variarum, cap. I

INIICIT XIV

Festus lib. XIII: *Occasus*, inquit, *interitus*, &c. *quo vocabulo Ennius pro Occasione est usus in libro secundo. Item in libro quinto:*

Injicit irritatus, tenet occasus, juvat res.

Ennius ſuppletus ab ingenio magni viri

Praemittit huic fragmento V.N.Ianus Duza, ſcribens ad me, voces *manumque*, ut ſit:

. . . . . . manumque
Injicit inrItatu', tenet, occaſu' juvat res.

aut legendum cenſet:

Inſilit inrItatus, &c.

Occaſus autem, inquit, *pro ſucceſſu*

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. *Eodem*

IRritatus ab hoſte, injiciens ſe ipſe infeſtis telis interficitur, tenet occaſio; Devotio juvans ac bene ſuccedens Victoriam parit (*hoc enim ſuperſtitioſe credebatur*) Romanis

DISPERGE XIIII

Gloſſar. FornerI: *Divido διασπείρω. Ennius in quinto:*

Diſperge hoſteis, diſtrahe, diduc, divide, differ

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. *Eodem*

Q Fabius collega DecI ſuum militem hortatur, ut hoſtilem invaderet aciem, & territos caederet. Caſtra capiuntur; interficitur dux hoſtium Egnatius

COGEBANT XIIII

Priſcianus libro VIII: *Similiter*, inquit, *Hio, hiſco; amo, amaſco; miſeret, miſereſco, ſed magis a miſereo eſt, quo vetuſtiſſimi ſunt uſi, ut ſupradictum eſt. Ennius in quinto Annalium:*

Cogebant hoſtes lacrumantes, ut miſererent

HISTOR.

HISTOR. CONTINVAT

INgens fit caedes: hoſtes etiam ſuis lacrumis cogebant Romanos, ut miſererent, & tandem occidendi finem facerent (*vel certe de inſigni aliqua Samnitium clade haec capienda, quales multae apud Livium libro* x)

AB. V. C. *Eodem*

DUCUNTUR XIIII

Victorinus de Carmine Heroico: *Hexameter verſus Dactylicus variatur per* XXXII. *ſpecies. Nam in verſu Dodecaſyllabo ſpecies una eſt, quippe is ſine ulla varietate omnes in ſe Spondaeos habet, & vocatur Spondiazon, ut eſt: Forte ducuntur ligati Minturnenſes.* Sentiunt mecum magni viri non ſolum EnnI eſſe; ſed Ennium etiam ita ſcripſiſſe:

Ennius apud Victorinum caſtigatus

. . . . . . *ducuntur forte ligati*
Minturnenſes

quidquid ſcribat praeter Poetae mentem Victorinus

HISTOR. CONTINVAT

Q Fabius relicto in Etruria Collegae exercitu, Romam reverſus, triumphat de Samnitibus, Etruſceis & Galleis (*Videtur Ennius Samnitium Vrbes in hoc triumpho enumeraſſe, Tarraciam, Fundos, Cajetam, Formias, Veſciam, Auſonam, Minturnas & alias. Minturnas enim Samnitium urbem notat Stephanus, quamquam alij Auſonum faciant. Canit igitur poeta Minturnenſes etiam, inter alios, ligatos in triumphum fuiſſe ductos*

AB. V. C. *Eodem*

Ennius inluſtratus

Quod per amoenam XV

Macrobius lib. VI. cap. VI: *Agmen, inquit, pro actu & ductu quodam ponere non inelegans eſt, ut:*

> . . . . . . *leni fluit agmine flumen.*

Imo & antiquum eſt; Ennius enim in quinto ait:

> *Quod per amoenam urbem leni fluit agmine flumen*

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. *Eodem*

NOn ſolum triumphatae Minturnae, ſed etiã Colonia factae (*Velleius Paterc. vol. I.* At quintum, *inquit*, Fabio, Decio Mure quartum coss. quo anno Pyrrhus regnare coepit, Sinueſſam Minturnaſque miſſi coloni. *Videndus & Livius lib.* X.) Erat enim opidum ſitu nec incommodo, nec injucundo, ad oſtium Liris,

> *Quod per amoenam urbem leni fluit agmine flumen*

Ansatas XV

Nonius Marcellus cap. XVIII. §. 30: *Anſatae, jaculamenta cum anſis. Ennius lib.* V:

> *Anſatas mittunt e turribus;*

Ennius ſuppletus — Hieronymus Columna explet verſum, adſcripta fini voce *Haſtas*

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. CCCCLIX

SEquente DecI Devotionem & FabI de Samnitibus & Gallis victoriam anno res geſta cum Samnitibus ab L. Poſtumio Megello & M. Attilio Regulo coss. Attilius ſeptem millia militum & tre-

centos amittit; captivos ſine pactione ad Luceriam in Apulia ſub jugum mittit; ideoque negatus illi (*ut ſcribunt quidam*) triumphus. Poſtumius tardius ob invalitudinem urbe egreſſus rem primum in Samnitibus; poſt, injuſſu Senatus, in Etruſcis bene gerit; eamque ob cauſſam, auxilio Tribunorum plebis trium contra VII. Tribunorum interceſſionem & repugnantem Senatum vix triumphat. Samnites cccclx
deinde ſaepe fuſi, caeſi, fugati ab L. Papirio Curſore, Sp. Carvilio Maximo, & alijs. Expugnata eodem cccclxi
tempore validiſſima opida Amiternum, Duronia, Aquilonia, aliaque Samnitium (*ad quarum unius oppugnationem referenda haec EnnI*)

PAVLLI G. F. P. N. MERVLAE COMMENTARIA IN Q. ENNI POETAE ANTIQVISSIMI FRAGMENTA ANNALIUM LIBRI VI

INTUS XV

FEſtus lib. XVII. nimiſquam mutile: . . *ſſi dicebantur* . . . . . *Naevius odi, inquit* . . . . *inde aperte dice* . . . . . . *times. Ennius in ſexto* . . . . . *ntus in occulto muſſa* . . . . Supplent eruditiora ingenia: *Summiſſi dicebantur murmuratores. Naevius: Odi, inquit Summiſſos pro inde aperte dice quid ſit, quod* *Feſtus, Naevius, Ennius ſuppleti*

times. Ennius in ſexto Annalium: Quintus in occulto muſſabat, &c. Citat hoc idem fragmentum Paullus ad Feſti lib. XI. de verb. ſignif. *Muſſare, murmurare. Ennius: in occulto muſſabant.* ubi tamen *muſſabat* eſt reponendum. In Veteri Codice eſt *muſſabunt*

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. CCCCLXII

VIcti ſunt ijdem Samnites & oppreſſi a Q. Fabio Maximo Gurgite Proc. Pugnat hic primo concurſu adverſus hoſtes infeliciter, tribus millibus Romanorum occiſis. Victus in urbem fugit. Deliberante Senatu de removendo ab exercitu, dolens inferendam ſibi ignominiam, domi ſe continens,

Insignis Ennio lux

Quintus, in occolto muſſat:

pater vero, vir auctoritatis ſummae, & ultimae tunc ſenectutis, totis nervis incumbens avorruncādo ab familia tanto dedecori, Senatum adit, obfert ultro ſe iturum filio Legatum, ſi labis eluendae, & renovandae contra hoſtem, victoria potitum, pugnae non denegaretur copia. Impetrat facilis. Conſeruntur manus. Virtute, opera, & conſilio pij patris, ſenio confecti, non modo concluſus liberatur filius, verum etiam capitur C. Pontius Samnitium Imperator, & caeduntur XX. hoſtium millia; captis cum

CCCCLXIII

duce millibus quatuor. Debellati tandem a P. Cornelio Rufino & M' Curio Dentato, quibus demum

COSS.

coss. bellis fracti pacem petitam impetrant. Quiescenti Samnite, & caesis aliquotiens Vulsiniensibus & Lucanis, Plebes tertium propter aes alienum, ccccLXVII post graves & longas seditiones, in Ianiculum hostili diremtione (*inquit Augustinus libro de Civit. Dei* IIII.) secedit, cujus mali tam dira calamitas fuit, ut ejus rei caussa Dictator dictus fuerit Q. Hortensius, qui, plebe in urbem reducta, in eodem magistratu primus obit

Q. ENNIUS XV

Plinius lib. VII. Natural. Histor. cap. XXVII: *Fortitudo in quo maxime exstiterit,* inquit, *immensae questionis: utique si recipiatur poetica fabulositas, Q. Ennius T. Caecilium Teucrum, fratremque ejus praecipue miratus, propter eos Sextum Annalem adjecit.* Restituendum Caecilio cognomen, & legendum *T. Caecilium Dentrem.* Facilis enim lapsus hujus in illam vocis. *Plinius castigatus* *Teucri* cognomen nusquam (si fidelis lectorum custos, Memoria) in Historia Romana notum. Quam autem vere *Plinius reprehensus* hoc scribat Plinius, Ennium propter Caecilios sextum Annalem adjecisse, alijs judicandum relinquo. Certe Ennius eo libro notissimum illud bellum est prosequutus, quod gestum ab S. P. Q. R. cum Tarentinis &, quem illi auxilio vocarant, Pyrrho rege. Et qui potest dici Ennius sextum Annalem adjecisse, qui, ut alias monui, Annales suos continenti scriptura absolvit, distribuendos multo post in XVIII. libros a Q. Vargunteio? Fuit hic T. Caecilius Denter, frater L. Caecilij Dentris, Consulis anno ab V. C. CCCCLXIX. quẽ male Cassiodorus nominat *L. Caelium*; cujusque cognomen vitiose conceptum in Fastis Siculis, ubi depravate Δέντων legitur pro Δεντερ *Cassiodorus emendatus* *Fasti Siculi correcti*

HISTOR.

HISTOR. CONTINVAT

AB.V.C. CCCCLXIX

SEdata ſeditione, redivivum contra Romanos bellum moliuntur Galli Senones, Etruſci, Lucani, Brutij, Samnites. Profectus contra Gallos L. Caecilius cadit ad Arretium, cum XIII. millibus Romanorum. Miſſi ad exorandum Gallos Legati interficiuntur. Ad ulciſcendum & ſuperiorem cla-

CCCCLXX

dem & indignam Legatorum necem, mittitur cum exercitu T. Caecilius Denter Praetor, ſuperioris anni cos. frater, qui itidem oppreſſus cum magna exercitus parte interit (*Utriuſque fratris virtutem admiratus Ennius celebravit, notante Plinio, ſuis verſibus libri* VI. *Annalium initio.*) Tandem Gallos ita ad lacum Vadimonis delet P. Cornelius Dolabella cos. ut in ea gente nullus ſuperfuerit, qui incenſam ab ſe urbem gloriaretur. Adverſus Brutios, Lucanos, & Etruſcos (*quos paullo ante nominavi*) aliquot praelijs a compluribus ducibus bene eſt pugnatum. (*Faciunt renovati ab Gallis belli mentionem Oroſius, Epitoma* XII. *Polybius. Varie torquent ſe magni viri. Ego illos ita*

Polybius, Epitoma Liviana & Oroſius in Romana hiſtoria conciliati

concilio: Polybius in hanc ſententiam ſcribit: Poſt decimum annum, quam cum Gallis ad Cluſium pugnatum eſt, eoſdem, comparato ingenti exercitu, in Etruria Arretium obſediſſe, Romanos, quum Arretinis auxilio veniſſent, non longe ab urbe acie conflixiſſe; ſuperatos, Lucio duce amiſſo; M' Curium in

in ejus locum ſubfeciſſe. Hinc ſtatim Legatos in Galliam ad redimendos captivos miſiſſe; eos, violato jure Gentium, ab Gallis fuiſſe interfectos. *Intellegenda verba Polybi de L. Caecilio Dentre cos. anni ab* V.C.CCCCLXIX. *ea pugna ab Gallis prope Arretium caeſo. Epitoma* XII. *hoc modo:* Quum Legati Romanorũ a Gallis Senonibus interfecti eſſent, bello ob id Gallis indicto, L. Caecilius Praetor (*mallem* T. Caecilius) cum Legionibus ab ijs caeſus eſt. *Oroſius*: Dolabella & Domitio coss. Lucani, Brutij, Samnites quoque cum Etruſcis & Senonibus Gallis facta ſocietate, quum redivivum contra Romanos bellum molirentur; Romani ad exorandos Gallos miſere Legatos; quos quum Galli interfeciſſent, Caecilius Praetor ob ulciſcendam Legatorum injuriam, &c. *Haec omnia capio de ſecunda pugna, quae anno ab* V.C. CCCCLXX. *cum Gallis commiſſa ob violatos Legatos ab T. Caecilio Dentre Praetore, ſuperioris anni cos. L. Caecilij fratre. Eam pugnam ſequuta eſt tertia, eodem anno; qua Dolabella Gallos ita delevit, ut nullus remanſerit in illa gente, qui incenſam a Senonibus Romam poſſet gloriari*

Epitoma Livi emaculata

NAVO' XV

Sex. Pompeius Feſtus libro de verbor. ſignif. XII: *Navus celer ac ſtrenuus: a navium velocitate videtur dictus. Ennius libro* VI:

Navus repertus homo Grajo patre, Grajus homo, rex

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. CCCCLXXII

ANno ab V.C.CCCCLXXII. arma mota primum contra Tarentinos. Belli caussae: & vis ab ijs inlata L.Valesio Classis Praefecto, quem nihil hostile metuentem ad se profectum cum multis demerserant; & Injuria facta L.Postumio Legatorum principi. Bellum decretum L.Aimilio Barbulae cos. Quum suis diffiderent viribus Tarentini, quaesitis multis, repertus tandem homo navus, callidus, & rei militaris scientia plurimũ pollens, Graecus Graeco patre natus, rex Epirotarum

NAVO' 15.) Glossarium: Navus, ἐμπρακτὸς, εὐστραφὴς, εὐκίνητος

AIMONI' XV

Nonius Marcellus cap. III. §. 337. *Stirpem*, inquit, *generis foemin. Virgil. Aeneid. lib.* VII:

Heu stirpem invisam, & fatis contraria nostris
Fata Phrygum . . . . . .

Mascul. Ennius Annalium libro quinto:

Omnes Pyrrhus, uti memorant, a stirpe supremo

Conjectura in Ennio — *Festus suppletus*

In antiquo Exemplari est *homines* pro *Omnes:* Reposueram *Nomine*, sequutus vestigia ejusdem versus apud Festum libro XVII. ubi *Stirpis* vocabulum explicat, qui mutua opera ex Nonio supplendus: malui tamen ire in sententiam magni viri, cui *Aimoni'* placet, pro *Nomine*. *Aemonia* regio est Graeciae, ab Aemo monte, cui vicina, quae, ut Plinius tradit, mutatis saepe nominibus, *Pelasgicum, Argos, Hellas, Thessalia*, & *Dryopis* dicta fuit. Quid si *Chaoni'* legatur? Epirum (cujus

(cujus rex Pyrrhus) Chaoniam olim dictam dicit Martianus Capella. Numerus etiam vitiosus apud Nonium. Senarius enim subficiendus in locum Quinarij. Nam haec proxime adhaerent superioribus *Nonio melius*

HISTOR. CONTINVAT

REpertus, inquam, tandem Pyrrhus, summa; qua Deum, qua hominum; stirpe satus (*Videndus Justinus ex Trogi Pompei libro* XVII) AB. V. C. *Eodem*

PVRRV' 17.) Sic suasit mihi scribendum M. Tullius in Oratore: *Purrum semper Ennius*, inquit, *numquam Pyrrhum: Vi patefecerunt Fruges, non Phryges, ipsius antiqui declarant libri. Nec enim Graecam litteram adhibebant; nunc autem etiam duas, & quum Phrygum & quum Phrygibus dicendum esset.* Rara enim apud Latinos veteres adspiratio, quod etiam notat vir magnus ad suum Catullum: unde *Apua*, ἀφύη; *Rupa*, ῥούφη: item *Xenoponteius* apud Ciceronem; *Diespiter Niceporae filius* apud Senecam in Apocolocynthosi. Hinc etiam apud Ulpianum lib. IX. de Officio Proconsulis, *Purricarij* in Pandectis ad Tit. de Poenis. l. aut damnum. 8. §. quicumque. 11. a Purricha, quod simulacrum equestris pugnae, cujus auctorem facit Achillem Marius Plotius Grammaticus in libro de Metris ex Aristotele; alij Pyrrhum Cidoneum nominant, ut ad d. l. notat V. CL. Dionysius Gothofr. Q. Terentius Scaurus de Orthographia docet Antiquos *Burrum* dixisse, quem Posteriores *Purrum*. Sic enim ibi legendum. Idem innuit Isidorus lib. I. cap. XXVI: *B & P litteris quaedam cognatio est. Nam pro Pyrrho dicimus Birrhum.* In Manuscripto, qui impresso locupletior apud me: *Nam pro Birro dicimus Pirrum*, inverso ordine, cum Scauro. Emendandum: *Nam pro Burro dicimus Pyrrhum.* Legendi & Quin-

Rara apud Vett. adspiratio

Terentius Scaurus correctus

Isidorus castigatus

Quintilianus lib. I. Instit. Orator. cap. IV. & Festus lib. II. in Balaena

A STIRPE SVPREMO 17.) Designat hunc locum Festus lib. XVI. in Recto fronte: *Antiquae id consuetudinis fuit; ut quum ait Ennius quoque,* a stirpe supremo, *&* Ilia dia nepos, *&* lupus foeta, *&* nulla metus. Et libro XI: *Masculino,* inquit, *genere parentem appellabant Antiqui etiam Matrem.* Malo cruce *masculino genere quum dixit Gracchus in oratione, quae est in P. Popullium posteriorem, tam repraesentavit antiquam cõsuetudinem, quam* hunc frontem *atque,* hunc stirpem *ijdem antiqui dixerunt: & rursus* hanc lupum *&* hanc metum, &c. quo vide virum doctum docte emendantem. Libro denique XVII: *Spicum* inquit, *masculine antiqui dicebant, ut* hunc stirpem, *&* hanc amnem, &c. Sic Virgilius XII. Aeneid.

Quum semel in silvis imo de stirpe recisum,
Matre caret . . . .

Ad quem locum Servius: *Ideo genere masculino usus est,* inquit, *quia de Arboribus loquitur. Nam de Hominibus genere feminino dicimus, ut: heu stirpem invisam. Dixit tamen usurpative Horatius de Arboribus, ut:*

Stirpesque raptas & pecus & domus

Quae ServI quam vera, videant alij

STOLIDUM GENUS XV

M. Tullius Cicero de Divinat. libro II: *Postremo,* inquit, *quamquam semper fuit, ut apud Ennium est,*

. . . . *stolidum genus Aeacidarum,*
Bellipotentes sunt magi', quam sapientipotentes,

tamen hanc amphibologiam versus intelligere potuisset, &c. Describit poeta Aeacidas feliciores ab rei militaris peritia, quum sapientiae notis

BELLIPOTENTES 21.) Sic *Pennipotentes*, *Coelipotentes*, *Cortinipotentes* & similia apud Veteres poetas. Pindarus Aeacidarum Virtutes κλεινὰς ἀρετάς nominat: ipsos autem Aeacidas αἰχματὰς, ἀρηϊφίλους, δορυκύπους appellat

ECFUNDIT XV

Servius ad II. Georg. ubi Virgilius:

Ipsa satis tellus, quum dente recluditur unco,
Subficit humorem & gravidas cum vomere fruges;

Cum, inquit, *abundat. Nam hoc dicit, Subministrat fruges vomere, id est per vomerem. Ennius:*

Effundit voces proprio cum pectore sancto:

Nam Cum, *vacat*. Huc obtorto quasi collo fragmentum hoc traxi

HISTOR. CONTINVAT

HIc igitur per Legatos & munera ad belli con- AB. V. C. *Eodem*
tra Romanos societatem ab Tarentinis accersitus. Eo consilio cognito, Aimilius (*ut scribit Zonaras*) agrum Tarentinorum populatur, egressos vertit in fugam, nonnulla capit opida, captivos curat diligenter, aliquot ex potentioribus dimittit. Movet Tarentinos AimilI humanitas; pacis ineunt consilia, quae disturbata a Cynea & alijs Pyrrhi Legatis. Tarentini eorum adventu confirmati, spe pacis abjecta, imperium Agidi, Romanis amico, abrogatum uni Legatorum deferunt. Sequutus Legatum Milo cum copijs arcem Tarentinorum oc-

cupat, & muros ſibi cuſtodiendos adſumit. Ferunt hoc, laborem militarem & vigiliarum moleſtias vitantes, Tarentini; quinimo cibaria praebent, & pecuniam Pyrrho mittunt. Aemilius propter hi-
cccclxxiii berna incommoda in Apuliam abit. Anno ſequente P. Valeſio Laevino & Ti. Coruncanio coss. in Italiam tranſit Pyrrhus, conſulens, ante omnia de belli contra Romanos eventu, Apollinem, qui reſpondens hujuſmodi ambiguam dictionem ſancto pectore ecfatur:

Aio xv

M. Tullius Cicero de Divinat. lib. ii. ubi quatuor argumentis docet reſponſum hoc non Apollinis, ſed EnnI eſſe: *Herodotum*, inquit, *quur veraciorem ducam Ennio? num minus potuit ille de Croeſo, quam de Pyrrho fingere Ennius? quis enim eſt qui credat, Apollinis ex oraculo Pyrrho eſſe reſponſum:*

Ajo te Aeacida Romanos vincere poſſe?

Primum Latine Apollo numquam loquutus eſt: deinde iſta ſors inaudita Graecis eſt: praeterea Pyrrhi temporibus jam Apollo verſus facere deſierat: poſtremo, quamquam ſemper fuit, &c. Tertium eſt etiam apud Minutium Felicem: *De Pyrrho*, inquit, *Ennius Apollinis Pythij reſponſa confinxit, quum jam Apollo verſus facere deſiſſet* (verba Ciceronis expreſſit) *cujus tunc cantum illud & ambiguum defecit oraculum, &c.* Sic enim ibi, nō *cautum*, legendum monet V. CL. Theodorus Canterus, egregijs ingeni dotibus cumulatus in notis ad lib. iv. Arnobij contra Gentes, cui eamdem ibi vocem dextre reſtituit. Eadem reponenda forte Lucano lib. viii:

Minutius Felix Ciceronem exprimit.

Lucanus forte emendatus.

Noxia civili tellus Aegyptia fato,
Haud equidem immerito Cumanae carmine vatis
Cantum, ne Nili Pelusia tangeret ora
Hesperius miles, ripasque aestate tumentes.

Citat Ennianum hoc carmen & Auctor de Viris Inlustr. cap.XXXV : *Pyrrhus,* inquit, *rex Epeirotarum paterno genere ab Achille, materno ab Hercule oriundus, quum Imperium orbis agitans, Romanos potentes videret, Apollinem de bello consuluit. Ille ambigue respondit:*

Ajo te Aeacida Romanos vincere posse.

Hoc dicto in voluntatem tracto, auxilio Tarentinis venit, bellum Romanis intulit,&c. *Hoc dicto,* inquit, (ut illud obiter) Pacuvius in eadem re *hac dictione* dixisset. Auctor ad Herennium lib.II: *Item vitiosum est, quum id de quo summa controversia est, parum expeditur, & quasi transactum sit, relinquitur hoc modo:*

Auctor de Vir. Ill. explicatus

Dictum Dictio

Apertai fatur dictio, si intellegas;
Tali dari arma, qualis qui gessit, fuit,
Iubet, potiri si studeamus Pergamo.
Quai ego profiteor esse mea. Nam me aiquum est frui
Fraternis armis, mihique adjudicarier;
Vel quod propinquus, vel quod virtute aimolus.

Pacuvij haec sunt ex Armorum judicio. Ita scribendum primam horum versuum vocem non *Aperte,* indicarunt viri docti. *Apertae dictio* nihil aliud quam Apollinis oraculum. Festus lib.I: *Aperta idem Apollo vocabatur, quia patente cortina responsa ab eo dentur.* Pacuvius Duloreste apud Nonium cap.II.§.423:

Aperta

Pacuvius castigatus

Sed incertat me dictio, quin rem expedi.

Sic

Conjectura in Auctor. de Vir. Illustr

Sic emendo. Et fortean hac ſacra dictione uſus fuerat Auctor de Viris Illuſtribus, temerata temere poſtea ab Sciolis, qui nulli capiebant. Nihil adfirmo. Accedant oraculo firmando alij: Diomedes libro II: Ἀμφιβολογία *eſt vitio compoſitionis in ambiguo poſita ſententia,*

Ajo te Aeacida Romanos vincere poſſe.

Item: Certum eſt enim Antonium praecedere eloquentia Craſſum. Hic enim duo ſenſus vitio ambiguitatis carent proprietate, quum ſit incertum, ab Aeacida Romanos vinci poſſe, an ab Romanis Aeacidam. Similiter ab Antonio vinci Craſſum eloquentia, an a Craſſo Antonium. Iſidorus lib. I. cap. XXXIII: *Amphibologia, ambigua dictio, quae fit aut per caſum accuſativum, ut illud reſponſum Apollinis ad Pyrrhum:*

Ajo te Aeacida Romanos vincere poſſe;

In quo non eſt certum, quem in illo verſu monſtraverit eſſe victorem. Priſcianus lib. XVIII: *Sed auctores,* inquit, *frequentiſſime* ὑπερβατοῖς, *id eſt tranſitionibus utuntur, ut:*

Ajo te Aeacida Romanos vincere poſſe;

Eſt enim ordo: Ajo Romanos vincere te Aeacida poſſe, id eſt, quod Romani te poſſunt vincere: quod & naturaliter paſſiones ſecundae ſunt actionum, & actio in Romanis, paſſio vero in Pyrrho ſignificatur: ſed aptiſſimum maxime fuit reſponſo etiam in confuſione ordinis propriam oraculi obliquitatem ſervare. Adeundus & Velius Longus de Orthogr

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. Eodem

ET Pyrrhum Romanos, & Romanos Pyrrhum poſſe vincere

Aio

AIO 27.) Dictio haec Divis, humano generi ſecretius vel loquentibus vel reſpondentibus, propria videtur & familiaris.

miliaris. Hinc apud Livium lib.v. Vox illa, quae, noctis ſilentio, M. Ceditio homini plebeio; & paullo poſt M. Furio Camillo ajebat Gallos adventare; ſub AI LOCUTI nomine Aedem merita, in VIII. Urbis regione. Meminit Cicero lib. II. de Divinat. *At paullo poſt audita vox eſt monentis, ut providerent, ne a Gallis Roma caperetur, & ex eo Aio loquenti aram in Nova via conſecratam. Quid ergo? Ajus iſte loquens, quando eum nemo norat, ajebat & loquebatur, & ex eo nomen invenit: poſteaquam & ſedem & aram & nomen invenit, obmutuit?* Fere eſt, ut credã Ciceronem ſcripſiſſe. *At paullo poſt audita vox eſt monentis, ut providerent, ne a Gallis Roma caperetur; & ex eo* AJO LOCUTIO *Aram in Nova Via conſecratam. Quid ergo* AJUS *iſte* LOCUTIUS, *quando eum nemo norat, ajebat & loquebatur, & ex eo nomen invenit: poſteaquã & Aedem & Aram & Nomen invenit, obmutuit?* Et lib. I. de Divinat. *Nam non multo ante Urbem captam exaudita vox eſt a Luco Veſtae, qui a Palatij radice in Novam Viam devexus eſt: Ut muri & portae reficerentur: futurum eſſe, niſi proviſum eſſet, ut Roma caperetur. Quod neglectum quum caveri poterat, poſt acceptam illam maximam cladem explicatum eſt. Ara enim* AJO LOQUENTI, *quam ſeptam videmus adverſus eum locum, conſecrata eſt.* Lego: AJO LOCUTIO. Vide & Agellium lib. XVI. cap. XVII. Sic apud, Quintilianum *Siculi ajebant ſe in Delphico ſediſſe*, hanc vocis notionem reſpicientes

Ciceroni antiqua ſcripturae reddita

Iterum

AEACIDA 27.) Pyrrhus, ut & pater ejus Aeacides, frater Alexandri Magni, ſic dictus ab Aeaco, Iovis & Europae filio, qui pater fuit Pelei, avus vero Achillis. Ab Achille autem nobiliſſima ſerie per Achillis filium Pyrrhum, Pyrrhus

APTA XV

Gloſſarium FornerI: Πορyοφόρος, *Torridus. Ennius in* V:

Ennius apud Gloſſographum emendatus

Apta dato ſigno loca torridis elefantis
Explorant numeri

Nemo non videt legendum haec, & numerum reſtituendum: *πυργοφόρος, Torritus, Ennius in* VI:

Apta, dato ſigno, loca torritis elefantis
Explorant Numidae . . . .

& connectendum eadem cum ijs, quae apud Macrobium lib. VI. cap. I. ubi hoc Virgilij;

Quadrupedante putrem ſonitu quatit ungula campũ,

committit cum EnnI verſu:

Explorant Numidae, totam quatit ungula terram

Sunt ecce quaedam EnnI & Macrobio & Gloſſographo communia: niſi quod *Numeri*, lapſu facili, in Gloſſario; qui recte Macrobio *Numidae*. Ambigo tamen de fido connexu. *Portentum*, inquit V. N. Ioſephus Scaliger in ſuis ad me litteris, *adtribui vngulam Elefanto*. Vere. Non enim vngulae ſunt Elefantis, verum *digiti informes numero quidem quinque, ſed indiviſi ac leviter diſcreti, unguliſque non unguibus ſimiles, & pedes majores priores*, inquit Plinius libro XI. cap. XLV. Et ne *Numidae* apud Gloſſographum (apud Macrobium enim proculdubio tolerandi) nimis adrideant; ſcio etiam quid in re militari ſint *Numeri*. Poteſt item ut *vngula* hoc loco non Elefantis adtribuatur, ſed alijs, quarum in bellis uſus, belluis, quarum deſcriptio in proximis huic fragmento verſibus ſequebatur.

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. Eodem

APollinis dictio Pyrrho non fuit ambigua. Motus certe (ſi fides) tali reſponſo, non exſpectato

ctato Vere, vix exſpectatus in Italiam tranſportat validum exercitum & xx. Elephantos. Naufragium paſſus in Ionio mari, cum ingenti difficultate pedeſtri itinere Tarentum venit. Ibi (*teſte Zonara*) juventutem Tarentinam conſcriptam ſuis copijs (quod cauti ducis) immiſcet; Conventicula omnia, ne quid Tarentini rerum novarum molirentur, interdicit; ſuos portis praeficit; commeatũ, & omnia ad nobiliſſimum bellum neceſſaria imperat, milite civium aedes onerat: Sero ſapiunt Tarẽtini; poenitet societatis cum Pyrrho initae, cujus tyrannidem experiebantur: Praeterea reip. gerẽdae & populo tractando idoneos partim ablegat, partim clam tollit. Haec Tarenti. Romae ingens metus. Novi dilectus habentur; pecunia cogitur; ſociorum opida praeſidijs firmantur: Mittitur contra Pyrrhum & Tarentinos P. Valerius Laevinus cos. A Pyrrho tempus teritur auxilijs exſpectandis. Laevinus contra properat. Pyrrho terrorem injicit injecta per Speculatores mentio majoris alio loco exercitus: perculſus pugnam detrectat, pavorem tegens duplici velo: & quod Socij nondum conveniſſent; & quod Romanos in hoſtili agro frumentaria re ſperaret propediem laboraturos. Sciebat & hoc Laevinus, ideoque nihil quam properum cogitat conflictum: convocatum militem longa oratione ad pugnam hortatur, pu-

gnaturum cum Pyrrho vel invito. Abhorret quidem Pyrrhus, ne tamē metum proderet, ſuos etiam in praelium exſtimulat. Inſtruuntur utrimque acies. Laevinum fluminis tranſitu rex prohibet; &, aſtu tranſmiſſo flumen equite, ordines Romanorum primus turbat. Cos, flumine ſuperato, & ipſe ſummis viribus Epirotas adoritur, invadit, diſſipat. Regem, ſuis fugientibus ſuccurrentem, equo lapſum, perijſſe fama ſpargit. Hic Epirotis cadunt, creſcunt Romanis animi. Pyrrhus avortendae cladi, Veſtem inſignem dat Megacli induendam, eumq. circumvehi paſſim jubet, ut ſe vivere arbitrati hoſtes terrerētur; ipſe privati hominis habitu cum toto exercitu in Romanos invehitur. Pugna initio anceps, donec Megacle occiſo, Pyrrhus occiſus crederetur. Inſurgunt acrius Romani, cedunt hoſtes. Rex reſumtis ſummi ducis inſignibus pugnae fortunam mutat: dat ſignum Elephantis. Dato ſigno *(ut canit Ennius)* Numidae, qui praeerant, apta loca turritis belluis quaerunt; terra paſſim pedibus ſcinditur

Ennius in Gloſſ. correctus

TORRITIS 29.) Apud Fornerium legebatur *Torridis*, quod & Graeca vox & lex Carminis repudiabat. *Torritus*, poſteriori aevo *Turritus*. Sic Gloſſ. Benedicti πυργοφόρος, *Turrifer*

IT NIGRUM. XV

Servius ad IIII. Aeneid. ubi Virgil:

It ni-

It nigrum campis agmen, praidamque per herbas
Convectant . . . .

Hemistichium, inquit, *EnnI de Elephantis, quo ante dicto Attius est usus de Indis*

HISTOR. CONTINVAT

EXcitatus a Pyrrho novus hic Belluarum exercitus, & nigro agmine campis incedens, horrendo barritu, quem ipsae; & armorum sonitu, qué turribus impositi edebant; Romanam aciem inopinato metu concutit

AB. V. C. *Eodem*

BARRITU XV

Ennius apud Macrobium emendatus

Macrobius lib.vi.cap.1 :ubi puto corrupte legi:

Balatum pecudes quatit omnes arma requirunt;

quo enim sensu?

HISTOR. CONTINVAT

ROmani perterriti & perturbati, titubantes majores copias optant

AB.V.C. *Eodem*

TELO XVI

Citat Calpurnius Piso, quem plenius vide ad illud lib.III:

Deque totondit agros laetos, atque oppida cepit

Posteriora sunt etiã apud Servium ad 1. Aeneid. Virgilius:

Et multo nebulae circum Dea fudit amictu;

figura, inquit, τμῆσις *est, quum, secto uno sermone, aliquid interponimus, ut alibi:*

. . . septem subjecta trioni

Sed hoc tolerabilius est in sermone composito: ceterum in simplici nimis est asperum, quod tamen faciebat antiquitas, ut in illo EnnI:

. . . *Saxo cere comminuit brum.*

Et apud Donatum de Tropis: τμῆσίς *est,* inquit, *unius compositi aut simplicis verbi sectio, una dictione vel pluribus interjectis, ut:*

Talis hyperboreo septem subjecta trioni.

Donatus castigatus

Et (sic scribendum pro *E*)

. . . *saxo cere comminuit brum.*

Testatur item Hieronymus Columna hoc Hemistichium aperte ex Ennio adferri in Servio M.S. SertorI Quadrimani

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. *Eodem*

HOrrenda editur strages; corpora utrimque telis figuntur; capita, saxis impetita, comminuuntur;

Tetrosque XVI

Isidorus lib. x: *Teter ab obscura tenebrosaque vita. Teterrimus pro fero dixerunt, ut Ennius:*

. . . . *tetrosque elefantes*

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. *Eodem*

ET, desperatis rebus, tetros elephantes quum fugerent, partim occiduntur ab ijs, qui bestijs armati instabant; partim aut proboscidibus & dentibus conficiuntur, aut pedibus belluarum conteruntur. Infiniti etiam capti. Pyrrho haud incruenta haec victoria

Vor-

VORTITUR. XVI

Macrobius lib.VI.cap.I: *Virgilius:*

Vortitur interea coelum, & ruit Oceano nox.

Ennius in VI:

Vortitur interea coelum cum ingentibu' signis.

Quale coelum habeat corpus, qualem motum, an sphaericam an vero globosam formam habeat, docent Philosophi apud Iustinum Martyrem

HISTOR. CONTINVAT

VIx unus evasisset, nisi nox praelio finem *(ut scribit Eutropius)* dedisset; & *(quod alij notant)* unus elephantus, vulneratus regrediens, barritu suo ceteros disturbasset. His enim de caussis Pyrrhus finem persequendi fecit; & Romani, flumine superato, in opidum quoddam Apuliae pervenerunt AB.V.C. *Eodem*

TUM CUM CORDE. XVI

Laudatur hoc fragmentum Macrobio lib.VI.cap.I. ex EnnI VI.praemisso VirgilI versu:

Conciliumque vocat Divum pater atque hominũ rex.

Posteriora versus Enniani etiam legere est apud M.Terentium Varronem lib.IV. de L.L.& M.Tullium Ciceronem de natura Deor. lib. II. quae tamen non male posui lib.I. Hujusmodi enim Hemistichia saepe solent repeti a poetis. Vox *Ecfatur*, quae apud Macrobium alterum EnnI carmen ordiebatur, invisa credo meis librarijs; vel incuria quadam a me autographo fuit omissa

HISTOR.

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. *Eodem*

TAnta fuit Romanorum clades, ut Iuppiter *(hoc enim dicam cum poeta)* misertus lanienae, quae edebatur ab Epirotis in Romanos, visus fuerit noctem maturare, ut tandem receptui caneretur. *Hoc scilicet est Conjecturare: nihil adfirmo*

Nec mi XVI

M. Tullius de Offic. lib. 1: *Pyrrhi quidem de captivis reddendis illa praeclara sententia,* inquit,

Nec mi aurum posco, nec mi pretium dederitis,
Ferro non auro vitam cernamus utrique,
Virtute experiamur, & hoc simul accipe dictum:
Eorumdem me libertati parcere certum est:
Nec cauponantes bellum sed belligerantes
Vosne velit an me regnare hera quid ferat sors,
Quorum virtuti belli fortuna pepercit,
Dono ducite, doque volentibus cum magnis Dis.

Regalis sane & digna Aeacidarum genere sententia. Omnes EnnI versus adscripsi, turbatiori, qui in nonnullis Editionibus, ordini indicando

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. *Eodem*

ROmani, accepta clade moesti, supplementum Laevino mittunt. Is, qui saucij, curatis; qui dispersi, collectis; qui ab urbe missi, suo exercitui admistis; Pyrrhum persequitur. Hic potiundae Capuae spe frustratus, Romam populabundus properat,

perat, inde in Etruriam: hinc, quum audiret Tiberium, ab Senatu ex Etruria revocatum, ſibi obviam ire; Laevinum vero ſequi a tergo, ne in ignota regione circumveniretur, recedit. Campaniae fines ingreſſo occurrit Laevinus cum exercitu multo majore, quam ſuperiore praelio habuerat. Inſtructa acie Pyrrhus praelio abſtinet, infauſta auſpicia cauſatus; &, motis caſtris, Tarentum redit. Eo Senatus Q. Fabricium Legatum ad Pyrrhum mittit de captivis redimendis. Rex non ſolum Fabricium in ſummo habet honore; verum etiam ſine pretio captivos remittit

NEC CAUPONANTES 14.) Ennius Aeſchylum in Septem ad Thebas imitatus: *Ennius Aeſchylum imitatus*

Ἐλθὼν δ' ἔοικεν οὐ καπηλεύσειν μάχην

Sic Herodotus de Germanis: τὴν εἰρήνην ἀεὶ χρυσίῳ πρὸς Ρωμαίους καπηλεύοντες. Quid καπηλεύειν μάχην Graecis, Latinis vero Bellum Cauponari exponit docte Vir doctiſſimus Gulielmus Canterus Novarum III. cap. IX

SED 14.) Teſtatur Victorinus Antiquos *Set* pro *Sed* ſcripſiſſe

BELLIGERANTES 14.) Gloſſar. Benedicti: *Belligerat* πολεμεῖ; & Fornerl, Πολεμοῦντες, *Belligerantes*

FERRO NON AURO VITAM CERNAMUS 15.) Virgilius XII. Aeneidos:

. . . . stupet ipse Latinus
Ingentes, genitos diversis partibus orbis,
Inter se coiisse viros, & cernere ferro . .

ubi Servius: *Vera & antiqua est lectio. Nam Ennium sequutus est, qui ait:*

Olli cernebant magnis de rebus agentes:

Et idem:

Ferro, non auro, vitam cernamus uterque.

Noster item in Hectoris Lutr. apud Nonium cap. XI. §. II:

. . . . severiter
Fortuna ferrI cernunt de Victoria.

Vitam sub armis cernere dixit etiam in Medea apud M. Terentium, γέροντος διδασκάλου, quē citat Nonius cap. IIII. §. 69:

Ter sub armeis malim vitam cernere,
Quam semel modo parere . . .

Versus sunt Trochaici Trimetri Catalectici. Eleganter etiam Graeci dicunt κρίνειν τὸν πόλεμον, καὶ διακρίνειν

Ennium exprimit Virgilius

VOSNE 16.) Imitatus fortean Ennium Virgilius lib. XI. ubi Aeneas Latinorum Legatis respondet:

Vixet, cui vitam Deus, aut sua dextra dedisset.

Ibi Servius: *Victoriam aut Fortunae voluntate, aut Virtute constare notat*

HERA 16.) *Fors* Graecis τύραννος τύχη. Monet ad Catullum cap. VII. eruditi patris proles erudita

Iterum

QUIDVE FERAT FORS VIRTUTE EXPERIAMUR 16.) Virgil. lib. XII. paullo post superiora:

. . . Fors & Virtus miscentur in unum

FORS

FORS 16.) Sic legendum non *Sors*. Saepe apud Auctores degeneravit *Fortis* vocabulum in *Sortis*. notavi alibi *Ennius apud Cicer. restitutus*

HORUMDEM. 19.) Veram lectionem arbitratur V.N. Iosephus Scaliger, quae in Vulgatis, *Eorumdem.* Talia sunt apud alios poetas non pauca. Virgilius in Bucolicis:

Uno eodemque igni, sic nostro Daphnis amore.

XII. Aeneidos

Uno eodemque tulit partu, paribusque revinxit.

Propertius lib. IIII:

Eosdem habuit secum, quibus est elata, capillos;
Eosdem oculos, lateri vestis adusta fuit.

Vitiosi codices habent *Hosdem*. Sic Calpurnius Ecloga IV:

Rupe sub hac eadem, quam proxima pinus obumbrat

PARCERE 19.) Virgilius lib. XII. Aeneid.

Gnatis parce tuis . . . . . .

Ad eum locum Servius: *Parce est secundum antiquos Serva, ut apud Lucilium & Ennium invenitur*

DOQUE VOLENTIBUS 20.) Plautus Milite Glorioso; Sc. Quid modi, ubi Pyrgopolinices: *Ennium imitati Plautus*

Mea, non illorum dedi: parvi ego illos facio.
Agite, ite, cum DIs bene volentibus.

Augustinus de Civit. Dei lib. II. cap. XI: *A quibus cernebant Deorum vitam, eisdem ipsis DIs volentibus & libentibus, carpi* *Augustinus*

MAGNIS DIs 20.) Virgil. III. Aeneidos: *Virgilius*

. . . . . . *feror exsul in altum,*
Cum Sociis, Natoque, Penatibus & Magnis DIs.

ubi, qui *magni DI*, docet Servius

QUO VOBEIS XVI

M.Tullius de Senectute: *Ad Ap. ClaudI senectutem accedebat etiam, ut caecus esset : tamen is, quum sententia Senatus inclinaret ad pacem & foedus faciendum cum Pyrrho, non dubitavit dicere illa, quae versibus persequutus est Ennius:*

Quo vobis mentes rectae quae stare solebant
Antehac, dementi sese flexere ruina?

Ceteraque gravissime. Notum enim vobis carmen est : & tamen ipsius Ap. exstat oratio

HISTOR. CONTINVAT

AB.V.C. *Eodem*

QVin & Pyrrhus Cineam Legatum Romam mittit de componenda pace : eam, majore jam Senatus parte flexa, Ap. Claudius Caecus, probis probatus potius, quam multis; *(ut Attius loquitur in Epinausemache)* nec prece, nec pretio, nec vi, nec amicitia, in sinisteriorem sententiam impelli quitus, vehementissima oratione dissuadet

QUO VOBIS MENTES 23.) Latina ClaudI oratio exstabat tempore Ciceronis, quod ipse non uno loco testatur. Graeca est apud Plutarch. in Pyrrhi vita: ubi eadem haec: πῦ γὰρ ὑμῶν ὁ πρὸς ἅπαντας ἀνθρώπους θρυλλούμενος ἀεὶ λόγος? Solutis verbis erat scripta, teste Isidoro lib. I. cap. XXXVII

Ennius suae integritati redditus

RECTE STARE 23.) Elegantia ἀντίθετα: *Rectae stare, flectere se; Mentes dementes*, male *dementi*. Sic γάμοι ἄγαμοι; *Nuptiae innuptae*. Propius accedit *Mens clemens* apud Laberium qui de se:

Quem

Quem nulla AmbItio, nulla umquam LargItio,
Nullus Timor, Vis nulla, nulla Auctoritas,
Movere potuit in Iuventa de statu:
Ecce in Senecta, ut facile labefecit loco,
Viri excellentis mente clemente edita,
Submissa placide blandiloquens oratio

VIAI 24.) Sic scribenda haec vox. Alij legunt *Via*, & dicunt versum Diphilium. Alij, quasi sanaturi claudicantem Ennium, *ruina* *Iterum*

SED QVID XVI

Donatus in TerentI Phormionem, Act. V. Scena IV:

Quam scitum est ejusmodi parare animo cupiditates;

Venuste, inquit, *additum est Animo. Ennius in sexto:*

Sed quid ego haec animo lamentor?

Non mihi dubium, quin ex eadem AppI oratione

ORATOR. XVI

Varro lib. VI. de L. L: *Ennius:*

Orator sine pace redit, regique refert rem;

Orator (addit Romanorum doctissimus) *ab Oratione dictus. qui enim verba haberet Orationum publice adversus eum, quo legabatur, ab Oratione Orator dictus*, &c

HISTOR. CONTINVAT

ORatione ista motus Senatus, eodem die Cineam urbe excedere jubet, & Pyrrho bellum indicit. Sic ille ἄπρακτος & sine pace redit ad regem, regique refert rem omnem *AB. V. C. Eodem*

DECRETUM XVI

M. Terentius lib. VI. *Apud Ennium*, inquit:

. . . Decretum est fossare corpora teleis;

hoc verbum EnnI dictum a Fodiendo: a quo Fossa

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. *Eodem*

INter alia Romanis decretum, certum & obstinatum esse, persequi potius, & ad exitum, quem sperarent, & Deos daturos confiderent, perducere bellum, gestum hactenus & gerendum porro justissimas ob caussas, quod prius lacessitis fas, vim vi repellere; potiusque corpora sua mille periculis objectare;

DUM QUIDEM

Docet in fine Addendorum Catalogus hunc versum hoc loco scribendum. Praeit vir magnus, Hieronymus Columna, qui commodissimo sensu superiori connectit. Doctissima ejus ad poetam nostrum Commentaria visa mihi aliquo post edita jam a me fragmenta: alioquin, illo monente, motus facile fuissem, ut huc adscriberem. Citat Festus lib. de Verbor. sig. XVII: *Superescit*, inquit, *significat supererit. Ennius:*

Dum quidem unus homo Romae toga superescit

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. *Eodem*

DVm obsistendi Vires DI dabunt, atque adeo unus aetate militari homo Romae supererit; quam iniquas & populo Ro. indignas pacis conditiones accipere.

CCCCLXXIV Sequenti anno, vere ineunte, *(ut scribit*

scribit Zonaras) invadit Pyrrhus Apuliam. coss. P.
Sulpicius & P. Decius ad Asculum castra adversus
illum ponunt. Trajecto flumine, signa conferun-
tur. utrimque XL millia militum. Pulsis initio Grae-
cis, Pyrrhus, Elephantis inmissis, Equitatum Roma-
num profligat. Interea Appuli, Epirotarum castra
ingressi, Romanis Victoriam adferunt. Elephanti
plerique interfecti; xx. millia hostium caesa; Pyrrhus
cum multis alijs vulneratus, propter commeatus &
medicamentorum inopiam, Tarentum: Romani,
amissis quinque millibus, caeso etiam Decio, in hi-
berna per urbes Appuliae discedunt. Tarenti in se-
quentem annum omnia ad renovandum praelium
parantur; milites & pecuniae toti Epiro imperan-
tur. Bellum decernitur novis Coss. C. Fabricio Lu- CCCCLXXV
scino, & Q. Aemilio Papo. Eos adit Nicias, qui Pyr-
rho fidus putabatur, pollicitus se dolo regem inter-
fecturum. Fabricius id aegre ferens, Pyrrho insi-
dias indicat; qui, tanta humanitate motus, iterum
gratuito captivos remittit, & pacem secundo per
Legatos petenti respondet Senatus; egressus Italia
de pace ageret. Vocatus a Syracusanis in Siciliam
redit, relicto Milone, qui Tarentum & reliqua Ita-
liae loca tueretur. Fabricius, victis Bruttijs, Taren- CCCCLXXVI
tinis, & Lucanis, triumphat. Absente Pyrrho, C.
Iunius Bubulcus partem Samniticae regionis vastat.

P.Cor-

CCCCLXXVII P.Cornelius Rufinus Lucanos & Bruttios adfligit, Crotonem, quae defecerat, arte recuperat, Locri ad Romanos se conferunt

Dum quidem unus) Similes versus alibi indicabo

Ennius apud Festum integrior

Roma tota) In Vulgatis Festi exemplaribus legebatur: *Romae toga.* Paullo Diacono mutilatori *Toga* deest. Potuit & scripsisse Festus: *Romae toti*

Superescit) Consulendus omnino Obertus Gifanius ad Lucretium in *Escit*

Qui potis XVI

Macrobius lib.VI.cap.I.conferens cum hoc VirgilI:

Et mecum ingentis oras evolvite belli.

Diomedes lib.I: *Ex eodem etiam Potis dicebant. Item potis est, pro potest, ut apud Ennium:*

Qui potis ingentes caussas evolvere belli.

Diomedes correct.

Lege: *Item potis pro potest: ut apud Ennium:*

Qui potis ingentes oras evolvere belli:

Corrigendus & Quintilianus lib.VI. cap.IV. de Cicerone: *Quum Sex. Annalis testis reum laesisset, & instaret idemtidem accusator ei: Dic M. Tulli, numquid potest de Sex. Annali? Versus tunc dicere coepit de libro EnnI Annali sexto:*

Qui potis ingentes caussas evolvere belli.

Quintilianus emendatus

Oras scriptum fuisse apud Ennium, non *caussas*, docent omnia exemplaria VirgilI, quem cum Ennio committit Macrobius; docent & similia, quae docui libro II

HISTOR.

HISTOR. CONTINVAT

Q. Fabio Gurgite, C. Genucio Clepsina coss, [AB. V. C. CCCCLXXVII] quo anno magna aeris infecti contagio, continuatum est bellum cum Samnitibus, Lucanis & Bruttijs, contra quos res prospere gestae. Victoria talis, ut Tarentini ac Samnites, rebus suis diffisi, Pyrrhum (qui solus videbatur potis, *ut indicat Ennius*, ingens bellum finire) ex Sicilia revocarint: quo reverso bellum renovatum. M'. Curius Denta- [CCCCLXXVIII] tus & L. Cornelius Lentulus coss. exercitum contra Samnites & Lucanos adducunt. Pyrrhus Locros recipit: a Rhegij oppugnatione depulsus vulneratur, multo milite amisso: inde in Locridem profectus, Tarentũ redit. Revocatus in auxilium a Samnitibus, in campis Aurusinis ad Beneventum in fugam a Curio conjicitur. Romani, multis occisis, & VIII. Elephantis captis, castris potiũtur. Pyrrhus cum paucis refugit Tarentum; inde in Epirum navigat, Milone cum praesidiario milite Tarenti relicto. Curius Romam redit triumpho, quo nullus umquam fuerat pulcrior, aut speciosior. Tarentini, Nicone duce, in Milonem, a quo male erant habiti, impressionẽ faciunt; &, quum Romanos adversus se bellum parare cognovissent, Legatis Romã missis, pacẽ impetrant

QUI POTIS 34) Similia vide apud V. CL. Antonium Muretum ad Catullum

Anionem. XVI

Servius ad VII. Aeneidos. Virgilius:

Quique altum Praeneste viri, quique arva Gabinae
Junonis, gelidumque Anienem, & roscida rivis
Hernica saxa colunt . . . . . .

Anio, inquit interpres, *haud longe ab urbe est: sed hic Euphorium sequutus est. Nam Ennius Anionem dixit secundum regulam.* Loquitur Ennius de Aniene vetere in urbem ducto, ab M'. Curio Dentato. Sic enim auctor de VV. Inlustrib. cap.XXXII: *Aquam Anienem* (loquitur de Curio) *de manubijs hostium in urbem induxit.* Tempus indicat Frontinus his verbis: *Vetus Anio post annos* XL. *quam Appia, perducta est, anno ab* V.C. CCCCLXXXI. *M'. Curius Dentatus, qui Censuram cum L. Papirio Cursore gessit, Anionis, qui nunc dicitur Vetus, aquam perducendam in urbem, ex manubijs de Pyrrho captis, curavit Sp. Carvilio, L. Papirio coss.* Vide huc Aldi ManutI Quaesita per Epist. ubi de Aquis in urbem Romam olim fluentibus

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. CCCCLXXXI

ANno CCCCLXXXI. (quum paullo ante Ptolemaeus Aegypti rex amicitiam cum Romanis pepigerat) Samnites, qui cum Romanis per annos LXXI. bellarant, per Sp. Carvilium subacti; Lucani cum Bruttijs victi; & Tarentini, (qui, Pyrrhi morte comperta, nova contra Romanos arma solicitabant) a L. Papirio Cursore, Milonis proditione, domiti; magnaque pars Italiae in potestatem populi Ro. redacta. Eodem tempore a M'. Curio Dentato

tato

tato Anienus de manubijs hostium in urbem est perductus

BRUNDISIUM XVII

Agellius lib.vi. cap.vi: *Quur autem non quoque Ennium reprehendit,* (loquitur de Higino) *qui in Annalibus, non ut Virgilius Pennas Daedali praepetes, sed longe diversius, inquit:*

Brundisium pulcro praecinctum praepete portu

HISTOR. CONTINVAT

ANno ccccLxxxv. cum Picentibus bellum susceptum. Missi contra eos P.Sempronius Sophus & Ap.Claudius Rufus. Domitis & victis pax data. AB. V. C. ccccLXXXV Sequente anno Picentibus additi Salentini: ccccLXXXVI caputque regionis Brundisium, pulcro & incluto portu, *(ut canit Ennius, & scribit L.Florus)* M.Attilio duce, in deditionem acceptum. *(Zonaras notat hunc portum ad trajiciendum ex Illyrico & Graecia adeo commodum, ut eodem vento in eum accedere, & solvere inde liceret.)* His accedunt Sassinates & cccc LXXXVII Messapij, qui victi a D. Iunio Pera, & N. Fabio Pictore. Mox opem per Legatos clam a Romanis cccc LXXXVIII implorant Vulsinij contra servos, qui, conversis ad delicias dominis, petulantius dominabantur, translata in se rep. Exercitum contra eos adducit Q. Fabius Gurges; qui ad opidum ex vulnere occumbit. Servi obsessi tandem ob cibariorum inopiam Decio Muri se dedunt: qui dominis suis magistratus

ademerant, excoriati necantur; urbs evertitur; Indigenae & Servi, qui in dominorum fide manserant, alibi collocati

BRUNDISIUM 2.) Vera haec hujus vocis scriptura. Nummi veteres *Bryndisium* appellãt: hodieque *Brindisi* vocatur. *Brinde* nuncupant, ad annum CIↃ IↃ XXXVIII. mens. Sept. ubi de expeditione Andreae Auriae cõtra Barbarossam, Ephemerides Karoli V, quae apud me incomparabilis Thesauri instar & tamquam regula, ad quam absque ullo scrupulo emendare soleo nostrae aetatis Historiographorum errores in notandis temporibus. In isthoc enim volumine satis magno, quid Imperator Karolus singulis diebus privatim & publice gesserit, vel suo ductu vel suis auspicijs; diligentissima manu perscriptum, Gallico idiomate, ab viro magni nominis, qui ab anno CIↃ IↃ XIV. usque ad XXVII. Aprilis anni CIↃ IↃ LI. Caesarem quovis locorum est sequutus, quod aliquando plenius parebit ex Actis nostri Seculi Diurnis, quae ordior ab anno CIↃ IↃ. quo Karolus natus; usque ad CIↃ IↃC. progressurus, si a Deo mihi vita & valitudo. Pergo ad Ennium: Βρενδέσιον est Ptolemaeo. Βρεντέσιον Graecis per T scribi auctor est Stephanus. *Brundisium*, inquit Paullus Diaconus ex Festo, *quidam Poetae brevitatis caussa Brendam dixerunt.* In alijs libris *Brundam* scriptum reperio. Est autem πιταχισμὸς in hoc versu

Varietas scripturae in Paullo Diacono

SOLFUREAS XVII

Priscianus lib. VI: *Sed Nar servavit A productam etiam in obliquis casibus Ennius in* VI. *Annal.*

Sulphureas posuit spiramina Naris ad undas.

Plinius Natur. histor. lib. III. cap. XII: *Nar amnis exhaurit illos* (Velinos lacus) *sulphureis aquis.* Virgil. VII. Aeneid:

audijt

. . . . . audijt amnis
Sulphurea Nar albus aqua . . .

ubi Servius: *Sulphurea,* inquit, *sulphurei saporis; vel sulphurea, subviridi.* respicit ad vivum Sulphur, quod Plinio lib. xxxv. cap. xv. translucet & viret. Lux hinc eidem Plinio lib. xxxi. cap. iv: *Quaedam terrae imbribus sicciores fiunt, velut in Narniensi agro, quod Admirandis suis inseruit M. Cicero, siccitate lutum fieri prodens, imbre pulverem.* Sulphur, quod ijs in locis, hoc facere, facile vident Physici. De Sulphuris vi & effectis multa Plinius capite, quod indicavi, xv. Nescio an Ennius hoc fragmentum adscripserit ijs, quae forte commemoravit in suis Annalibus de *Narnia* Colonia deducta. Livius lib. x. M. Fulvio Paetino, T. Manlio Torquato coss. anno ab v.c. ccccLv: *Nequinum,* inquit, *in ditionem populi Ro. venit: Colonia eo adversus Umbros missa, a flumine Narnia appellata.* Legendus idem Livius libris xxvii. & xxix. itē Plutarchus in T. Quinctio. Quo si fragmen hoc, quod facilis persuadeor, sit referendum, necessario mutandus erit Senarius, qui apud Priscianum libri Annalium index, in Quinarium. Nam si Coloniae istius ad Narem positae meminerit Ennius; fecit hoc indubie libro v. quo persequutus gesta populi Ro. ab anno ccccxiii. aut circiter, usque ad ccccLxii. Atqui anno, ut dixi ex Livio, ccccLv. Coloni eo missi

Lux Plinio

& Ennio

Priscianus emendatus

LUMEN XVII

Sex. Pompeius Festus libro de verbor. signif. xvii: *Scitum populi,* & quae multa ibi cum suis lacunis sequuntur. Supplent docti viri ab ingenio omnia, praeter haec Ennij. Conatus ego saepe perdita hic revocare, sed conatus fuit irritus. Certum autem describi hoc loco nocturnum, ab cos. aliove auctoritate praedito factum, iter. Luminum & Facium usus in nocturnis itineribus conficiundis. A. Hirtius,

Lumina iter facientium

ſive quicumque libelli de bello Africano auctor: *Getuli ex equitatu regio nobiliores equitumque praefecti, quorum patres cum Mario ante meruerant, ejuſque benificio agris finibuſque donati, poſt Sullae victoriam ſub Hyempſalis regis erant poteſtate dati; occaſione data; nocte, jam luminibus accenſis, cum equis calonibuſque ſuis circiter* CIↃ. *perfugiunt in Caeſaris caſtra, quae erant in campo proxime Uzitae locata.* Idem aliquanto poſt: *Circiter noctem, luminibus accenſis, Uticam venit,* (loquitur de Caeſare) *atque extra opidum ea nocte manſit.* Suetonius in Caeſare cap. XXXI: *Et quum, luminibus exſtinctis, deceſſiſſet via, diu errabundus tandem ad lucem duce reperto, per anguſtiſſimos tramites pedibus evaſit.* Privati has faces ſibi praeferebant. M. Terentius Varro lib. I. de re ruſtica, cap. XIV: *Primum naturale ſepimentum, quod obſeri ſolet Virgultis aut Spinis, quod habet radices ac Vivae Sepis, praetereuntis laſcivi non metuet facem ardentem.* Servos iſti fini alebant locupletiores & qui lautioris rei. Suetonius Auguſt. cap. XXIX: *Tonanti Iovi aedem conſecravit, liberatus periculo, quum in expeditione Cantabrica per nocturnum iter lecticam ejus fulgor perſtrinxiſſet, ſervumque praelucentem exanimaſſet.* Lux ab hoc ritu Lucano lib. V. Belli Pharſalici:

Lux Lucano

Nec non Iliacae numen quod praeſidet Albae
Haud meritum Latio ſolemnia ſacra ſubacto,
Vidit flammifera confectas nocte Latinas:

Flammiferam noctem eleganter appellat poeta, quod, qui ſacrificatum proficiſcerentur noctu, faces praeferre ſoliti

AGASO 7.) Vide Paullum Diaconum ad Feſti lib. I. Gloſſarium: *Agaſo,* δοῦλος ἐπὶ κλήνεσιν, ut emendat, emendantium princeps, Ioſephus Scaliger

PAVLLI

PAVLLI G. F. P. N. MERVLAE COMMENTARIA IN

Q. ENNI

POETAE ANTIQVISSIMI FRAGMENTA ANNALIVM

LIBRI VII

ANteaquam hujus libri fragmenta meo Commentario inluſtrem, explicandus mihi paucis locus M. Tulli Ciceronis in Bruto ſeu de Claris Oratoribus, ubi ſic ſcribit: *Sit Ennius ſane, ut eſt certe, perfectior: qui ſi illum,* (Naevium) *ut ſimulat, contemneret; non, omnia bella perſequens, primum illud Punicum acerrimum bellum reliquiſſet. Sed ipſe dicit, quur id faciat,*

. . . . ſcripſere, inquit, alij rem
Verſibus . . . .

& luculente quidem ſcripſerunt, etiamſi minus, quam tu, polite. His verbis Orator innuit bellum Punicum primum ab Poeta noſtro nõ fuiſſe in Annalium monimenta relatum. Cauſſam addit, quod copioſe illud delineatum animadverteret ab Naevio Ennius, & quaſi ſupervacuum arbitraretur ſuis ſcriptis admiſcere, quae non multo ante ab alio litteris erant prodita. Locus, me Deus, non parum torquens verſatos in EnnI, quae ſuperant, Annalium fragmentis. Inveni ego non paucas apud Grammaticos Enniani naufragij tabulas, quae neceſſario de bello Punico I. ſunt exaudiendae. Incertas, quas hoc in libro pulcerrimae navi, quamtum fieri pote, reſtaurandae, collocavi, non attingam: certas movebo; poetae ab iſtius belli deſcriptione ditando. Nullus video, cui fini ab Ennio cãtata, niſi quem dixi,

dixi, quae xvii.folio, lineis 27, 29, & 35. Paratur enim ibi Claſſis, qua primum mari Poenos erat adgrediundum. Non ſatis liquet,quo referenda, niſi huc, quae xviii. 13, & 15. Docentur enim rudimenta artis nauticae contra Poenos Romani milites. Parum conſtat, qui capiunda, ſi bellum illud chartis ſuis poeta non commiſerit, quae xix. 3, 8, 10. Expeditio enim deſcribitur contra Poenos, quae omnium prima, navalis. Minus compertum habeo quo modo intellegenda, ſi bellum hoc omiſſum, quae xix.16. Depinguntur enim Effecta navalis pugnae. Latet denique, quo trahendum, ſi non huc, nobiliſſimum, quod nocturnis Agelli curis debemus, fragmentum, xx.13. P.Servilius ibi nominatur. Fuit autem hic Conſul cum Aurelio, anno ab v.c.ɪↄv. qui fuit belli Punici I. excitati quidē annus xviii. ſuſcepti vero xvii. Pax enim data Poenis anno ɪↄxii. An non haec contra Ciceronem clamant ab Ennio I. contra Poenos bellum ſcriptis fuiſſe ad poſteritatem tranſmiſſum. Et tamen qui potuit falſum dicere Cicero, cui Ennius (quod infinitis locis probatur) non ſolum familiaris admodum, ſed in delicijs plane fuit? Ego ſic

Cicero illuſtratus

cenſeo: Ciceronem non omnino dicere & conceptis verbis velle, bellum hoc ab Ennio non ſcriptum; ſed innuere, non omnibus illud coloribus; quemadmodum cetera, ab generoſo populo geſta; adumbratum: non adumbraſſe quidem, inquam, quod in eo totus fuiſſet Naevius; ſcripſiſſe tamen obiter, ne opus coeptum & rerum narratio, ejectis multorum annorum actis, temere interrumperetur. Scribit igitur hoc libro, qui ordine ſeptimus, Q. Ennius, ne Cicerone quidem reclamante, bellum Punicum I. cujus, quod ſequitur, non principium, fere tamen ſed primum fragmentum

POINOS. XVII

Priſcianus lib. vi: *Quod autem Ionis, Didonis & Calypſonis dicitur,*

citur; *ostendit hoc etiam Cesellius Vindex in Stromateo his verbis: Calypsonem ita declinatum esse apud Antiquos. Livius:*

Apud nympham Atlantis filiam Calypsonem.

Ennius in VII. (is enim numerus pro VIII. restituendus) *Priscianus correctus*

. . . *Poenos Didone oriundos*

Attius in Ione:

Custodem adsiduum Ioni instituit virgini.

Citat etiam Probus, ad Virg. Georg. voce tamen media mutata: *Tyrus enim Sarra quandoque dicta est, ut Homerus docet, quem etiam Ennius sequitur auctorem, quum dicit:*

. . . *Poenos Sarra oriundos.*

Utraque scriptura proba, an tamē unius ejusdemque loci, ambigo. Varie videntur describi ab Ennio Poeni. Tyrij Tyro, quae & Sarra, oriundi ex Phoenicia, duce, quod nonnulli volunt, Didone, in Africam sunt profecti, Poenique dicti Carthaginem condiderunt. Quod Tyrus, Sarra; testantur etiam Agellius lib. XIV. Noct. Attic. cap. VI. & Paullus ad Festi libr. de verb. significat. XVI. apud quem in Antiquioribus libris legitur: *Starta Epiros insula:* male; sit etiam, quae Epirus olim, hodie, scribentibus Richerio & Aenea Silvio, *Larta*. *Sarra*, fortean & *Tyrus*, vox Hebraica. Nam Metropolis illa Phoeniciae צור Hebraeis. Erat enim haec urbs in Petra sita. Elegantissima est παρονομασία apud Prophetam Zachariam cap. IX: ותבן צור עציר, *Et construxit Tyrus munitionē*. Hebraeis igitur *Sor* vel *TZor*; unde *Sarra* Latinis, & forte, variante Hebraici vocabuli pronunciatione, *Tyrus*. Non multum abit ab vetere appellatione, qua hodieque vocatur *Tsuri*. Fere est, ut erret Servius ad illud Virgilij Georg. lib. II:

Tyrus, Sarra

Varians apud Paullum lectio

Servi error

Hic petit excidijs urbem, miserosque penates,
Ut gemina bibat, & Sarrana dormiat ostro.

 id est,

id est Tyria, inquit, *purpura, quae enim nunc Tyros dicitur, olim Sarra vocabatur a pisce quodam , qui illic abundat, quem lingua sua, Sar, appellant.* Sar quidem πολύσημον; mihi tamen nusquam in Hebreorum monimentis *Sar* piscis occurrit. Bellum contra Poenos a Romanis gestum scripturus Ennius, ante omnia boni & fidelis historiographi leges sequutus, aperit eorum, primo fragmento, originem; reliquis nonnihil morum; secundo quidem, in rebus sacris; tertio, publicis; quarto vero privatis. De Karthaginiensium origine multa apud Iustinum ex Trog. Pomp. XVIII. & alios

POINEI. XVII

Festus lib. XIV: *Puelli*, inquit, *per diminutionem a pueris dicti sunt. Itaque & Ennius ait:*

Poeni soliti suos sacrificare puellos.

Nonius Marcellus cap. III: *Puellos, pueros. Ennius* (praemissis Varronis, Lucilij & Lucretij verbis)

Ille suos Divis mos sacrificare puellos.

Ennius apud Festum & Nonium castigatus

Si idem EnnI locus utrique lectus, legendum utrobique:

Poeni sunt soliti sos sacrificare puellos
DIveis . . . .

Poenorum sacrificia

Poenis, adversis & desperatis rebus, solemne erat & in more positum, homines, ut victimas, immolare, & Impuberes (quae aetas etiam hostium misericordiam provocat) aris admovere, pacem Deorum puerorum sanguine exposcentes, pro quorum vita DI rogari maxime solent. Testantur Diodorus lib. XX. Iustinus lib. XVIII. Orosius libro III. cap. VI. Sacrum illud, vel verius Sacrilegium, ad excidium usque urbis suae fecisse Karthaginienses, scribit Q. Curtius Rufus lib. IV. Multa fructus plena & volupta-

tis, si

tis, si quae voluptas in tanto scelere, in hanc rem collegit doctissimus & infinitae lectionis vir Hieronymus Columna ad lib. 1. Annalium ad versum EnnI:

Ille suos DIveis mos sacrificare puellos

POINEI 15.) Nescio an hunc EnnI locum designet Festus lib. XIV. de verbor. sig. in voce *Punici*

SOS 15.) Sic Ennius lib. 1:

Constitit inde loci propter sos DIa Deorum

PUELLOS 15.) Ad hoc EnnI respicit fortean Glossarium Vetus: *Puellus*, παῖς ἀρχαιος; Lego: παῖς ἀρχαίως, Nonium sequutus, qui *Puellos*, antiqui; *Pueros*, posterioris aevi exponit. Alioquin *Puellus* παιδίον

Glossarium correctum

POINEI XVII

M. Terentius Varro lib. IV. de LL: *Milites stipendiarij ideo, quod eam stipem pendebant. Ab eo Ennius:*

. . . Poeni stipendia pendunt:

Videtur Ennius principio lib. VII. quaedam etiam scripsisse de Karthaginiensium moribus in re militari & bello gerendo; nonnihil de stipendiorum ratione adjecto

TUNICATA XVII

Nonius cap. XIIII. quod de genere vestimentorum: *Tunica*, inquit, *est vestimentū sine manicis. Ennius probro Karthaginiensium tunicatam juventutem voluit dicere.* Est qui Tragoediā in voce *Probro* excitavit; cetera, quae NonI, Ennio adsuens. Huc pertinet Plautus, apud quem in Poenulo. Sc. Quis pultat, recte a Milphione servo Hanno Karthaginiensis appellatur *homo tunicatus*. Hoc fragmentum, ni fallor, ad privatos Poenorum mores pertinet

Fragmentorum EnnI collector notatus

Plautus inlustratus & Ennius

IUPPITER

Servius ad illa VirgilI 1. Aeneidos:

Progeniem (ſed enim Trojano a ſanguine duci
Audierat, Tyrias olim quae verteret arces)

Audierat, inquit, *a Iove aut fatis. Non enim omnia numina habent divinandi poteſtatem: denique ne ipſe quidem Apollo ſua ſponte divinat, ut eſt:*

Quae Phoebo pater omnipotens, mihi Phoebus Apollo
Praedixit . . . .

Et perite Audierat. In Ennio enim inducitur Iuppiter, promittens Romanis excidium Karthaginis

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. CCCCXXCIIX

ANno ab v.c.ccccxxcIIx. coss. Q. Fabio Maximo L. Mamilio Vitulo, primum contra Karthaginienſes bellum excitatum. Ejus cauſſae *(teſte Zonara)* a Romanis, Poeni enim Tarentinis adverſus illos auxilio venerant; a Poenis, nam Romani cum Hierone amicitiam inierant: Vera cauſſa, quia ſe mutuo ſuſpectos habebant, & uterque ſalutem ſuam in alterius clade ponebat & exſtirpatione. Ita utrimque adfectis haec belli gerendi occaſio nata: Quo tempore *(ut ſcribit Polybius)* Rhegium in Italiae finibus occupatum a Legione Romana, D. Iubellio duce; eodem Meſſana, urbe Siciliae, Campani intra moenia recepti, civibus contra fidem partim interfectis, partim expulſis, ſunt potiti: ſupplicio de Legione Ro. ſumto; qui Meſſanam tenebant, cum metu perterriti, tum praelio adverſo cum Hie-

rone debilitati, alij Karthaginienſium, alij Romanorum praeſidium implorant. Romani veriti ne hac occaſione Karthaginienſes tota Sicilia potirentur, quum omnia jam tenerent praeter Meſſanam & Syracuſas, Mamertinis advocantibus opem ferendam cenſent: atque omnia cum DIs auctoribus auſpicantes, Deos & Iovem in primis conſulunt de futuro belli eventu. Iuppiter conſultus Romanis Karthaginis excidium promittit, *ut cecinit, teste Servio, Ennius*

RURESCUNT XVII

Soſipater Chariſius lib. I. Inſtit. Grammat. *Frus*, inquit, *hujus frundis, quod ſic ab Ennio eſt declinatum Annalium libro ſeptimo:*

Rureſcunt frundes . . . .

non frondes. Umbri & Tuſci V fere ſemper pro O efferebant. Ergo hic *Rureſcunt frundes* pro *Roreſcunt frondes*. Teſtatur etiam Elias Vinetus in Auſon I Edyll. vocem *Fruns* in Codice Ioannis Tilij abſque N. ſcribi *Frus*. Doctiſſimus Scaliger *Rareſcunt* legit hoc loco: eleganter. Volebat fortean hoc Ennius, tantam arborum copiam ab Romanis fuiſſe parandae claſſi exciſam, ut ſylvae (quae συνεκδοχικῶς *Frundes* hoc loco) rariores fuerint factae

(*V pro O*) (*Frus*) (*Ennio emẽdatius*)

HISTOR. CONTINVAT

SEquenti anno, coss. Ap. Claudio Caudici & M. Fulvio Flavo, illi Sicilia obvenit, huic Etturia. Ille, praemiſſo C. Claudio Tribuno militum, deceptis Poenorum praeſidijs, quae fretum cuſtodiebant, (AB. V. C. CCCCXXXIX)

bant, ne quid copiarum ab Romanis vel commeatuum in Siciliam importaretur, nocte trajicit. Hieronem, regem Syracuſanorum, quem in obſidenda Meſſana ſocium Poeni adſumſerant improviſo adortus cum eo ita confligit; ut equeſtri praelio victus, pedeſtri proſpere pugnarit, ac Hieronem Syracuſas fugarit. Varie deinde dimicatum ad Meſſanam cum Karthaginienſibus. Conſul, praeſidio Meſſanae relicto, Hieronem perſequitur & Syracuſas obſidet. Ibi in anguſtum adductus arte evadit, & Rhegium ſe recipit. Fulvius res Etruriae componit, atque Italiam plane pacat. Anno ccccxc. Conſules M'. Valerius Maximus Meſſalla & M'. Otacilius Craſſus in Siciliam trajiciunt, *(De M'. Valerio Naevius lib. 1. belli Poenici, apud Chariſium:*

ccccxc

Naevius apud Chariſium correctus

Maniu', ſic enim legendum, non *Marcus*
Valerius (conſul partem exerciti
In expeditionem ducit . . .)

quorum adventu *(teſtibus Polybio & Zonara)* cum pleraeque Karthaginienſium urbes ad Romanos deficiunt; tum Hiero, praelio *(quod innuit Plinius libro* xxxv.) fractus, ſuis rebus diffidens, pacem petitam impetrat, his conditionibus; ut Captivos Romanorum ſine precio dimitteret; urbes redderet, quas ademerat; argenti talenta centum penderet; ſocius populi Romani eſſet. His auditis, Karthagi-

nienſes

nienses in Siciliam supplementum mittunt, & Agrigentum, tamquam arcem adversum Romanos, tenent. Consules, foedere cum Hierone icto, ex Sicilia ob hibernum tempus Rhegium revortuntur.
Subsequenti anno L. Postumius Megellus & Q. ccccxci
Mamilius Vitulus, in Siciliam profecti, Agrigentum *(scribente Polybio)* quod a Poenorum duce Annibale tenebatur, obsident. Erbesus, populi Romani horreum, ab Annone receptum. Poeni fame oppressi, ad summam dimicationem quum venissent, vincuntur. Agrigentum, praesidio Poenorum clam egresso, in potestatem Romanorum venit. Quarto
anno belli Punici primi coss. L. Valerio Flacco, T. ccccxcii
Otacilio Crasso, novus dilectus ab S.P.Q.R. in Siciliam mittitur. Romani plerasque mediterraneas civitates, pedestrium copiarum metu; Poeni vero maritimas, classis terrore, ad se trahunt. Id quum Romani animadvertissent, animũ ad classem exaedificandum adpellunt: ei parandae undique materiam, omne Arborum genus, conquirunt, Pinos, Cupressos & alias *(quo pertinent EnnI hoc & sequens fragmentum)*

LONGIQUE XVII

Citatur a Iunio Philargyrio, VirgilI interprete, ad Georg. II. ad vocem *Buxum. Lignum*, inquit, *nõ arborem dixit: quamvis EnnI exemplo & arborem potuerit dicere, neutro genere. Ille enim sic in septimo:*

Longi-

. . . . Longique cupreßi
Stant rectis folijs, & amaro corpore buxum.

Ennio varia lux

Servius XII. Aeneidos deridet eos, qui dicunt, *Buxus arbor eſt, Buxum lignum.* Potuiſſet hoc fragmentum etiam intellegi de parata & ſtante jam in portu nova contra Poenos claſſe, quae tanta celeritate confecta, ut ipſae fere arbores cum ſuis folijs & corticibus ſtetiſſe fuerint viſae. *Ipſa velocitas* (inquit L. Florus lib. II. cap. II.) *claßis comparatae victoriae auſpicium fuit. Nam intra* LX. *diem, quam caeſa fuerat ſylva,* CLX. *navium claßis in anchoris ſtetit* (ea voce utitur Ennius) *ut non arte factae, ſed quodam munere Deorum mutatae & in naves converſae viderentur arbores. Mirum* (ait Plinius lib. XVI. cap. XXXIX.) *apud Antiquos primo Punico bello claſſem DuilI Imperatoris ab arbore exciſa* LX. *die navigaſſe.* Claſſis igitur haec, properatim & quaſi in tenebris confectum opus, ut Caeciliano utar proverbio

CORPORE 30.) Quid ſi *cortice?*

CAPITIBUS XVII

Nonius cap. III: *Cupreſſus generis foeminini, ut dubium non eſt. Maſculini. Ennius:*

Capitibus nutanteis pinos rectoſque cupreſſos.

Agellius lib. XIII. cap. XIX: *Ennius item rectos cupreſſos dixit, contra receptum vocabuli genus, hoc verſu:*

Capitibus nutantis pinos rectoſque cupreſſos.

EnnI verſus conjuncti

Hoc cum ſequenti, quod ad hiſtoriam, conglutinandum

INCIDUNT XVII

Macrobius lib. VI. cap. II, qui cum his EnnI committit VirgilI illa:

Itur in antiquam ſylvam, ſtabula alta ferarum.

Macro-

Macrobius citat ex lib. VI. non dubium, quin corrupto numero

HISTOR. CONTINVAT

FAbricandae & instruendae classi inventas arbores Romani securibus caedunt, pervortunt, impolitas ascijs dolant, alijsque ferramentis levigăt

AB. V. C. *Eodem*

INCIDUNT ARBUSTA PRAEALTA 35.) Sic emēdandum puto pro *Incedunt arbusta per alta*; quamquam & haec tolerari possunt, praecipue quum probantur Scaligero. Quibus autem temporibus arbores caedendae, docent Plinius lib. XVI. natur. histor. cap. XXXIX. Vegetius libro IV. de re militari cap. XXXV. & alij

Ennius forte correctus

UT CLAVOM XVIII

Isidorus lib. XIX. cap. II: *Clavus*, inquit, *est, quo regitur gubernaculum. De quo Ennius:*

Ennius castigatus

Vt clavum rectum teneam, navimque gubernem.

Scribo levi mutatione:

Vt clavom rectum teneant, navimque gubernent

HISTOR. CONTINVAT

DVm classis omni diligētia adparabatur; quoniam defuturi erant & Gubernatores & Remiges; novam & insolitam artem docendi erant Romani. Consules igitur milites exercent in littore; alios, ut clavum rectum tenerent, & navim gubernarent:

AB. V. C. *Eodem*

TONSAM XVIII

Nonius cap. II. §. 637: *Portisculus proprie est hortator remigum, id est, qui eamdem perticam tenet, quae Portisculus dicitur, qua ex-*

cursum & exhortamenta moderatur. Ennius (Plauti enim verba omittam) *libro* VIII. *Annalium:*

. . . . thus ante tenentes
Parerent, observarent, portisculũ signum
Quum dare coepisset . . . .

Citat Nonius ex VIII. ego nulla licentia numerum mutavi. Vix notatu dignum, quid variet antiquus apud me codex

HISTOR. CONTINVAT

AB.V.C. Eodem

ALios ut remos impellerent, ut parerent Portisculo (τῷ κελευστῇ *vel Iussori*) ejusque signum & nutum quam possent diligentissime observarent

Ennio vetus scriptura restituta

TONSAM ARTE TENENTES 9.) Vulgata NonI exemplaria habent, *Thus ante tenentes*. Ennius in Sotadico:

Aliusque in mare volt magno tenere tonsam

Iterum

Arte scripsi pro *Ante*. Arte enim opus erat hujus artis ignaris. CL. V. Ludoicus Carrio lib. I. Emendationum cap. X. reponendum censet:

. . . . tonsamque tenentes
Parerent, observarent, &c.

V. N. Iosephus Scaliger *Ante* retinet, ad me scribens; & addit: *Remum enim porrectis brachijs ante pectora tenebant; dato signo, adplicabant pectori*

Glossarium correctum Isidorus emendatus

PORTISCULU' 10.) Glossar. *Portisculus* κελευστής: sic legendum, non *Porticulus*, ut & apud Isidorum lib. XIX. cap. II. Ennio post pauca *Hortator* dicitur; *Iussor* appellatur Glossographo, lib. II. unde *Iussa* apud Sallustium in Histo-

Nonius castigatus

rijs; quemadmodum inde *Hortamenta* apud Nonium. Sic enim

enim exaratum in antiquitatis venerandae libro, nõ *exhortamenta. Intentus remis* vocatur ab Virgilio, libro v. Aeneidos, quum inquit; adſcribam enim locum obſcuriorem, ut hinc mage luceat: *Virgilius dextre explicatus*

Conſidunt tranſtris, intentaque brachia remis
Intenti exſpectant ſignum . . . . .

Notavit primus, etiam contra abſurdam ServI, vel alius potius Gloſſatoris, interpretationem V. CL. Ludoicus Carrio: qui, quo dixi loco, & V. N. Ianus Duza Plautin. explicat. lib. I. cap. VI. multa erudite notant, de Portiſculo. Huc pertinent illa AſconI Paediani in Divinat. Ciceronis: *Cani*, inquit, *Remigibus* κέλευσμα *per Symphoniacos ſolebat; & per aſſam vocem, id eſt ore prolatam; & interdum, ut in Argonavi, per Citharam.* Recte *Aſſam vocem* exponit doctiſſimus interpres, *ore prolatam. Aſſa vox*, mera. *Aſſum* enim merum apud priſcos. Nonius, quam ſolet, melius, cap. I. §. 70. *Aſſa voce, ſola voce, linguae tantummodo, aut voce humana* (ita, ſcio, ſcripſit Nonius) *non admiſtis alijs vocibus* (vetus Codex, *Muſicis*) *eſſe voluerunt. Varro de vita Populi Ro.* (*Patrum* antiquus liber) *libro II: In convivijs pueri modeſti, ut cantarent carmina antiqua, in quibus laudes erant majorum* (vide quae notavi fol. XXCVII. 12.) *& aſſa voce & cum tibicine. Idem Cato vel de liberis educandis: Melos alterum in cantibus eſt bipartitum; unum quod eſt in Aſſa voce; alterum, quod vocant Organicon. Aſſum autem exiſtimandum eſt, ut in obſonijs ſine pigmento* (non diſplicet, quod in alijs libris *figmento*) *ſaporis alieni, quemadmodum merum dicitur ſolum.* Emendarim poſtrema haec, quamvis violentius: *quum Aſſum merum dicitur & ſolum* cujus lectionis veſtigia videre me memini in exarato manu libro. Delirat Paullus Diaconus ad Feſtum; vel Feſtus, ſi ab illo, nõ eſt Feſtus, quum ſcribit: *Aſſa dicebatur cantus tibiarum.* Aliud enim omnino *Vox Aſſa*, aliud *Tibiarum cantus*, ut docte do-

ServI error

Medicina Nonio Iterum

Tertium

Paulli Diaconi deliritas

cent Aſconius, quod ſolet, & Nonius praeter morem; apud quem *Aßa* alius notionis, eodem capite, §.280: *Aßas nutrices*, inquit, *difficilis multi existimant intellectus. At vero acri intentione potuimus indagare ob eam proprietatem officij eo nomine nuncupari, quod aßint ijs, quos nutriant, nec vel exiguo divellantur. unde aßeclas ab eo, quod aßint & omnibus jußis dominorum praeſto ſint, eße vocitatos.* *Aßa* quidem Nutrix, non, ut auguratur, indoctior linguae Graecae Nonius, quod aſſint ijs, quos nutriant; ſed ab voce ἄττα, quam Theſſalicam monet Homeri Scholiaſtes. Elegantiſſime Euſtathius: ἔστι τὸ μὲν Τέττα, φίλου; τὸ δὲ Α῎ττα, τροφέως; τὸ δὲ Πάππα, πατρὸς; &c. Fere eſt ut perierit *Aßa* apud Varronem, τοῦ πατρὸς τὸ παιδίον, περὶ παιδοποιΐας, (Titulus enim adſcribendus) quem citat Nonius, cap.1. §.73. in Betere. Ibi enim depravatius ejus verba: *Aßanos multos, quod parere ea non poterat mulier foras betere jußit.* Corrigendum conjicit nobiliſſimus Scaliger: *Aßa non multo poſt, quod parere ea non poterat mulier, eum betere foras jußit*; & addit optime; *Aßam non eße nutricem, ut infra; ſed adſiſtricem mulierem, ut vocatur ab Afranio, quae adſidet foetae; ἀναγέτριαν vocant Tarentini; Obſtetricem aliter Latini.* Auſim ego, retento, quem obſervavit Criticorum princeps, ſignificatu: *Aßa nonnullas, quod ea parere non poterat, mulieres* (ſi quis malit, *mulier* non reluctabor: non enim tanti) *foras betere jußit.* Exempla quotidiana docent, Mulieres, quae ſolent a parituris advocari ad ferendum opem, ſi aequo plures fuerint, difficultatem adferre pariundi, & obeſſe tam varias multarum operas, tam varia conſilia enitentibus magis, quam prodeſſe. Obſtetrix igitur, quae Varroni *Aßa*, avorruncando iſti incommodo, quum paritura offenderetur multarum, quae advenerāt, invocatae etiam, praeſentia, nonnullas ire foras jubet. Magno Mureto placet: *A ſe annos multos, quod ea parere nō poterat mulier, eam betere foras jußit*; & de Sp. Carvilio accipit, qui primus Romanorum

Nonij error

Varro apud Nonium varie emendatus & explicatus

uxorem

uxorem repudiasse dicitur, non quod ejus mores aut ingenium parum probaret, sed quod conjugem se velle diceret liberorum quaerendorum gratia; illam autem sterilem esse: Carrioni vero, qui de eodem exaudit, libr.II. Emendat.cap.IX: *Annos multos quod ea parere non poterat, mulierem foras betere jussit*, retracta *As* syllaba ad postremam tituli vocem παιδοποιΐας. Nam in exemplari, quod ego aliquando cum M. S. D. Victoris Parisijs commisi, testatur ille sic scriptum: *Betere, id est, ire. Varro* ΤΟ ΡΥΠΑΤΡΟΣ ΤΟ ΠΑΙΙΝ ΠΕΡΙ ΠΑΙΔΟΠΟΙΙ *Asanos multos*, &c. Idem *Vetulas Assas* ibidem restituit Iuvenali. libr.V. Sat.XIV:

Iuvenali veteri scriptura reposita

Hoc monstrant pueris vetulae reptantibus assae.

Eam enim scripturam ab Veteri esse libro, vere testem ibi me facit cum Petro Colvio. Vulgata editio habet:

Hoc monstrant vetulae pueris poscentibus assem.

Ad Ennium redeo, in, quae notatu digna, evagatus

POSTE RECUMBITE XVIII

Laudatur hoc & sequens fragmentum Festo de verbor. signif. lib. XVIII: *Tonsam*, inquit, *Ennius significat remum, quod quasi tondeatur ferro, quum ait libro septimo:*

Poste recumbite, vestraque pectora pellite tonsis.

item:

Pone petunt, exin referunt ad pectora tonsas

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. Eodem

QVo nimirum poste recumberent & sua pectora tonsis pellerent (*Haec Remigandi rudimenta graphice depingit Polybius, qui omnino videndus, lib. I, ut & magnus Vir in appendice Conjectaneorum ad Varronem*

TONSEIS 13.) Glossarium Benedicti 1: *Tonsae*, κῶπαι

PONE XVIII

Apud quem, dixi. Addam quae ad hoc EnnI fragmentum notat ad me scribens vir praenobilis & stirpe & eruditione, Ianus Duza: *Eleganter*, inquit, *exprimit morem Remigum, qui ante pectus prius impellunt remos, postea tergo pandiculantur, quum acceptum remum ad se recipiunt. Hinc fortasse locus Festi interpretandus, qui est in litura, in voce Remillum.* Pancratius Castricomius, quamvis forensibus turbis inmistus, secretiorum tamen litterarum diligentissimus scrutator, acutissime divinat:

Ennio lux ab Iano Duza

Conjectura de mutilo Festi loco

Acuta in Enn. Divinatio

Prona petunt, exin referunt ad pectora tonsas:

ut clarius exprimatur gestus remigantium

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. *Eodem*

ROmani rei nauticae imperiti, in his rudimentis boni & dociles discipuli

HORTATORE XVIII

Festus lib. XVIII: *Termonem Ennius Graeca consuetudine dixit, quem nos nunc terminum; hoc modo:*

Ingenti vadit cursu, qua redditus termo est.

& idem:

Hortatore bono prius, quam jam finibus termo est

Hortator *quis Ennio & Isidoro*

Hortator hic, qui paullo ante *Portisculus.* Sic etiam vocatur Isidoro libr. XIX. cap. II, cujus verba ad fragmentum, quod hinc quartum

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. *Eodem*

HOrtatore bono usi, & Portisculo morigeri

CON-

CONFERTA XVIII

M. Terentius Varro libro VI. de LL: *Ratis,* inquit, *navis longa dicitur, ut Ennius, quum ait:*

Conferre aut ratem aeratam qui perit & qui
Dum mare ſudantes eunt atque ſedentes

Verſus, qui corruptiſſimi, emendatiores ſiſtam ubi hiſtoriam indicaro

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. CCCCXCIII

CLaſſi confertae & confectae praefectus Cn. Cornelius Scipio Aſina cos. collega C. Duilij anno ab V. C. CCCCXCIII. Is, quaecunque ad profectionem & navale certamen facere videbantur, curat; &, paratis omnibus, magno molimine ex portu ſolvit. Romani per mare eunt, ad remos ſedentes, & prae novo remigandi ſtudio ſudantes

Ennius varie ab magnis viris caſtigatus

CONFERTA 21.) Sic in Conjectaneis ad Varronem, qui principē Critici Senatus agit in Gallia; qui in Germania noſtra, *cōlata* legit, lib. II. Plautin. explicat. cap. XXIV. Pace tua hoc fiet, doctiſsime Duza, cujus alioquin auctoritas mihi merito maxima, ſi in tui Scaligeri ſententiā pedibus iero. Expreſſum quidem video in tui Plauti Bacchidibus:

Diſceſſum modeſte ab mente ſummi viri

Bene navis agitatur, polcre haec confertur ratis;

Sed, quoniam omnes in illa ſcena Verſus Senarij Acatalectici, exceptis duobus Scazontibus, mihi illud non extra mendae ſuſpicionem. Videtur enim Plautus ſcripſiſſe:

Plautus fortean emendatus

Bene navis agitatur, polcre haec fertur ratis;

vel, ut ſit Brachicatalecticus Octonarius:

Bene navis agitatur, polcre haec confercitur ratis.

niſi,

nisi,ut vulgata lectio retineatur, τὸ *Is* in *Navis* elidendum:

Bene nav' agitatur,polcre haec confertur ratis.

Iterum itum ab sententia viri merito maximi

Primum tamen maxime adridet. *Bene navim agitari*, & *Polcre ferri ratem*, eadem; ut saepe idem pluribus modis indicat, cum lectorum voluptate, Plautus. Non igitur *Conferre ratem*, id est, συμβάλλειν, aut παραβάλλειν, quod etiam te, eruditissime Scaliger, non aegre ferente dixerim; sed *Confercire ratem* hoc loco exaudiendum est, quod Naupaegorum est, quum ejus partes omnes, ut elegantissime tuus Duza exponit, recte & ordine statuminibus, tabulatis & pluteis suis committunt atque ferruminant. unde meus, te medico, apud tuum Varronem Ennius *conferta rate* dixit, hoc & libro XIV:

Verrunt extemplo placidum mare marmore flavo;
Caeruleum spumat sale conferta rate pulsum.

Conferta ratis; Ναῦς συνεπλυγμένη, πλοῖον ἀθροιζόμενον

Ennius elegãter, praeeunte Plauto suppletus

POLCRE 21.) Hanc vocem hoc loco ab unico Bataviae nostrae Phoenice, Iano Duza, ingeniose restitutam gratulor Ennio, quem Plautus sequutus, *Polcre haec confercitur*, vel saltem *fertur ratis*, dixit

Ennius, quamvis varie, vere tamen correctus

Navis Inaerata

Murata

INAIRATAQUE 21.) Sic delicium orbis litterati in Conjectaneis. Idem in appendice, *Moerataque*. In consilij bivio fuisset, scio, ipse Ennius, utra vox utri praeferenda. Nam *Inaeratus* χαλκέμβολος. Quae Ennio, *Ratis inaerata*; Valerio Flacco, *Inaeratae puppes*; Caesari & Virgilio, *Aeratae naves* (quae in *Ceratas* trãsformatae, apud Senecam lib. VII. de Benificijs, quum inquit: *Cui Triremes & Ceratas mitterem*; quamvis apud alios *Ceratae naves* recte, quae cera piceque simul confusis oblitae) Euripidi vero χαλκεμβολάδες νῆες. Iam vero *Moeratus* vel *Muratus*, τειχιωεὶς: *Murus* vel *La-*

tus

tus navis, apud Graecos τεῖχος, libro I. Epigrammat. *Moenia navis* nota Nasoni lib. XII. Metamorphos.

Nec prius absistit fessam oppugnare carinam;
Quam velut in captae descendat moenia navis

PER LIQUIDUM 22.) Sic vir ille in nullo doctrinae genere nõ exercitatus in appendice ad Varronem; in ipsis Conjectaneis legerat:

Per dium mare eunt sudantes atque sedentes;

utrobique feliciter. Illa tamen conjectura magis accedit ad vestigia, quae in Varrone, EnnI

SUDANTES ATQUE SEDENTES 22.) Insignis παρονομασία; ut aliae apud Ennium

LABITUR XVIII

Isidorus libro XIX. cap. I: *Celones,* inquit, *quas Graeci* κέλητας *vocant, id est veloces biremes, vel triremes agiles & ad ministerium classis aptae. Ennius:*

Labitur uncta carina per aequora cana celonis

HISTOR. CONTINVAT

NEc solum classis, sed etiam Celones, quae ad ministerium erant aptae, volant per aequora AB.V.C. *Eodem*

LABITUR UNCTA CARINA 25.) Hemistichium illud repetitum ab Ennio libro XIV

UNCTA 25.) Fruterius, quod mihi indicavit V.N. Ianus Duza, *unca* emendat. Sic *Curvae puppes* apud Ovidium lib. IV. Fastor. 131

CELONIS 25.) N.V. Iosephus Scaliger, & amicissimus mihi Pancratius *Celocis* verius arbitrantur. *Celoces* inter na-

ves recenſentur Agellio lib.x.cap.xxv. Fortean in vitio eſt Iſidorus, quod videtur innuere adjecta interpretatio: negant tamen Manu exarati Codices

Aplustra xviii

Gloſſarium Benedicti: *Apluſtra* πλερὸν πλοίου, ὡς Ε'ννιος

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. Eodem

NEque claſſi ſic eunti ſua deerant ornamenta. (*Sic enim* Apluſtra *vocat Feſtus, puta in ſummitate mali. Lucanus lib.* III:

. . . . . . cujus dum pugnat ab alta
Puppe Tagus, Grajumque audax Apluſtre retentat.

Et paullo poſt:

. . . remum contorſit in hoſtem
Alter: at hi totum validis Apluſtre lacertis,
Avulſaſque rotant excuſſo remige ſedes.

Varijs fortaſſean ornata erant nova haec navigia ſignis, quae ad ipſam navigationem parum erant neceſſaria. Ea, ni fallor, plenius in fragmentis, quae Cn.NaevI ſuperſunt, I. belli Punici libro I:

. . inerant novae claſſi *ſigna expreſſa:*
Titaani quo modo, & bicorpores Gigantes,
Mimas, Ephialtes, Phoitus, atque Purpureus;
Fill Terras . . . . . .
Silvicolai hemoones, belli inertes . .
Prima incedit Cereris Proſerpina puer:
Dein pollens ſagitteis, inclutus arcitenens,
Sanctuſque, Delphis prognatus, Pythius Apollo.

Sic

Sic ad librum primum haec NaevI fragmenta ex Priſciano & Macrobio collecta correxi, quae proculdubio haud magnis intervallis ſibi invicem cohaeſerunt

Naevius collectus & correctus

MOLTA XVIII

Iſidorus, loco ſaepe laudato: *Agiavia ſunt loca in navi, per quae ad remiges hortator accedit. De qua Ennius:*

Multa foro ponet . . . .

Et:

. . . agiavia longa repletur.

Corruptiſſimus Iſidori locus

Vetus liber:

Multa foro ponet, & agea longa repletur.

Emendo: *Agea, via ſeu locus in navi, per quam ad remiges hortator accedit. De qua Ennius:*

caſtigatus

Multa foro ponens, ageaque longa repletur.

V. N. Ioſephus Scaliger monet hoc EnnI egere animadverſione: fere eſt, ut idem ſentiam; ſenſum tamen facilis adſequor

HISTOR. CONTINVAT

Conſul Cn. Cornelius cum XVII. navibus Meſſanam contendit: inde, quum omnia futuro certamini neceſſaria paraſſet, & omnis generis armamenta, non navigationi ſolum, ſed pugnae navali etiam in foris atque ageis navium poſuiſſet; ſpe quadam adliciente, Liparas proficiſcitur

AB. V. C. Eodem

FORO 31.) Sic Agellius lib. XV. cap. ult. *Stans in ſummo puppis foro.* Gloſſar. Benedicti: κατάστρωμα, *Forus. Fori,* inquit Soſipater lib. I. *ſunt in navibus, quibus nautae ſedentes remigant*

AGEA 31.) Paullus Diaconus ex Feſti libro I: *Agea, via*

Glossarium verissime emendatum

in navi dicta, quod in ea maxima quaeque res agi solet. Glossar. *Agear*, παραμενων καὶ πάροδος πλοίου. Divinissime divinus Scaliger: *Agea* παρὰ Εννίῳ, ἡ πάροδος πλοίου

UNA TRABES XVIII

Ennī verba eruta ex Varrone

M. Terentius Varro lib. vi. de L. L: *Canes*, inquit, *quod latratu signa dant, ut signa canant, Canes appellatae: & quod ea voce indicant quae noctu latent, Latratus appellatus. Sic dictum a quibusdam, ut una canes, una trabes remeis rostrata per altum.* Varronis verba habita, quae meo judicio EnnI, ex quo pleraque ibi citantur. Parcant mihi Critici, quod audacius ad instructam & navigantem jam Romanorum classem hoc adsciscam. Hieronymus Columna supplet & emendat:

Ennius suppletus

Labitur uncta trabes remeis rostrata per altum.

Addit alios locum hunc restituere fide Ms. Codicis:

Una trabes remeis sulcat rostrata per altum

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. Eodem

NOn tam exacte omnium navium gubernatores navigandi artem erant edocti, ut aliquot naves obliquo cursu ab cetera classe non deviarint, & in praesentissima pericula non fuerint devectae: quibus tamen succursum ab alijs, & auxilium latum

INGENTEI XIX

Festus in Termonem, cujus verba paullo ante a me posita. Et hic versus hujus esto loci, & cum duobus sequentibus refertor ad cujusdam navis deviationem, quam hic describi ad praecedens fragmentum docui

MOLSERAT XIX

Priscianus lib. IX: *Mulgeo*, inquit, *mulsi facit, quamvis differentiae*

rentiae cauſſa quidam mulxi protulerunt: quia mulceo quoque mulſi facit. ſed Virgilius in III, Georg.

Quod ſurgente die mulſere horiſque diurnis
Nocte premunt . . . . . .

Ennius in VII. *Annal.*

Mulſerat huc navem compulſam fluctibus pontus.

Mulgere, hoc loco, agitare, impellere. Lucretius lib. IV.

Mulgere, *impellere*

Ut nubes facile interdum concreſcere in alto
Cernimus, & mundi ſpeciem violare ſerenam
Aera mulgentes motum . . . .

M. Tullius in Arato, ut quidem docti viri reſtituendum cenſent:

Cicero correctus

Igniferum mulgens tremebundis aethera pennis

IMPETUS

Feſtus lib. XVII: *Reſtat pro diſtat ait Ennius: ponere quũ is dicat:*

Impetus aut longe mediis regionibus reſtat.

Legendum: *ait* (nimirum Verrius Flaccus) *Ennium ponere, quum,* &c. Hoc ſane carmen ſuperiori non malo ſenſu cohaeret. Varie deſcribitur navigans Romanorum Claſſis

Feſto melius

HAUT 6.) hanc vocem pro *Aut* probari etiam Fruterio, ſcripſit mihi V. N. Ianus Duza

Ennius emendatus

ALTER XIX

Feſtus lib. de verb. ſig. XII: *Nare,* inquit, *a nave ductum, Cornificius ait; quod aqua feratur natans; ut navis. Ennius libro ſeptimo:*

Alter nare cupit, alter pugnare paratuſt

HISTOR. CONTINVAT

AB.V.C. *Eodem*

LIparas venit Conſul aliquanto celerius, quam erat neceſſe. Nam a Claſſe Punica circumventus, & per fraudem veluti in colloquium evocatus, capitur. In ea trepidatione Romani varie adfecti; alij ſtrenue pugnando malunt occumbere, alij nando ſalutem quaerere

DUM CENSENT XIX

Feſtus lib. XVII: *Sos pro eos antiqui dicebant, ut Ennius* (paucis interjectis) *libro ſeptimo:*

Dum cenſent terrere minis, hortanturve ſos.

Ennius reſtitutus

Lego:

hortantur ei ſos;

ſequutus magnorum virorum indices

HISTOR. CONTINVAT

AB.V.C. *Eodem*

C. Duilius, quum adverſam collegae ſui fortunam intellexiſſet, pedeſtres copias, quibus ex ſorte praeerat, Tribunis militum tradens, ad claſſem ſe confert: & quoniam a Poeno victore omnia terroris & minarum eſſent plena, ante pugnam ſubmittit (*credo*) per ſingulas naves, qui Romanis ad renovandum certamen inſtigarent. Ei ſic ſuos (*canente Ennio*) hortantur:

NON SEMPER XIX

Virgilius Ennium imitatus

Macrobius lib. VI. cap. 1. apud quem ſimile illud Virgilı:

Ne qua meis dictis eſto mora, Juppiter hac ſtat

HISTOR.

HISTOR. CONTINVAT

Agite, milites, ad arma; renovate contra hoſtes praelium. Iuppiter non perpetuo incandeſcit, non ſemper iracundia ardet, non omni tempore nobis eſt infenſus, quamvis ſaepe videatur res noſtras non evorſurus modo, ſed exterminaturus & in meram ſolitudinem redacturus; hoſtium contra firmaturus: quin imo hac tempeſtate a noſtris ſtat partibus, noſtra tueri vult & conſervare, noſtras armare manus in perfidos hoſtes, nobis victoriam parare aeviternam; contra Poenos ingenti pavore concutere, diſſipare, delere, & ſtirpitus exſcindere. AB. V. C. *Eodem*

(Homerus Iliados Z:

. . . Νίκη δ' ἐπαμείβεται ἄνδρας.

Non alienum etiam ab hoc loco, quod Iliados ult.

Δοιοὶ γάρ τε πίθοι κατακείαται ἐν Διὸς οὔδει
Δώρων οἷα δίδωσι; κακῶν ἕτερος δὲ ἑάων
Ὧ μὲν καμμίξας δώῃ Ζεὺς τερπικέραυνος,
Ἄλλοτε μέν τε κακῷ ὅγε κύρεται, ἄλλοτε δ' ἐσθλῷ.

Et Sophoclis illud in Oedipo Coloneo:

Τοῖς μὲν γὰρ ἤδη, τοῖς δ' ἐν ὑστέρῳ χρόνῳ
Τὰ τερπνὰ πικρὰ γίγνεται, καὖθις φίλα

FORTIBUS XIX

Macrobius quo dixi loco: apud quem imitatur Virgilius: *Virgilius Ennium exprimit*

Audentes Fortuna juvat . . .

Virgilium deſignat Claudianus, quum inquit:

Fors juvat audentes, priſci ſententia vatis

HISTOR.

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. Eodem

AGite igitur; praesenti & infracto animo contra hostem superbum insurgite; qui animati, satis armati; fortibus & se suaque nullis non periculis pro salute & incolumitate patriae exponentibus DI plurimum favẽt, & prospere plerumque omnia cedunt, non qui nihil audent experiri, non qui latent in occulto, non denique qui ignaviam suam tenebrarum custodijs & navium muris ac parietibus tegunt. (*Illud hoc loco notandum, C. Duilium non modo & suis & alienis verbis milites hortatum ad navale certamen: sed etiam precibus solicitasse Neptunum Deum, mari praefectum, ut contra hostes victoriam largiretur. Quod non Ennius, sed Naevius indicat.* Inveni, *inquit Priscianus libro* VII, marum pro marium, qui tamen in raro est usu genitivus: apud Naevium in carmine belli Punici;

Senex fretus pietate Deum, adloquutus summi
Deum regis fratrem Neptunum, regnatorem
Marum . . . .

Naevi versus suae integritati restituti & ad certam historiam vocati

Sic enim collocandi versus Saturnij: ceteri perierunt, nisi ad ipsam precationem pertineat quod apud Festum lib. XV. *in Quianam:*

Summe Deum regnator quianam genus isti.

Iterum

ubi fortean melius, genuisti

Africa XIX

Calpurnius ille lib. I. ubi de Dissolutionibus: *Asyndetos*

(ἀσυνδέ-

(ἀσυνδέτως) inquit, *insigni artificio exaggerăt, & Poetae & Oratores; Veteres imprimis, Tempestates, Hostium incursiones, Urbium oppugnationes, Luctus & publicos & privatos, & talia.* Et paullo post: *Quanta autem, audita suorum clade, formidine contramiserint* (lego, quod probat & in suis ad me litteris V.N. Ioseph. Scaliger, *contremuerint*) *Afri, quam repente imo* (ego cum Scaligero *repentino*) *motu illorum animi conciderint, Ennius libro septimo, dissolutiore, id est meliore, describit arte quam Naevius; quod potuit, qui hoc posterior fuit:* *Calpurnio integrius* *Iterum*

Africa terribili tremit horrida terra tumultu
Undique; multimodis consumitur anxia curis;
Omnibus inde locis ingens apparet imago
Tristitias; oculosque manusque ad sydera lassas
Protendunt, exsecrando ducis facta reprendunt
Poeni, pervertentes omnia, circumcursant.

Naevius in tertio: ut quidem mihi incorruptior: *Naevius restitutus apud Calpurnium*

Sis Poinei contremiscunt artibus; universum
Magnei metus tumultus pectora possidet;
Caesum funera agitant; exsequias ititant;
Temulentiamque tollunt festam . . . .

Ad Naevium pauca dicam. Elegantissimum hoc ejus fragmentum: cujus etiam, quum Calpurnius mihi adhuc invisus & inlectus, quaedam mihi visa & lecta. *Sis* scripsi pro *Sic. Artibus* dixerunt veteres pro *artubus.* Pro *universum,* qui genitivus, restituit V. N. Ioseph. Scaliger *universim. Magni metus,* inquit: versus hic citatur totidem verbis Nonio cap. III. in *Metus.* Tertium & quartum carmen, demtis prima & ultima vocibus, lego apud Festum libro de verbor. sig. XVIII. valde corrupte & mutile. *Temetum,* inquit, *vinum. Plautus in Aulularia: Qui? quia temeti nihil adlatum.*

Pomponius in Decuma: Non multi temeti, sed plurimi. Novius in duobus Dossenis: Sequimini pracimate, sequere temeti timor. Idem in Funere. Agite, exite temulentiamque tollite. Et in Surdo: Filias

Festo melius & distinctius — *habeo temulentas, sed eccas video incedere.* Lego & transpono: *Novius in duobus Dossenis:*

Sequimini prae. Mi nate sequere, temeti timor.

Novius castigatus — (Sic enim emendat magnus vir) *Et in Surdo:*

Filias habeo temulentas, sed eccas video incedere.

Naevius (qui scribentibus praeerat, & praeierat ijsdem verbis, fallus similitudine nominũ NovI & NaevI, quia hujus illius testimonio subjiciebatur, *Idem* dictarat) *in libro III.* (scilicet, belli Poenici)

. . *funera agitant; exsequias ititant;*
Temulentiamque tollunt . . .

Naevio emendatius — Tò *Funera*, in Tragoediam, excitantibus nonnullis, abierat: pro CalpurnI *exsequias ititant*; vulgati NonI codices *exite* legebant; aliqui antiquioris paullo & melioris notae, *exigite*. *Itito* ab *Ito* & primitive ab *Eo*; ut ab *Dico, Dicto, Dictito*; a *Capio, Capto, Captito*, in vetere Glossario. Notum autem,

Exsequias ire — quid *ire exsequias*, ex formula illa evocante populum ad funus: L. TITIUS VIXIT, L. TITIO EXSEQUIAS IRE QUOI COMMODO'ST, IAM TEMPU'ST; OLUS ECFERTUR. Phrasin ea in re propriam notavit V. CL. Ludovicus Carrio. Ad Ennium revertor

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. *Eodem*

SIc animato ad praelium milite, C. Duilius Poenos, navali pugna congressus, ad Liparas devincit, mersa & fugata illorum classe. Annibal vix Karthaginem

thaginem incolumis redit. Romani Segestam obsidione eximunt, & Macellam opidum in Sicilia pugnando capiunt. Duilius primus omnium Romanorum ducum navalis victoriae ducit triumphum (*Horum memoriam conservat lapis Romae Capitolinus, quo nihil antiquius in basi Columnae rostratae, quae C. Duilio posita, bello Punico primo: Exstat in Auctario Inscriptionum, quod Smetianis adposuit miraculum illud naturae, V. CL. Iustus Lipsius, pag.* v.) Anno CCCCXCIV. L. Cornelius Scipio cos. in Sardinia con- CCCCXCIV
tra Sardos, Corsos & Annonem, Poenorum ducem, feliciter pugnat. Caracalae urbis excidio, incolis tantum terrorem injicit, & omnes Poenos ita terra marique expugnat, ut jam victoriae nihil, nisi Africa ipsa, restaret. Occisi Annonis corpus e tabernaculo suo indictivo funere ecfert. Sequenti anno A. CCCCXCV
Attilius Calatinus & C. Sulpicius Paterculus coss. in Siciliam profecti, Panormum (hic enim Poeni hiemabant) omnem belli vim convertunt: eo opido relicto, Hippanam & Mytistratum capiunt: Drepanum, Lilybaeum, & alia opida, dejectis Poenorum praesidijs, occupant: Liparas obsident. Trepidatum ab Attilio circa Camarinensium saltum; sed eximia virtus M. Calpurnl Flammae, Tribuni militum, Consuli & salutem & victoriam parit (*Eam victoriam & pro victoria Gratias DIs actas lib.* III.

 depin-

Naevio varia medicina & lux

depinxerat ad vivum Naevius: quo pertinet quod ejus apud Nonium cap.11.in Gratulari:

. . manusque sursum ad coilum sustulit sas
Attilius, gratulabatur DIveis . . . .

Sic scribendum, liquido convincit historiae fides. Variant Vulgati. Apud eas, qui regiae Albanorum stirpi plus aequo studēt, Amulius *vincit; quo ab aliis non admisso,* Ammulus, *quidam Terrae filius, suppositus. Amulio quo se tueretur, Regis titulus praemissus, &* rex Amulius *factus: ne etiam isti Ammulo quidquam ad retinendam possessionem deesset,* Res *prajectae. Vera quae expressi. Intellegit poeta A. Attilium Calatinum, quem dixi: nisi quis velit mage* Mamilius. *Q. Mamilius Vitulus cos. fuit anno ab* v.c.ccccxci.*cum L. Postumio Megello. Eo enim anno, qui belli Punici tertius, in Sicilia Poeni sunt victi, testibus Polybio, Eutropio & aliis. Posset & legi* Aimilius. *Nam M. Aimilius Paullus Proconsul anno* ccccxciix.*de Cossurensibus & Poenis navalem egit* xii. *Kal. Febr. quod notāt Fasti Capitolini.*)

ccccxvi Anno ccccxcvi. Annibal senior a Karthaginiensibus iterum classi praepositus, infeliciter cū Romanis navali praelio congressus & victus, ab exercitu suo, seditione orta, in crucē tollitur. C. Attilius Regulus cos. *(teste Zonara & Orosio)* Liparam Melitamque Siciliae insulas pervagatus evertit *(De Melita insula etiam apud Nonium cap.11. in concinnare, Naevius libro* iv. *belli*

Poenici,

Poenici, qui sic Saturnios suos collocarat & scripserat:

Naevi versus suae integritati restituti

. . . . transsit Melitam
Romanu' exercitus, insulam integram urit, populat;
Et vastam rem hostium concinnat . . . .

Sic enim malo, quam ut in vulgatis:

Et vastat, rem hostium concinnat . . . .

In antiquo, qui apud me, codice, laudatur Naevi lib. III. non IIII.) Fracta tam multis Africa malis metu trepidat, & terribili *(ut canit Ennius)* tumultu tremit. Poeni graviter anguntur, & rebus deploratis, multo luctu conficiuntur, suorum ducum facta vellicantes: nusquam non manifesta summi moeroris indicia; omnia sursum ac deorsum miscentur. *(Posset & alio loco poni hoc fragmentum; alii rem penitius introspiciant)*

AFRICA 16.) Versum hunc citant etiam; Festus de verborũ signif. lib. XI: *Metonymia,* inquit, *est tropos, quum ab eo, quod continet, significatur id quod continetur; ut Ennius quum ait:*

Africa terribili tremit horrida terra tumultu.

M. Tullius Cicero lib. de Orator. III: *Ne illa quidem,* inquit, *traductio atque immutatio in verbo quamdam fabricationem habet, sed in oratione:*

Africa terribili tremit horrida terra tumultu:

Pro Afris est sumta Africa: Et de Oratore Perfecto: *Quod quamquam,* ait, *transferendo fit, tamen alio modo transtulit, quum dixit Ennius, arcem & urbem orbas; alio modo, si pro patria arcem dixisset:* &; *horridam Africam terribili tremere tumultu,*

multu, quum dicit; pro Afris immutat Africam. Emendandum priora ibi: *Arce & urbe sum orba.* Exstant enim alibi integriora, Trochaicis numeris concepta:

Ennio castigatius apud Ciceronem

. . . . quid petam
Praisidl? quid exsequar? quo nũc aut auxilio, aut fuga
Freta sim? arce & urbe sum orba, quo adcedam? quo adplicem?
Quoi nec arai patriai domI stant; fractai & disjectai jacent:
Fana flamma deflagrata; tostei altei stant parietes
Deformatei, atque abiete crispa . . .

Iterum

Sic illa, credo, scripserat poeta, quum Hecubam Euripidis Latinam faceret

Tremit 16.) In nonnullis Festi exemplaribus male *Tremis*

Moltimodis 17.) Glossar. FornerI: *Multimodus*, πολύτροπος. Sic *Omnimodus* apud Lucretium

Ennius correctus apud Calpurn.

Endo 18.) Legebatur in Calpurnio *inde*, vitio vel Dictantium, vel Exscribentium, quibus vox illa insolentior

Tristitias 19.) Antiquus genitivus, qualis frequẽs apud poetas veteres, praecipue Naevium. Vide Priscianum lib. vi. Sic Ennius jnfra: *Dux ipse vias*

Sudera 19.) *Sidus* vel *Seidus*, scribit ad haec mea fragmenta V. N. Iosephus Scaliger, *semper dicebant. Sic supra male Sulvas, pro Silvas.* Vide elegantissimam praefationem V. CL. Oberti GifanI in Lucretium

Lassas

LASSAS 19.) Interlinearis vox superjecta erat, *passas*

PERCOLSEI XIX

Scribit Hieronymus Columna hoc fragmentum sibi missum e Cosentia a Fabio Aquinate, qui illud ex quodam suo vetustissimo StatI interprete MS. excerpserat

HISTOR. CONTINVAT

ANno CCCCXCVII. M Attilio Regulo, qui in locum Q Caedicl demortui erat factus, & L. Manlio Vulsone coss. Romani parant omnia, ut in Africam trajicerent. Iis obviam eunt Poeni, perculsis etiamnum animis ob superiores clades: eunt tamen, ducibus Annone & Amilcare; commisso praelio navali, victoriam adipiscuntur Romani AB.V.C. CCCCXCVII

TONSILLEIS XIX

Isidorus lib. XIX. cap. II. *Tonsilla*, inquit, *uncinus ferreus vel ligneus, ad quem in littore defixum funes navium illigantur. De quo Ennius:*

Tonsillas rapiunt, configunt litus aduncas.

Expressi, praeeuntibus aliquo modo MSS: *Apud Isidorum*

Tonsilleis rapide conseigunt littus adunceis.

Potuissem &:

Tonsillas rapiunt, configunt littori aduncas.

Tonsillarum meminerunt apud Festum Pacuvius & Attius, ex emendatione magni viri

HISTOR. CONTINVAT

COnsules, majora molientes, Africam petunt; littoribus Tonsillas, quibus naves suas adligarent, impingunt AB.V.C. *Eodem*

NAVI-

NAVIBUS XIX

Servius ad illud VirgilI VI. Aeneidos:

Discedam: explebo numerum, reddarque tenebris;

vt supra diximus, inquit. *Explebo, est minuam. Nam ait Ennius;*

Navibus explebant sese, terrasque replebant.

Esse libri VII. indicat Glossariũ FornerI: *Explere,* ἀποθάλλειν, ἐκλίπεσθαι, *Ennius in* VII. *Terentius in Hecyra*

HISTOR. CONTINVAT

NAvibus se explent & exonerant; Africamque multo replent milite

ASPIS XIX

Sosipater lib. II: *Evax. Plautus in Bacchidibus: Evax adspersisti aquam. Ennius Annalium lib.* IV. *Asper a Latinis.* Vetus Codex, qui apud Nobilisſ. V. Ianum Duzam: *Ennius quoque Annalium liber: Aquas istas per litum.* Vocum prodigia. Leviter & incerto animo divino: *Ennius lib.* VII:

Ennio fortassean melius

. . . . . *evax'st:*

Aspis ab Attilio . . . .

Dent, quibus veriores conjecturae sub manu solent nasci, quid, quod potioris classis. Quid aliud substituam, hoc tempore non habeo

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. Eodem

CLupeam & Aspidem, primas ab littore urbes, in deditionem accipiunt; inde in agrum Karthaginiensem impetum faciunt. Regionis praesidium ab S.P.Q Karthaginiensi traditur tribus duci-

bus

bus Asdrubali, Bostari & Amilcari. Revocato Romam L. Manlio, Attilius Adin opidum obsidet, Tunetem expugnat, & hostem multis praelijs debilitat. Serpens eodem tempore, mirae magnitudinis, qui multos milites oppugnatus devorarat, occiditur: cujus corium, cxx. pedes longum, Romam delatum, aliquamdiu multis miraculo fuit. *(De Serpentis carne & extis nescio an NaevI illa exaudienda,* Naevius illustratus *lib. IIII. belli Poenici:*

. . . . Eam carnem Victoribus danunt:

quod alicui fortean esset usui. Citat Nonius cap. I. voce Danunt; quibus iungenda quae apud eumdem, eodem collectus *capite, voce Atrox:*

Simol atrocia porriciunt exta ministratores:

Sic lego: Atrocia vere, in quibus conspiciebant suorum correctus. *Civium fragmenta. Nihil adfirmo. Majora enim in his versibus alicujus Sacrificij vestigia, quam alius actus.)* Attilius, quum Successorem timeret, foedus cum Karthaginiensibus facere conatur: repudiant illud propter acerbiores conditiones Poeni, & auxilium contra Romanos petunt ab Lacedaemonijs. Dux mittitur Xantippus. Attilius interea, magno animo & erecto, nullo concutitur metu,

(Jamque ejus mentem Fortuna fecerat quietem,

canit fortean de illo Naevius apud Priscianum) Instructa acie, Xantippus Romanos castris exuit; Regu-

lum cum XV. millibus arte capit; caesis millibus XXX.

Naevio lux *(Vere igitur hanc proculdubio Romanorum, qui Victores hactenus contra Poenos fuerant, cladem designans Naevius, canit lib. IV. belli Poenici, apud Noniũ cap. II:*

. . . . Vicissatim volvi victoriam.)

CCCCXCIIX Sequenti anno M. Aemilius Paullus & Ser. Fulvius Nobilior coss. audita captivitate Reguli, & clade Romani exercitus intellecta, transire in Africam cum classe CC. navium jussi, Clupeam petunt. Eo etiam Karthaginiẽses cum pari classe veniunt Nulla pugnandi mora. CIIII. Poenorum naves demersae; XXX. captae; XXXV. millia militum caesa. Maria salsa spumant sanguine *(ut Ennio utar)* Romanorum IX. naves deprehensae; CIↃ C. perierunt milites

RATIBUSQUE XIX

Debetur hoc Servio, qui apud CL. V. Petrum Danielem. Tempestas describitur, quae Romano exercitui cum Victoria & Praeda multa ex Africa reduci nimisquam funesta fuit in interiore mari. Excellunt in Tempestatibus describundis Poetae, praecipue Veteres illi. Periclitari videor, quoties in nonnullos hic incido. Tam vivis omnia coloribus depinguntur

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. Eodem

CLassis Romana, in Italiam praedis onusta remeans, infando naufragio, ad Cossuram in mari Africo, fremente mari *(ut hoc)* & ventis furentibus, *(ut sequenti fragmento canit poeta)* evortitur.

Ex

Ex ccc. navibus, ccxx. pereunt; LXXX, abjectis oneribus, vix liberatae. *(De naufragio illo Cn. Naevius lib. IIII. apud Calpurnium lib. II:*

Inhospitaalis victrIceis absorbet unda
Latium Legioones hemoonum ..

Vide quae notavi initio libri I. Annalium, ad I. Fragmentum.) In locum amissarum navium totidem factis & conjunctis LXXX, quae ex clade supererant, Cn. Cornelius Scipio Asina & A. Attilius Calatinus prae- ccccxcix
fecti, & profecti sequenti anno in Siciliam, Panormum, Poenorum urbem, obsidione capiunt. Paullo post Cn. Servilius Caepio, C. Sempronius Blae- IↃ
sus coss. cum CLX. navibus in Africam transgressi, universam oram maritimam depopulantur. Ignari locorum, quum in Syrtes impulissent, &, oneribus abjectis, retro in Siciliam, inde in Italiam irent; orta tempestate, CL. naves onerarias & praedam amittunt. Fit SC. ne amplius quam LX. navium classis ad subsidium Italiae haberetur. Decreto illo rupto, se- IↃI
quenti anno in Siciliam ab Senatu mittitur C. Aurelius Cotta cos. Hic plurimis praelijs adversus Poenos & Siculos pugnat, & per totam Siciliam partim hostium, partim etiam sociorum inhumanas strages relinquit; stabilita multis exemplis disciplina militari

FURENTIBUS XIX

Servius ad illud VirgilI I. Aeneidos:

Nimborum in patriam, loca foeta furentibus Austris
AEoliam venit;

Figura est, inquit, *celebrata apud Virgilium. Est autem species pro genere. Legerat enim apud Ennium:*

. . . . . *Furentibus ventis:*

sed, quasi asperum, fugit, & posuit Austris pro Ventis. Quo pertineat, praecedentis fragmenti historia indicat

Denique xx

Macrobius lib. VI. cap. IX. ubi haec: *Bene, inquit Servius, haec tibi quaestio nata ex incuria veteris lectionis. Nam quia saeculum nostrũ ab Ennio, & omni bibliotheca vetere descivit, multa ignoramus, quae non laterent, si veterum lectio nobis esset familiaris. Omnes enim antiqui, ut hominem equo insidentem, ita & equum, quum portaret hominem, equitem vocaverunt: & equitare non hominem tamtum, sed equum quoque dixerunt. Ennius libro Annalium* VII. *ait:*

Denique vi magna quadrupes eques atque elephanti
Projiciunt sese . . . .

Numquid dubium est, quin equitem in hoc ipsum equum dixerit, quum addidisset illi epitheton quadrupes. Agellius lib. XVIII. cap. V. *Quem* (loquitur de Ennianista quodam, qui Puteolis in Theatro, voce admodum scita & canora, ad populum legebat EnnI Annales) *quum jam inter ingentes clamores legentem invenissemus (legebat autem librum ex Annalibus EnnI septimum) hos eum primum versus perperam pronunciantem audivimus:*

Denique vi magna quadrupes equus atque elephanti
Projiciunt sese . . . .

Neque postea multis versibus additis, celebrantibus eum laudanti-

busque omnibus, discessit. Tum Iulianus egrediens e Theatro, Quid vobis, inquit, de hoc ἀναγνώσῃ *& de quadrupede equo videtur? Sic enim profecto legit:*

Denique vi magna quadrupes equus atque elephanti
Projiciunt sese . . . .

Ecquid putatis, si magistrum praelectoremque habuisset alicujus aeris, quadrupes equus dicturum fuisse, ac non quadrupes eques? quod ab Ennio ita scriptum relictumque esse, nemo unus litterarum veterum diligens dubitavit: Et quae multa ibi alia huic versui illustrando ab erudito Grammatico subjiciuntur. Notandum autem, quod adscribit Agellius, hunc Εὐνιόφιλον, haud multis versibus additis, discessisse: Pauci enim ex libro VII. restabant pronunciandi, & ad umbilicum fere venerat Anagnostes: quod vel liquet ex Fragmentis, quae hic a me collecta, &, quemadmodum Historiae series flagitabat, collocata. Sunt eadem apud Iunium Philargyrium, qui ad VirgilI illa III. Georg. (notata etiam non solum Agellio, sed & Macrobio) *Agellius illustratus*

Frena Pelethronij Lapithae, gyrosque dedere
Impositi dorso, atque equitem docuere sub armis;

Hic Equitem, inquit, *sine dubio equum dicit, maxime quũ inferat,*

Insultare solo.

Ennius autem lib. VII:

Denique vi magna quadrupes eques atque elephanti
Proiciunt sese . . . . .

Ad eadem VirgilI Servius, *Equitem,* ait, *id est equum. Nam pro Equo rectorem posuit.* Sic paullo post, inter incerta, mihi saltem, hujus libri fragmenta noster poeta:

Inter quadrupedes equites . . . . .

quod notat Nonius Marcellus cap. II. §. 296

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. ɔ II.

ANno ɔ II. L. Caecilius Metellus C. Furius Pacilus cum pedestribus copijs in Siciliam missi. Furius paullo post cum parte copiarum Romam revertitur. Quo cognito Asdrubal, novus Poenorum dux ex Lilybaeo in Panormitanū agrum cum elephantis cxxxiii. & equitum peditumque amplius xx. millibus irrumpit; Metellum, qui Panormi se continebat, ad pugnam provocans. Eum Metellus, quum flumē trajiceret, adortus magno praelio superat, elephantis, quos in Romanos Asdrubal impulerat, in suos consilio retroactis & in fugam cum equestribus copijs se projicientibus *(quod hic notat Ennius)* xx. millia Karthaginiensium caesa, elephanti xxvi. interfecti, ciiii. capti & per Italiam cum voluptate spectantium ducti: de quibus postea speciosissimus triumphus actus. Asdrubal cum paucis Lilybaeum profugit, & absens a Poenis capite damnatur

Quianam xx

Festus lib. de verbor. signif. xix: *Quianam pro quare & quur positum, apud antiquos:* & laudatis NaevI verbis. *Ennius in libro septimo:*

quianam dictis nostris sententia flexa 'st?

Ennius suppletus.

Doctissimus vir supplet voce *Heu.* Sic enim Virgilius:

Heu quianam tanti cinxerunt aethera nimbi?

Prisciano melius.

Quianam, διατὶ, ut exponit Priscianus libro xvii. qui sic

emen-

emendandus. Legitur enim, quamvis praemisso VirgilI versu, *Quia*, διατί. Enniani loci admonet Servius ad Aeneid. lib.x; ubi Virgilius:

Coelicolae magni, quianam sententia vobis
Vorsa retro? tamtumque animis certatis iniquis?

Quanam, ait ille, *Ennianus sermo est*. Legendum, praeeunte Virgilio, cujus nonnulla exemplaria & hic laborant, *Quianam, Ennianus sermo est* (& Servio)

HISTOR. CONTINVAT

(AB. V. C. Eodem)

SIc victi & labefactati Poeni, Regulum captivum de pace, aut de captivis commutandis, Romam mittunt; juratum, ut nisi redditi essent sibi quidam nobiles; Karthaginem ipse rediret. Senatum ingressus, conditionem dissuadet, *(ad Dissuasoriam illam videntur haec EnnI referenda)* reddi Captivos, negans utile. Valet maximi viri auctoritas; qui rejectis a se conjuge, liberis, amicis; Karthaginem, conservans jusjurandum, est regressus

AMPLIUS XX

Festus de verbor. signif. lib.XIII: *Obstitum obliquum. Ennius lib.*XVIII:

Montibus obstitis obstantibus, unde oritur lux.

*Et lib.*VIII:

Amplius ex augure obstipulumve solis.

C Licinius Imbrex. Resupina obstito capitulo sibi ventum facere cunicula. Lucretius:

Omnia mendose fieri, atque obstita necesse est

V.N.

V.N. Iosephus Scaliger intacta relinquit in suis Castigationibus haec Festi; & scribens ad me Vulgatam retinet, aitque ad hanc EnnI vocem: *puto, ut in Vulgatis, obstito. Nam aliud Obstipum.* Magni mihi maximi viri auctoritas: quia tamen Festus paullo ante *Obstitum* interpretetur ex Cloatio & Aelio Stolone, *violatum attactumque de coelo*; vel ex Cincio, *eum qui deo deaeque obstiterit, id est, qui viderit, quod videri nefas:* quum item in EnnI fragmento diserte extet *obstipo* non *obstito*: emendarim totum hunc Festi locum, & legerim hoc modo: *Obstipum obliquum. Ennius libro* XVIII:

Festo medicina, & apud eum

Ennio *Montibus obstipis obstantibus, unde oritur lux.*

(Possent tamen esse *Obstiti montes*, qui propter altitudinem *de coelo tacti.*) & libro VII:

Iterum *Amplius exangere obstipo lumine solis.*

(Attilium Regulum ita credo fuisse collocatum ab Poenis, ut lumē solis illi fuerit obstipum, id est obliquum; quo summo opere fuerunt ejus oculi exancti & discruciati; certe quid *obstitum solis lumen*, id est de coelo attactum, fateor me ignorare)

Licinio Imbrici C.*Licinius Imbrex: Resupina obstipum caput; culo si vis ventum facere, genicula* (*Resupinare* & *Geniculare*, capite etiam terrae impacto, contraria. *Obstipum caput* nominant Horatius libro II. Sat. IV. & Persius Satyra III. Quin & M.Tullius Arati illa;

Λοξὸν δ' ἐςι κάρη: νεύοντι δὲ πάμπαν ἔοικεν
Ἄκρην εἰς ἑλίκην οὐρὴν;

doctissimus interpres hoc modo vertit:

Obstipumque caput, tereti cervice reflexum;
Obtutum in cauda Majoris figere dicas.

Plinio Plinius lib. VIII. Nat. Hist. cap. II: *Index*, inquit, *suis invalidae*

cruor

cruor in radice ſetae dorſo evulſae, caput obliquũ in inceſſu: quamvis idem, malim tamen: *caput obſtipum in inceſſu.* Sic enim Columella lib. VII. cap. X. de Suibus: *Febricitantium ſigna ſunt, quum obſtipae ſues tranſverſa capita ferunt, & per paſcua ſubito, quum paullum procurrerint, conſiſtunt.* Suetonius ſcribit Tiberium fuiſſe cervice rigida & obſtipa, cap. LXVIII. Pergit apud Feſtum) *Lucretius:* Lucretio

Omnia mendoſe fieri atque obſtipa neceſſe'ſt.

Exſtant lib. IV. de rer. nat. Sic autem legendum illa, ſuadẽt, quae praecedunt ibi, quae ſequuntur. Reſpuunt enim corruptiorem vocem *Obſtita*; ut quae ſenſum turbaret, quaeque ibi

Prava, cubantia, prona, ſupina, atque abſona tecta,

ſua fulguratione plane evorteret

HISTOR. CONTINVAT

POeni illum excogitatis atque horrendis cruciatibus necant. Reſectis palpebris ſoli expoſitum, & deinde anguſta arca incluſum, ubi ſtare cogeretur, clavis acutiſſimis undique introrſum actis, ut ſe in nullam ejus partem ſine poenis atrociſſimis inclinaret, vigilijs & dolore perimunt AB. V. C. Eodem

MOLTIPLICANT XX

Priora exſtant in Gloſſario CL. V. Gulielmi FornerI: φόνευσις, *Funus, Caedes, Ennius:*

. . multiplicant Romani funera late
Quam pullus furtim noctu . . . . .

Poſteriora apud Macrobium leguntur libro I. Sat. cap. IV: *Reliqua autem verba,* inquit, *quae Avieno noſtro nova viſa ſunt, veterum nobis ſunt teſtimonijs adſerenda. Ennius enim, niſi cui*

videtur inter nostrae aetatis politiores mundicias respuendus, noctu concubia dixit his verbis:

Qua Galli furtim noctu summa arcis adorti
Moenia concubia, vigilesque repente cruentant.

Quo in loco animadvertendum est non solum, quod noctu concubia, sed etiam quod qua noctu dixerit. Et hoc posuit in Annalium septimo, &c. Hic, quam ibi, obscurius & corruptius. Ibi pro *quam* legendum *qua*, docente Macrobio: Hic vero pro *Galli* reponendum inde *Pullus*, & pro *adorti* scribendum *adortus*; hoc modo:

Ennius emendatus

. . *moltiplicant Romanei funera late,*
Qua Pollus furtim noctu summa arcis adortus
Moinia, concubia, vigilesque repente cruentant.

Pullus cognomen est familiae *Iuniae:* ut haec proculdubio pertineant ad annum ꟾↃIV. quo Fasti Capitolini & Siculi coss. edunt P. Claudium Ap. F. C. N. Pulcrum, L. Iunium C. F. L. N. Pullum. Fastos sequitur Censorinus. Sensus est: Romanos milites funera & caedes multiplicasse, latã stragem edidisse, vigilesque & praesidiarios milites cruẽtasse, inque eos ferro desaevijsse noctu concubia & intempesta, qua L. Iunius Pullus Consul summa moenia arcis (sic *Eryx* poetae vocatur, Siciliae urbs, quod nimirum in sublimi tumulo arcis instar esset sita: videndus Polybius lib. I.) adgressus, victoriae jam contra Poenos faciebat initium. Hoc lucis illudque medicinae a me his EnnI tenebris, istique illius vulneri: aliud alij promant

Explicatus

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. ꟾↃIII

REverso Karthaginem M. Attilio Regulo, & dirissimis ibi cruciatibus exstincto. C. Attilius

lius Regulus & L. Manlius Vulso coss. cum classe cc.navium, & IIII. Legionibus Lilybaeum proficiscuntur. urbem obsidio cingunt. Praeerat Imilco. Annibal Amilcaris filius ex Africa cum classe missus & intra opidum receptus Poenos animat. Inde

. . *fames acer augescit hostibus* . . Naevio lux.

(ut canit in bello Poenico Naevius apud Priscianum) hinc multos Romanorum delet diuturna obsidio; tandem coss. majore exercitus sui parte amissa, aegre evadunt. Sequenti anno P. Claudius Pulcer in Siciliam missus, cum Adherbale, qui Drepani erat, congressus, captis XCIII. navibus, vix cũ XXX. Lilybaeum in castra confugit; condemnatur ille judicio ab Romanis, quod ejus temeritate cladem acceptam satis constaret. L. Iunius Pullus cos. alter, reparata classe, a Romanis in Siciliam mittitur; ut, qui Lilybaeum obsidebant, opem ferret. Classis Romana, quae in portu Lilybaetano stabat, interea a Karthalone & Imilcone praefectis incenditur partim, partim capitur. Qua re cognita, Pullus, omni classe per saevam tempestatẽ amissa, solicitus Lilybaeum contendit; inde, in Eryce monte & opido capto *(quod canit hic Ennius)* praesidijs impositis, Romam redit

IↃIIII

HOCCE LOQUUTU. XX

Laudantur haec ab Agellio lib. XII. Noct. Att. cap. IV. Locum non adscribam, quod prolixior. Legendus tamen, ut

pareat, quamtum inter haec & vulgata dissidium. Corrupta enim ibi pleraque, in quibus sanandis varia & felicia varie & feliciter se torserunt ingenia. Religio mihi hoc loco quidquam adferre contra mentẽ & Turnebi lib. XXVIII. cap. XXXII. & Iusti LipsI Antiquar. Lection. lib. II. cap. XXII. principum Criticorum. Vetusta hic omnia, at venusta

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. IↃV

MOx C. Aurelius Cotta, P. Servilius Geminus coss. in Siciliam transgressi Lilybaeum & Drepanum oppugnant; Poenos terra prohibent. Eos avortendi caussa, Karthalo classe oram Italiae peragrat; inde, orta mercenariorum militum seditione permotus, in Siciliam redit. (*Adloquitur apud Ennium Servilius, instructa acie, vel Conlegam Aurelium, vel alium, cujus nomen nobis periit. De hoc anno, qui* XVII. *belli Poenici* I. *fortean apud Nonium cap.* IV. §.242. *Naevius lib.* VI. *ejus belli:*

Ennius illustratus

& Naevius

. . *septimum decimum annum illico sedent.*

nihil adfirmo. Pauci NaevI versus nobis superant, unde certi quid potest colligi; & in iisdem NaevI naevi non pauci)

LOQUUTU' 13.) Marius Victorinus de Orthogr. *At quum locutus, secutus per C: quum quidam praecipiant ad originem debere referri; quia est locutus a loquendo, secutus a sequendo, per Q potius, quam per C haec scribenda*

MENSAM SERMONESQUE 14.) Videndum, num ex pulcerrimo hoc EnnI fragmento quaedam enotarit C. Pli-

C. Plinius Secundus, ſcribens Priſco ſuo. Epiſtola exſtat lib. II. numero XIII

DE SUMMEIS 16.) Imitatus Ennium Lucilius in Satyris: *Lucilius exprimit Ennium*

Conſilium ſummis hominum de rebus habebant

CONSILIO 17.) Homerus Odyſſ. γ *Homerum Ennius*

ὀυδὲ πότ᾽ ἐν ἀγορῇ δίχ᾽ ἐβάζομεν, ὀυτ᾽ ἐνὶ βουλῇ;
ἀλλ᾽ ἵνα θυμὸν ἔχοντε νόῳ καὶ ἐπίφρονι βουλῇ.

Qui verſus ſummam concordiam & omnium rerum conſenſum notant

ENDO FORO 17.) Sic Lucilius: *Lucilius iterum Ennium*

Totus item pariterque die popoluſque patreſque
Iactare endo foro ſe omnes, decedere nuſquam

MOLTA TENENS ANTEIQUA 26.) Homerus Odyſſ. ε: *Ennius iterũ Homerum*

. . . . . παλαιά τε πολλά τε εἰδὼς

INTER PUGNAS 30.) Quae pugnabantur ad Lilybaeum & Drepanum opida

HISTOR. CONTINVAT

SEquentibus annis N. Fabius Buteo cos. Drepanum obſidet, & Columbariam inſulam capit: AB. V. C. ↄↄVI
Poeni Italiae littora ſua claſſe infeſtant. M. Fabius ↄↄVIII
Buteo Claſſem Poenorũ in Africo mari apud Aegimurum, Italiae minitantem profligat & caedit. C.
Lutatius Catulus cos. reparata claſſe CCC navium, ↄↄXI
adverſus Poenos miſſus in Siciliam, Drepani por-

tum, & ceteras, quae circa Lilybaeum stationes in potestatem pop. Romani redigit. Occurrit illi cum pari classe Anno: commisso apud Aegates insulam praelio, res Romana superior; magnus navium numerus submersus, magnus item captus; reliquae Annonem, primum fugae ducem, sequutae, Hieronesum fugiunt; hostes caesi infiniti, infiniti capti. Ea Lutatl contra Poenos victoria gravissimo bello
IↃXII finem imponit. Nam sequenti anno, coss. Q. Lutatio Cercone & A. Manlio Torquato (*qui ejus belli* xxiv.) petentibus Karthaginiensibus pax data. Leges hae latae: Poeni Sicilia & omnibus insulis, quae inter Italiam & Africam, excederent; duo millia & ducenta talenta in annos xx. penderent, in praesens mille; Captivos Romanos sine precio redderent; utriusque populi socij apud utrumque populũ tuti essent; alterius socios neuter in amicitiam reciperet; Neuter in alieno imperio imperaret, neve milites conduceret. (*De his Legibus duo NaevI fragmenta supersunt apud Nonium cap.* vii §. 54. Paciscunt, *inquit*, Naevius belli Punici libro septimo:

Id quoque paciscunt moenia sint, quae Lutatium
Reconciliant captivos plurimos . . .

Idem:

. . . *Sicilienses paciscit obsides*
Ut reddant . . . . .

Inter-

Interpungenda haec, postulante sententia; & emēdanda: *Naevius emendatus*

Id quoque paciscunt Poinei a Siculis, quo Lutatium
Reconcilient . . . .

Idem:

CaptIvos plurimos Sicilienses paciscit,
Ut reddant obsides . . . .)

Eodem anno Sicilia prima provincia facta, regno Hieronis Syracusani excepto. *(De qua re nonnihil etiam apud Naevium de bello Poenico. Citat Nonius* *Nonio melius* *cap.* III.§.122: Loca, *inquit*, generis sunt neutri. Masc. Naevius belli Poenici lib. VII:

Convenit, regnum simol atque locos ut haberet.

Restituendus enim numerus; & , extrita una littera, *& Naevio* *pro* haberent, *quod in Vulgatis, reponendum* haberet. *Nam de Hierone exaudienda)*

POSTQUAM XX

Servius ad illud VirgilI VII. Aeneidos:

Tum regina Deum coelo delapsa, morantes
Impulit ipsa manu portas, & cardine verso
Belli ferratos rupit Saturnia postes;

Ἀκυρολογίαν, inquit ille, *fecit, mutādo EnnI versum. Nam ille ait:*

Belli ferratos postes portasque refregit.

Auctiora haec tribus vocibus apud Horatium, lib. I. Ser. Satyr. IV:

eripias si
Tempora certa modosque, & quod prius ordine verbum est,

Posterius

Poſterius facias, praeponens ultima primis:
Non ut ſi ſolvas: Poſtquam diſcordia tetra
Belli ferratos poſtes, portaſque refregit;

ubi Acron: *Senſus hic eſt,* inquit: *Si ordinationem metricam mutes in opere LucilI vel meo, non eamdem gravitatem invenies, quam in EnnI verſu, vel PacuvI ſoluto, id eſt, non ita invenias, quemadmodum ſi ſolvas verſus EnnI aut PacuvI, qui etiam ſoluti altitudinem & tumorem poematis obtinent.* Et clarius Porphyr. vel quocumque nomine ſit appellandus: *Si diſſolvas,* ait, *verſus vel meos vel LucilI, non invenies eadem verba, quae ſunt in Ennianis verſibus, qui magno ſcilicet ſpiritu & verbis altioribus compoſiti ſunt, veluti hi ſunt:*

. . . poſtquam diſcordia tetra
Belli ferratos poſtes portaſque refregit

HISTOR. CONTINVAT

AB.V.C. ɪↄxv

ANno ɪↄxv, domitis aliquo ante a L. Manlio Torquato Faliſcis, Galli Ciſalpini, novi hoſtes, exſurgunt. Adverſus eos varia ſorte bellatum. Primo conflictu, P. Valerio Faltone cos. tria millia, quingenti Romanorum cadunt; ſecundo, quatuordecim millia Gallorum caeſa, duo millia capta. Eodem anno Ligures, imis Alpium jugis adhaerentes, inter Varum & Macram flumina dumis ſylveſtribus impliciti, ut major eſſet difficultas invenire, quam vincere; a Ti. Sempronio Graccho, ValerI conlega, ſuperantur. Sequētibus annis contra Gallos

ɪↄxvi

& Ligures pugnatum trans Padum: primo a Q. Ful-

vio

vio Flacco, & L. Cornelio Lentulo coss. deinde a IↃXVII
P. Cornelio Lentulo, & C. Licinio Varo coss. a qui-
bus agri parte multati pacem impetrant. Gallico tu-
multu composito, Lentulus cum exercitu profi-
ciscitur contra Ligures; quibus victis, castella ali-
quot in ditionem suam redigit. Varus Corsos ad-
gressus subigit, neglecto foedere, quod cum ijs fece-
rat M. Claudius Clinias. Sardiniae etiam, quae ex IↃXIIX
conditione pacis cum Poenis factae, Romanis pare-
re debebat, arma eodem tempore inlata. Subigitur
illa ductu T. Manlij Consulis, certum accipiens im-
perium: &, pace omnibus locis facta, Templum Ia-
ni est clausum: sed portas ejus refregit, *ut canit En-*
nius, sequenti anno discordia tetra, & iterata defe- IↃXIX
ctio a populo Romano Sardorum, Corsorum &
Ligurum: qui victi a Sp. Carvilio Ruga & L. Postu-
mio Albino coss. Rebellantes aliquoties tandem IↃXX IↃXXIII
multis malis fracti quiescunt

ILLURIEI XX

Paullus, non ex Festo, vel vi Festo facta: *Sibinam appellant Illyrici telum venabuli simile. Ennius:*

Illyrici restant sicis sibinisque fodentes

HISTOR. CONTINVAT

ANno IↃXXIV. primum cum Illurijs bellum AB. V. C. IↃXXIV
initum. Ejus caussa (*ut Polybius notat*) caedes
Legati CoruncanI, jussu Teutae Illuriorum reginae,

propter ſuperbius illius reſponſum, patrata. Ad necem illam ulciſcendam, comparata claſſe, mittuntur ab Romanis Cn. Fulvius Centumalus & L. Poſtumius Albinus coss. Redacta in poteſtatē Apollonia, & acceptis in deditionem Dyrrhachinis, Teu-
IↃXXV ta cum paucis Rhizonem confugit; quae, Vere appetente, Legatos Romam de pace mittit. Ea data his conditionibus; ut Teuta quotannis tributum penderet; omni Illurico excederet; ei extra Liſſum navigare non liceret, niſi cum duobus lembis, ijſque inermibus. *(Addam obiter reliqua ad bellum Punicum II. bellum ſummum, ſumma geſtum utrimque in-*
IↃXXIIX *duſtria, cujus initium libro ſequenti.)* Tertio poſt anno, Bellum Gallicum Ciſalpinum ſuſcipitur, natum ex lege C. FlaminI Tribuni plebis, quam ille aliquot
(IↃXXV) ante annos de agro Piceno & Gallico, viritim dividendo, tulerat. Inrumpunt Galli cum validiſſimo peditum equitumque exercitu in Etruriam. Romani, tumultu Gallorum nunciato, maximas comparant copias: quarum cum parte L. Aimilius Papus Ariminum, ut Gallorum tranſitum impediret, contendit; alteram praetor in Etruriam adducit. Iam Cluſium pervenerant Galli. Praetor, conlatis ad Faeſulas ſignis, fugatur: cum auxilio inexſpectatus adeſt Aimilius cos. Is Gallos cum praeda abeuntes ab una parte, ab altera C. Attilius Regulus, AimilI conlega,

ex

ex Sardinia revocatus, adorti, ingentem hostium stragem edunt. Attilius & duo Gallorũ reges Congolitanus & Anervestus pereunt. Aimilius vastato Bojorum agro, Romam triumphans redit. Anno IↃ xxx. C. Flaminius & P. Furius Philus in Galliam IↃxxx
legiones ducunt: repulsi ab Insubribus in Coenomanorum sociorum fines se recipiunt; inde rursus in Insubres se inferunt, & victoriam referunt; caesis Gallorum VIII. millibus, XVII. millibus captis. Se- IↃxxxi
quēti anno fusi fugatique ijdem a M. Claudio Marcello & Cn. Cornelio Scipione coss. occiso Marcelli manu rege Virdumaro; liberato obsidione Clastidio; captis Acerris; expugnatis Mediolano, quod Insubrium caput, & Como opido. Insubres, desperatis rebus, se suaque Romanis dedunt: atque ita bellum confectum. Quod deinde M. Minucio Rufo, P IↃxxxii
Cornelio Scipione coss. Istris, qui latrocinati naves Romanorum frumentarias fuerant, inlatum est: qui multo Romanorum sanguine perdomiti & subacti, vi partim, partim deditione. Biennio post ite- IↃxxxiv
rum cum Illurijs bellatum. Belli caussa Demetrius Pharius rex Illuriorum, qui, avocatis ad alia Romanis, Illurica opida Romanis subjecta vastarat, & fines foedere constitutos transcenderat. Missi contra eum L. Aimilius Paullus & M. Livius Salinator; Dimalo opido expugnato, Illurijs in fidem acceptis,

capto Pharo; regem Demetrium ad Philippum Macedonum principem fugant, & reliquas Illurij civitates sibi adjungunt

RESTANT 37.) *Restare* eleganter pro *Resistere*, cujus notionis haec vox non semel apud Livium. Sic Tibullus:

Dum fugiunt Troes, dum restat barbarus Hector.

Lucilius Sat. XXVIII. apud Nonium cap. IIII. §. 484; ubi *urgere* pro Insistere:

Caede hostium, gnato urgere restant perimus.

Inemendatius paullo hoc LucilI, & ex libro Satyr. XXIX. apud eumdem cap. quod dixi, §. 97; ubi *Caedere*, frangere:

Caede ostium, grato urgere istam perimus

Lucilio melius

Reposuerim, commodiore sensu:

Caede ostium; gnato urgenti restant; perimus.

Vel praeeuntibus, aliquo modo exaratis manu libris:

Caede ostium; gnate urge; restant: perimus

Ennius castigatior

SIBUNEIS 37.) Sic potius scribendum, quam *Sibinis*. Apud Paullum *Sibynam appellant Illurici telum, venabuli simile:* credo, quia videbat Paullus (nam Festi vel VerrI vix est) eo Illurios armari apud Ennium. Romanus Acinace, qui Medorum; Gallus Rhomphaea, quae Thracum; Germanus Falarica, quae Saguntinorum, armetur: absurdum adcensere statim Acinacem Romanorum, Rhomphaeam Gallorum, Falaricam armis Germanorum. Sudas Σιβύνην apud Macedonas scribit esse ἀκόντιον ῥωμαϊκον. Nec ille bene. Voluit fortasse scribere Sudas, Σιβήνην esse ἀκόντιον θηρεύτικον, vel quid aliud. Σιβήνη venabulum, apud Athenaeum: μεθ' οὓς ἐπόμπευσας κυνηγοὶ δύο ἔχοντες σιβήνας ἐπιχρύσους, &c. Glossarium:

Sudas forte correctus

Σιβωύνη.

Σιβών, *Venabulum*, lege Σιβήνη. Huic Venabulo non absimile erat telum illud Macedonicum Σιβών. Apollonio lib.II. Σιγήνη agnoscitur hastile Macedonicum, ubi melius Σιβυνή. Quae omnia sic distinguo & emendo, sequutus Glossarium FornerI, ubi distincte: Σιβήνη, Venabulum; Σιβήνη, *Telum Macrum*. Corrigendum censeo: *Telum Macetum*. Adstipulatur V. N. Iosephus Scaliger; cujus mihi auctoritas merito maxima. Admonuit me hoc loci ex Agellio lib.x. cap.xxv. *Scibonum* Pancratius Castricomius: quem amicorum mihi numero adscripsit cum sanctissima morum comitas, (de me nolim hic judex esse) tum incredibilis studiorum similitudo. Iuris enim Praxin (quae quam mihi cordi & curae; edito ante annos aliquot opere, declaravi, & in posterum declarabo fortean manifestius) ita amat, ut cognitionem & veterum & nostrarum rerum non neglegat, odiove secretiora haec studia (ut multi) prosequatur

Glossarium emendatum

Apollonius tentatus

Glossar. FornerI emaculatum

FODANTES 37.) Legebatur apud Paullum *fodentes*. *Fodare* dixerunt Veteres pro Fodere, Festo apud Paullum adstipulante: nisi legendum apud eum *Fodicare*, fodere, quo utitur M. Tullius Cicero; nisi item apud Ennium κατὰ συναίρεσιν *Fodentes* pro *Fodientes*

Ennio medicina

LEGIO XXI

Nonius Marcellus cap. IV. §. 403: *Rumor, favor, auxiliatio. Virgilius lib.*VIII:

Ergo iter inceptum peragunt rumore secundo;

*id est, prospero favore & auxilio fluminis. Fenestella Annalium lib.*XXII. *Itaque ut magistratum Tribuni inierunt, C. Cato turbulentus adolescens & audax, nec imparatus ad dicendum initionibus assiduis invidebat & Ptolemaeo qui jam profectus ex urbe erat & P. Lentulo Consuli parenti jam iter cogitare secundo quidem populi rumore coepit. Ennius Annalium lib.*VII:

legio reditu rumore ruinas
Mox auferre domos populi rumore secundo.

Fenestellae vetus scriptura adserta,

Lego & emendo Scriptores veteres apud Nonium: Fenestellam quidem: *Itaque, ut magistratum Tribuni inierunt, C. Cato turbulentus adolescens, & audax, nec imparatus ad dicendum, concionibus adsiduis invidiam & Ptolemaeo, qui jam profectus ex urbe erat, & P. Lentulo Consuli, paranti jam iter, concinnare, secundo quidem populi rumore, coepit.* Non improbo; si quis malit, *concitare.* Pertinent haec Fenestellae ad annum ab V. C. ƆƆCXCVI: quo consulatum Kalendis Ianuarijs inierant, P. Cornelius P. F. Lentulus Spinther, Q. Caecilius Q. F. Q. N. Metellus Nepos. Eo anno Ptolemaeus Aegypti rex, amicus atque socius populi Ro. quod ingentem pecuniae vim ab Aegyptijs extorsisset, quodque Ciprum ab Romanis repetere, aut amicitiam eis renunciare nollet, regno pulsus, Romam venit; P. Lentulo, cui Cilicia obtigerat, adhuc Consule; petens, ut in regnum restitueretur. Aegyptij quoque evecta ad regale fastigium Berenice, Ptolemaei sorore, Legatos & ipsi Romam miserunt, qui regem reum agerent. Horum alios obstinatiores rex ferro sustulit, alios mitioris indolis, & qui flecti poterant, pecunia corrupit, ne quid contra se tentarent. C. Porcius Cato Tribunus pl. qui Eid. Dec. magistratum inierat una cum P. Rutilio Lupo, C. Caninio, L. Racilio, C. Plancio, A. Plautio, Sex. Antistio Vetere & Cassio (horum enim nomina ex decem Tribunis supersunt ejus anni, apud M. Tullium Ciceronem lib. I. Epistol. ad Familiares, & lib. II. ad Q. Fratrem; item apud Dionem lib. XXXIX.) adsiduis concionibus apud populum accusavit, &, quam potuit maximam, invidiam paravit, non solum Ptolemaeo ex urbe jam profecto; sed & P. Cornelio Lentulo, iter jam in Ciliciam paranti, & re-

& lux concinnata

ſtitutionem Ptolemaei omni ſtudio molienti. Ennium vero ſic reſtituo:

. . . *legio reditus rumore ruinas*
Mox auferre domos . . . .

Cetera, quae repetita ex Feneſtella propter verſus ſimilitudinem, adſuta ſunt imprudenter Ennio, nullo ſenſu. Cui enim fini tantillo intervallo ejuſdem vocis iterata mentio. Quur vero, ſint enim EnnI, ita caecutivit Macrobius lib.VI. ut potius VirgilI illa, qui eopſe loquendi modo utitur,

Glossema ex EnnI verbis ejectum

Ergo iter inceptum peragunt rumore ſecundo;

commiſerit cum SuevI verſu lib.V.

Reddinunt, referuntque petita rumore ſecundo.

(ſic enim legendum) quam cum Ennio, qui Virgilio nuſquam non videtur fuiſſe in manu & oculis. Tenebroſus autem EnnI locus neſcio quid velit: ideo incerto mihi loco poſitus; ut & ſequentes

Suevius ſanatus

AT NON XXI

Nonius cap.II.§.296: *Equitē pro equo. Virgilius Georg. lib.III:*

. . . *atque equitem docuere ſub armis*
Inſultare ſolo, & greſſus glomerare ſuperbos.

*Ennius Annalium lib.*VII:

At non quadrupedes equites . . .

Adi Lector, quae notata paullo ante ad verſum EnnI:

Denique vei magna quadrupes eques atque eleſantei
Projiciunt ſeſe . . . .

DUX IPSE XXI

Priſcianus lib.VI: *Ejuſdem,* inquit, *id eſt, primae declinationis femininorum genitivum etiam in As, more Graecorum, ſolebant antiquiſſimi terminare: unde adhuc* Paterfamilias *&* Materfamilias,

milias, *pro* familiae *solemus dicere; & frequens hoc habet usus. Livius in Odyssea:*

Atque escas habemus mentionem;

Escas *pro* escae. *Ibidem:*

Nam diva Monetas filiam docuit;

Levis conjectura in Livio Andronico

(Verius arbitror *Divae*, vel *Divam*. Glossarium: *Moneta*, & alio loco *Muneta*, μνημοσύνη. De Iunone Moneta multa sunt apud Livium, Macrobium & alios.) *In eodem:*

Mercurius, cumque eo filius Latonas;

pro Latonae. *Naevius in carmine belli Punici primi:*

. . . . . inerant signa expressa,
TitaanI quo modo & bicorpores Gigantes,
Mimas, Ephialtes, Rhoitus atque Purpureus;
FiliI Terras . . . .

(haec enim NaevI sic memini me libro I. emendare) *In eodem:*

EI venit in mentem hominum fortunas;

pro fortunae. *Ennius in septimo Annalium*

. . . . dux ipse vias;

pro viae. Sic Lucretius lib. IV. de rer. nat.

Quom jam destiterunt ea sensibus usurpare,
At reliquias tamen esse vias in mente patentis:

Antiqua Lucretio scriptura reposita

Frustra enim putant nonnulli emendandum ibi *reliquas vias*. Tò *At* revocandum ad superiorem versum, ut recte monet vir eruditus Obertus Gifanius. Sic Attius in Fidicinis, apud Nonium:

Neque ulla interea finis curas datur

PAVLLI

PAVLLI G. F. P. N. MERVLAE COMMENTARIA IN Q. ENNI POETAE ANTIQVISSIMI FRAGMENTA ANNALIVM LIBRI VIII

OPTUMA XXI

PRiſcianus libro XVII: *Per eos igitur quinque modos inveniuntur variationibus, id eſt ἀλλοιότησιν, uſi auctores. per ſpecies, ut Ennius:*

Optima coelicolum Saturnia magna Dearum.

Magna dixit pro maxima, poſitivum pro ſuperlativo, quum apertiſsime ſuperius Optima Coelicolum dixiſſet. Simile notat Aelius Donatus de Schematibus: *Per comparationes,* inquit, *ſicut;*

Reſpondit Juno Saturnia ſancta Dearum.

Quae *Maxima Iuno*, indicat Servius ad VIII. Aeneidos. *Optuma, Maxuma Iuno* apud Ennium; quemadmodũ apud omnes: *Iuppiter Optumus, Maxumus.* An non hoc EnnI legerit Catullus? qui ad Manlium: *Ennium fortean imitati Catullus*

Saepe etiam Juno maxuma Coelicolum
Conjugis in culpa flagravit cotidiana.

Et Tibullus lib. IV. quum ait: *Tibullus*

Haec tibi ſancta tuae Iunonis numina juro;
Quae ſola ante alios es mihi magna Deos

HISTOR. CONTINVAT

BElla Gallicum, Liguſtinum, Sardoum, Inluricum, Iſtricum & alia ſequutum eſt Punicũ II. Intulit illud Annibal filius Amilcaris, quẽ ad Aega- *AB. V. C. (IↃ XI)*

 tes

tes inſulam ſuperioribus annis vicerat C. Lutatius. (IↃ XXXII) Hic triennio ante in demortui Aſdrubalis locum Imperator in Hiſpania declaratus, in Olcadum fines irruperat, (IↃ XXXIII) expugnata ibi Altheia: ſequenti anno, ducto in Vacceios exercitu, Helmandicam & Arbocalam urbes ceperat, & Carpetanos ad deditionem adduxerat. Terrore illo compulſi Saguntini Legatos Romam mittunt. Bellum S. P. Q. R. Annibali indici iubet per Legatos, niſi Sagunto abſtineret. (IↃ XXXIV) Annibal nihilominus anno IↃ XXXIV. Saguntum oppugnatum intra VIII. menſes capit. Romani Legatos Karthaginem mittunt, qui Annibalem rupti foederis auctorem depoſcerent, &, niſi traderetur, bellum indicerent. Non parenti Poeno bellum indictum. Supplicationes decernuntur; DI Deaeque, ut faciles & propitij adeſſent, juvarent, fortunarent, & bene feliciterque cuncta verterent, orantur; tam ardenter, *(ſi fas credere)* ut quae ab initio urbis conditae infenſior fuerat rebus Romanis & creſcenti gloriae, eo tempore fuerit exorata Iuno. *(Ad ſolemne illud Precationis carmen haec EnnI auſus ego referre. De exorata bello Punico II. Junone, ejuſque mitigata in Romanos acerbitate, ſcribit Servius ad illa VirgilI I. Aeneidos,*

. . . . . . quin aſpera Juno,
Quae mare nunc terraſque metu, coelumque fatigat,

Consilia in melius referet, mecumque fovebit
Romanos, rerum dominos, gentemque togatam,

Quia, *inquit,* Interpres bello Punico secundo Iuno placata coepit Romanis favere. *Quae ServI verba in Conlectaneis meis ad fragmentum hoc EnnI,*

Optuma Coilicolum Saturnia magna Dearum,

adscripta margini; vel mea, quum festinarem aliudve agerem, vel Impressorum culpa, inde in textum irrepserunt, & imprudenter his EnnI tabulis sunt adspersa & adpressa initio libri VIII; *quum non alio fini a me ibi essent collocata, quam ut in conficiendo Commentario ijs probarem, haud male me fragmentum, quo de agitur, in hujus libri fronte posuisse. De flexis eo tempore DIs Deabusque, & in primis fortean Junone, exaudiendus Propertius lib.* III. *Eleg.* III; *ubi quae scripta ab Ennio, paucis commemorat:* *Propertius inlustratus.*

Et cecinit Curios fratres & Horatia pila;
Regiaque Aemilia vecta trophaea rate;
Victricesque moras Fabij, pugnamque sinistram
Cannensem, & versos ad pia vota Deos.

Quae PropertI faciunt, ut facile credam ardentes Romanorum preces, de quibus paullo ante dixi, incidisse in annum ab V.C. IↃXXXVII. quo immanis illa ad Cannas accepta clades; & tunc demum, desperatissimis rebus, placatum fuisse ab Romanis durius illud, & quod acerbius semper erant experti, numen *Ennio secũdior cura*

MARSA XXI

Turbatior hoc loco in mea editione (nam error, qui suprà notatus, alium peperit errorem) est duorum fragmentorum ordo: alterum enim alteri praemittendum; quum Marsi Pelignique devicti, anteaquam debilis audierit, & timiditatis insimulatus Fabius. Exstat apud doctũ Grammaticum & diligentem veterum Scriptorum lectorem, Sosipatrum Charisium lib.IIII. ubi de Schemate λέξεως, suppresso auctore: Σχέσις ὀνομάτων, *est, quum juxta plures antonomasiae ponuntur, ut:*

Marsa manus, Peligna cohors, festina virum vis.

Apud Aelium item Donatum, de Schematibus: Σχέσις ὀνομάτων, inquit, *est multitudo nominum conjunctorum quodam ambitu copulandi, ut:*

Marsa manus, Peligna cohors, Festina virum vis

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. IↃXXXV

ANno IↃXXXV. coss. P. Cornelio Scipione & Ti. Sempronio Longo, Annibal, trajecto Ibero, Ilergetibus, Bargusijs, Auselanis & alijs Hispaniae populis usque ad Pyrenaeos montes subactis, per Galliam ad Alpes venit, & in Italiam rransgressus, P. Cornelium ad Ticinum, Ti. Sempronium ad Trebiam acie sternit.

IↃXXXVI

Anno sequenti Annibal primo vere ex Gallia in Etruriam, Apennino superato & oculo frigoribus amisso, profectus, Romanum exercitum ad lacum Trasumenum fundit, occiso etiam C. Flaminio; &, paucis post diebus, quatuor Equitum millibus in umbria circumventis. Iis cladibus

dibus acceptis, Prodictatore Romae dictus Q. Fabius Maximus, qui Magistrum Equitum M. Minucium Rufum creat. Annibal interim ex Etruria per umbriam & Picenum, Marsis & Pelignis vastatis, in Apuliam venit

FESTEINA 22) Adscripserat margini sui Sosipatri Ianus Duza V.N. nobilissimam conjecturam *Vestina*: ut indicet Ennius ab Annibale, anteaquā veniret in Apuliam, etiam vastatos cum Marsis & Pelignis Vestinos, qui Italiae populi inter Picenos & Sabinos, apud Plinium libro naturalis historiae III. cap. V. & XI *Elegans in Enniano versu conjectura*

DEBIL XXI

Nonius Marcellus cap. I. §. 208: *Debilo, debilis. Ennius lib.* VIII:

Debilo homo . . . . . .

Legendum jam docti viri monuerunt, *Debil* pro *Debilo*. Hoc certum O litteram, quae apud Ennium in capite posterioris, adhaesisse iteratione quadam calci vocis prioris. *Debil*, ut *facul*, *famul* & alia talia. Multa vocabula apud Oscos ἀποκοπὴν patiebantur: eorum linguae peritissimus erat Ennius

HISTOR. CONTINVAT

EO & profectus cum Romano exercitu Q. Fabius, castris se continens, Annibalem juveniliter exsultantem sua cunctatione frangit, (*Eleganter Attius in Bruto:* *AB. V. C. Eodem*

Saepe ignavit fortem in spe exspectatio)

& rem Romanam servat: M. Minutio Rufo illum adsidue segnem, timidum, & *(ut Ennius innuit)* de-

 bilem

bilem hominem appellante; quin & M. Metilio Tribuno plebis cunctationem ejus infamem apud populum faciente

Ennio lux

Debil 19.) Adludit haec vox ad Q. FabI cunctationem, quam adscribebant praviora ingenia nō industriae & prudentiae maximi viri; sed timiditati, debilitati, &, ne quid injuriarum jocorumque omitterent, pedibus vitiosis, quique munere suo haud rite fungi valebant: quemadmodum videre est apud Lucilium, qui in Satyris totam hanc Cunctatoris historiam, adjectis etiam utrimque orationibus, videtur descripsisse. Confirmandis, quae dixi, fragmenta nonnulla subjiciam, ἱστορέων, ex libris quidē xxix. xxx. & xxxi; quae tamen omnia libro xxx. scripta facilis inducor. Noverunt, quibus visi & conlati aliquādo MSS. cum impressis, quanta in numeris varietas: quin & variant numeri fragmentis sequentibus praejecti in varijs editionibus; quaeque vulgatae citant ex xxix. antiquus apud me codex laudat ex xxx. Historiam, inlustrando Lucilio, ordior; sequutus cum Livium, tum alios historiographos.

& Lucilio: cujus fragmenta ad suas historias hic vocata.

Fabius Dictator animum Annibalis ferocientem moraeque impatientem, cunctando & exercitum circumducendo, haud procul Arpis in Apulia castris se continens, ut dixi, frangebat. Artis istius ignarus Magister Equitum Minutius, cui omnis mora erat longa, Dictatorem apud milites pro Cunctatore segnem, pro cauto timidū appellat, imo ne quid ignominiae omitteret, inter alia haec audet:

Tristem, corruptum, scabie & porrigini' plenum,

Insanumque vocant; quin malta ac foemina dici
Volt . . . .

(Cohaerent eleganter hi versus. Priorem citat Nonius cap.II. §.701; posteriorem idem cap.I. §.167. qui ita emaculandus. Vulgati enim libri: *Lucili fragmenta connexa ac correcta*

Insanum vocant, quem maltam ac foeminam dici
Volet . . . .

sensu parum commodo, & vitiosis numeris. In meo codice *jubet* scriptum pro *volet)* ipse, & in Conlegium avet cooptari mulierum, quae timidioris sunt naturae, quibuscum ad omnem strepitum perhorrescit, atque adeo umbram etiam suam metuit, multo magis Annibalem, qui

Et saevo ac duro in bello multo optumus hostis.
At si progeniem antiquam, qua Maxumu' Quinctus,
Qua varicosu', vatrax . . . . .

(Nec horum versuum inconcinna connexio. Prior apud Nonium cap.IIII.§.132.& 413. *Bellum saevum ac durum*, Punicum illud secundum. *Optumus hostis* Annibal dicitur, qui dexteritate summa exsequebatur & obibat actiones militares. Bonus miles, fortis; bonus Imperator, prudens, cautus, cordatus, qualem paucis se describit Achilles apud Homerum IX. Iliados: *Iterum*

Ὡς δ' ὄρνις, ἀπτῆσι νεοσσοῖσι προφέρῃσι
Μάστακ' ἐπεί κε λάβῃσι; κακῶς δὲ ἄρα οἱ πέλει αὐτῇ.
Ὣς καὶ ἐγὼ πολλὰς μὲν ἀΰπνους νύκτας ἴαυον
Ἤματα δ' αἱματόεντα διήπρησσον πολεμίζων. *Imperatoriae virtutes*

In summo Imperatore, inquit M. Tullius pro lege Manilia, *quatuor hae Virtutes inesse debent: Scientia rei militaris, Virtus, Aucto-*

Auctoritas, Felicitas. Ibidem: *Hae ſunt Virtutes Imperatoriae; Labor in negocijs, Fortitudo in periculis, Induſtria in agendo, Celeritas in conficiendo, Conſilium in providendo.* Et: *Non ſolum Bellandi virtus in ſummo atque perfecto Imperatore quaerenda eſt; ſed multae ſunt artes eximiae, hujus adminiſtrae comiteſque virtutis. Primum quanta Innocentia; quanta deinde omnibus in rebus Temperantia, Fide, Foelicitate, Ingenio & Humanitate Imperatores eſſe debent?* Idem Tullius: *Non poteſt exercitum is continere Imperator, qui ſeipſum non continet; Frugi hominem dici non multum habet laudis in rege: Fortem, Iuſtum, Severum, Gravem, Magnaninum, Largum, Beneficum, Liberalem & Manſuetum: hae ſunt regiae laudes.* Ab harum virtutum pleriſque Imperator, etiam hoſtis, *optumus* dicendus. Poſterior verſus cum Hemiſtichio eſt apud eumdem Nonium cap.1.

Lucilius apud Nonium ab menda & gloſſemate liberatus

§.99; quem ſic, ut expreſſi, emendandũ arbitror, expuncta voce *Vacax*, quam *Quinto* ſubjectam nonnullae editiones adgnoſcunt. Adludit Minutius Rufus contumelioſius ad ſecundũ Q. FabI Maximi cognomen, quod erat teſte Plutarcho *Verrucoſſus*, a Verruca in labijs. Sunt qui notant cognomẽ hoc omnibus litteris exaratum eſſe in MSS. NonI exemplaribus. non pugno. In antiquiſſimo apud me libro *Vatricoſus* legitur.) & vitioſis hic pedibus homo ſe ortum gloriatur, in memoriam revocemus; certe alius erat antiquis iſtis viris ad provocandum hoſtes & conſerendum cum ijs manus, animus, alia mens: Ipſi non provocati, ſed ultro hoſtibus obviam ſunt, pauciores numero, nullis auxilijs, profecti. Quoties autem hic laceſſitus ab Annibale? quoties pugnam, tam inſigni ſaepe occaſione oblata, detrectavit? Et ſimilia. Negligit omnia Fabius, & infracto animo

cuncta

cuncta convicia habet insuper: qui, communitis in Larinate agro castris, Romam, sacrorum caussa, revocatus, consilio ac prope precibus agens cum Magistro Equitum, hortatur ut plus consilio, quam fortunae confideret; se potius, quam Sempronium Flaminiumque, imitaretur; crederet, non parum actum, exactam fere aestatem per ludificationem hostis; sciret medicos interdum plus quiete; quam movendo, quam agendo, proficere. Haec praemonito, sed frustra, Minutio; Fabius Romam proficiscitur. Quum absente Dictatore bene a Magistro Equitum cum Annibale dimicatum, Romae esset nunciatum: populus M. Metil I tribuni plebis concionibus incitatus, rogationem ejus de Iure Dictatoris & Magistri Equitum adaequando accipit. Redit Roma ad exercitum Fabius. Gloriatur Minutius immodeste, non Annibale magis victo a se, quam Fabio fracto: qui, Tu, inquit, ferox rapidusque in consilijs ac lingua immodicus primo inter paucos, deinde propalam in vulgus me pro Cunctatore segnem, pro cauto timidum appellasti, adjiciens me huc venisse ad spectandum sociorum caedes & incendia, me credere sedendo & votis debellari posse Annibalem; &

Gaudes, quom de me ista feris sermonibu' differs,

(Laudatur ab Nonio cap. IIII. §. 131. ubi malim *feris* pro *foris*) *Idem obiter correctus*

ris) meque abominandis probris adficis: atque adeo virulenta tua lingua tantum effeciſti, ut, dum me omne genus contumelijs & calumnijs laceras,

Et maledicendo moltis ſermonibu' differs,

(Citat Nonius loco, quem dixi. Hic enim *Differre* exponit *dividere* vel *ſcindere*; ibi vero *diffamare, divulgare*. Buttubatta NaevI, quaſi non ejuſdem notionis apud Lucilium) aequatum fuerit inter me Dictatorem teque Magiſtrum Equitum, quod nulli habent Annales, Imperium.

Haec tu me inſimulas

(Hoc huicque, quod ſequitur, adnatum exſtat apud Nonium cap.IIII.§.495.) & hujus Plebiſciti viribus inſolentior, tu optimum ducis, aut diebus alternis, aut, ſi majora intervalla placerent, partitis temporibus, ſummum jus imperiumque omne penes unum eſſe: ut par hoſti nō ſolum conſilio, ſed viribus etiam eſſes, ſi qua occaſio rei gerendae daretur. Patior omnia. Sed

nonne ante in corde volutas,

communicatum tecum Imperium, nō vero ademtum mihi? me non tempora aut dies ImperI tecum, ſed exercitus diviſurum? me meis conſilijs, quum omnia non licet, quae potero ſaltem, ſervaturum? Interea convicia tua aequo animo feram. Nam

Nolito tibi me maledicere velle putare,

Lucilius apud Nonii emaculatus

(Nonius cap.x.§.6. ut vetuſtiores Codices) Sequi malo

Cogno-

Cognomen, quod ab morum clementia mihi inditum. Obtinet tamdem, ut Legiones inter ſe dividerent. Prima & Quarta Minutio, Secunda & Tertia Fabio eveniunt; item Equites pari numero, Sociorumque & Latini nominis auxilia dividunt; caſtris quoque ſe ſeparat Magiſter Equitum. Duplex gaudium pariunt Annibali & libera MinutI temeritas & imminuta dimidio virium FabI ſolertia. Prolicit ad certamen Magiſtrum Equitum Poenus. Ille ſuos hortatur & in hoſtem exſtimulat: Age miles, arma cape, contra hoſtes carpe viam. Ego vobis, populi Romani auſpicijs, dux ero; nuſquam abero; me hoſti, nihil timens animoque infractus, objiciã;

Hic corpus ſolidum invenies, hic ſtare papillas
Pectore marmoreo . . . . .

(Nonius cap. IV. §. 421.) & firmo; in eodem pectore animam deprehẽdes, qui ad ſubeundum, quidquid erit periculorum, paratiſſimus. An cunctandum? an moras nectendum, donec pulcerrima nobis conſerendi cum hoſtibus manus, & victoriam conſequẽdi occaſio adimatur? donec hoſtes nobis

Tutius intentent mortes, & foedera tollant?

(Emendatio certiſſimi juris. Citat Nonius cap. I. §. 4. mutile admodum, triga vocum, quae primae hic, deficiente. In quibuſdam antiquioris notae libris, legitur; *Iterum: & ſuppletus ab antiquo Codice*

Tanti ſe temporis montes & foedera tollent.

In meo exemplari, paullo ſanius:

Tutius & tenerent mortes & foedera tollent;

quae facile viam ad certam medicinam monſtrant. *Foedera tollant*, id eſt foederatos nobis populos tollant; vel, e medio auferant; vel, minis precibuſve nobis ſubducant) Concurritur: exorti ſubito inſidiatores & ab tergo incurſantes faciunt, ut nec animus Romanis ad pugnam, nec ad fugam ſpes cuiquam ſupereſſet. Hic Fabius; Ita eſt, exclamat: Quod timui, accidit. Temeritas Minutl rem Romanam turbavit: Sed aliud erit objurgandi tempus. Nunc, quoniam aequatus ille mihi imperio,

Conlegae auxilium, tamen etſi indignu', feramus.

Inſignis Lucilio medicina

(Nonius cap. IIII. §. 186: ubi incmendate, quod alibi monitum;

Colligere auxilium, tametſi eſt indignum, ut feram.)

Signa extra vallum proferte; Victoriam hoſti extorqueamus, confeſſionem Erroris civibus. Iam caeſis magna ex parte alijs, alijs fugam circumſpectantibus; Fabiana ſe acies repente, velut coelo demiſſa, ad auxilium oſtendit; ea Romanos ab fuga effuſa, ab feroce vero pugna hoſtes continet. Sic Res Romana reſtituta. Auditum ab Annibale; ab ſe Minutium, ſe ab Fabio victum. ubi in caſtra reditum eſſet, Minutius convocatos milites hortatur ad Caſtra cum Fabio jungenda. Parent. Profecti agmine incedenti ad Dictatoris caſtra, in admirationem & ipſum,

ipſum, & omnes, qui circa erant, convertunt. ut conſtituta ſunt ante Fabij tribunal ſigna, progreſſus ante alios Minutius: Ave, ait, pater; parentibus meis vitam debeo; tibi cum meam ſalutē, tum omnium horum. Me mea ambitio, & ſiniſtrae quorumdam, qui perverſioris ingenI, artes praecipitem egerant & in manifeſtum raptarant exitium: Ego peccatum adgnoſco; pravos hortatores in poſterum fugiam. Temere enim

Neminis ingenio quemquam confidere oportet.

(Citat Priſcianus: paullo aliter Nonius cap.II.§.575:

Neminis ingenium tantum confidere oportet.)

ut laus ex hoc praelio parta tibi, ſed quae intra anguſtiores etiamnum limites;

. . . . . *ſic ubi ad auris*
Fama tuam pugnam claraus alata dicaſſit;

(Haec lectio ab magno Lipſio; a me *dicaſſit*, concinnando meliori ſenſui. Solide, ut ſolet ille. Corruptiſſima haec in Vulgatis: *Iterum*

Fama tuam pugnam claram allata dicaſſet.

Vetus apud me Codex & MSS. *illatam*; unde quidam *illuſtremque*. *Clarare*, vox proba. Horat. Carminum lib.IIII. Od.III: *Clarare*

Illum non labor Iſthmius
Clarabit pugilem; non equus impiger
Curru ducet Achaico
Victorem . . . . .

Clarabit, inquit Commentator, *nobilitabit, notum omnibus faciet*. Eleganter autem *Fama* cluit *alata*. Nam Alae illi adfinguntur propter celeritatem. Virgilius IV. Aeneidos:

Alata fama

Jllam Terra parens, ira irritata Deorum,
Extremam, ut perhibent, Coelo Enceladoque ſororem
Progenuit, pedibus celerem & pernicibus alis.

Scribit etiam Heſiodus Famam volare, quia Numen. Feriati eſſet ingenij omnia, quae huc, recenſere) omnes mortales egregias tuas Virtutes depraedicabunt; omnes eas

Moltis endo loceis ſermonibu' concelebrabunt;

Lucilius correctus

(Nonius cap. IV. §. 109. Alij libri *indoctis*; alij *inductis*, unde fecerunt CLL. VV. Iuſtus Lipſius *indu loceis*, Iacobus Cujacius *endo loceis*, quem hic ſequor, Giſanius *inde locei*, quem ego alibi etiam ſequutus) omnes eas in coelum ferent. Ego interea plebiſcitum, quo oneratus magis ſum quam honoratus, primus antiquo abrogoque; &, quādoquidem curatio mihi altior meo faſtigio data, quod felix ſit tibi mihique, tuo exercitui meoque, conſervatori & conſervato, ſub imperium auſpiciumque tuum redeo, & ſigna haec legioneſque reſtituo. Potuiſſem ad eamdem hiſtoriam referre alia quaedam Lucilī fragmenta, haec:

Hoc tum ille habebat & fere omnem Apuliam;

Locus Lucilī deſperatior, ad certam tamen hiſtoriā reductus

(Nonius cap. IV. §. 226. Latet in primis vocibus aliquod regionis, Piceni vel alius, nomen; quam & Apuliam, vaſtatis Marſis & Pelignis, occupatas ab Annibale ſcribit forte Lucilius)

Sic

Sic inquam veteratorem illum, vetulum lupum
Annibalem acceptum . . . . . .

(Idem eodem capite, §.15. Videntur esse LucilI verba, narrantis Annibalem, quum victor jam esset de Minutio Magistro Equitum, male & infeliciter acceptum fuisse ab superveniente Fabio Dictatore, & misere deceptum, Victoria ad Romanos transeunte.) *Iterum*

Deletionem nostri ad unum exercitus;

(Idem capite 1. §. 217. Petita fortassean haec ex oratione MinutI, quum opera & industria FabI esset liberatus, fatentis indubiam totius sui exercitus internecionem, ni Fabius auxilium tulisset) & similia; si persuadere mihi potuissem, Iambos superioribus Heroicis fuisse admistos; quamquam Lucilio Satyras scribēti id in more fuisse multa docent argumenta. Ab Lucilio divorsus aliquamtum, ad Ennium redeo *Tertium*

UNUS HOMO XXI

M. Tullius lib. de Officijs primo: *Quanto Q. Maximus melius? de quo Ennius:*

Unus homo nobis cunctando restituit rem.
Non ponebat enim rumores ante salutem:
Ergo postque magisque viri nunc gloria claret.

Et de Senectute, ubi non paucis, quae praeclare ab Q. Fabio Maximo gesta, describit: *Hic*, inquit, *& bella gerebat, ut adolescens, quum plane grandis esset; & Annibalem juveniliter exsultantem patientia sua molliebat, de quo praeclare familiaris noster Ennius:*

Unus homo nobis cunctando restituit rem;

& quae sequuntur, superioribus consimiliter. Servius ad VI. Aeneidos: Fabius Maximus, *quum Annibalis*, inquit, *im-*

petum ferre non poſſet, mora eum eluſit, & ad Campaniam traxit, ubi delicijs virtus ejus obtorpuit. Hic eſt, de quo Ennius:

Unus homo nobis cunctando reſtituit rem.

cetera, ut apud Ciceronem

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. Eodem

Minutium ſolito ferociorem faciunt aequatum imperium & decreta illi plebiſcito pars Fabiani exercitus; qua ab Fabio accepta cum Annibale ſigna confert: inclinante Romanorum acie, accurrens cum exercitu ſuo Dictator rem turbatam reſtituit, ab Magiſtro Equitum Pater appellatur; in caſtris & Romae ſummis laudibus in coelum tollitur (*Haec apud Ennium verba ſunt egregiam FabI Cunctatoris virtutem depraedicantium: quamquam non incommode videri poſſint eſſe & verba L. AemilI Paulli, paullo poſt Conſulis ad Conlegam ſuum C. Terentium Varronem, dehortantis praecocem pugnam; & ſalutarem reip: cunctationem FabI inculcantis*

EnnI fragmentum non malo ſenſu alio tractum

Macrobius caſtigatus. Ennium vel exprimunt vel imitatur Virgilius

UNUS 24.) Citat & Macrobius lib. vi. Saturnal. cap. 1, corrupto numero, cum eo committens VirgilI illud vi. Aeneidos:

. . . . tu Maximus ille es,
Unus qui nobis cunctando reſtituis rem.

Serenus

Sic Serenus de Fabio:

Interdum exiſtit turpi verruca papilla:
Hinc quomdam Fabio verum cognomen adhaeſit,

Qui

Qui solus patriae cunctando restituit rem,
Id poterit vitium sanguis curare lacertae.

Ovidius II. Fastorum: *Ovidius*

Scilicet ut posses olim tu Maxime nasci,
Cui res cunctando restituenda foret.

Transfert eumdem versum ad Bibulum hominem ignavum M. Tullius ad Atticum lib. II. Epist. XIX. *Bibulus in coelo est: nec, quare, scio: sed ita laudatur, quasi* *Cicero*

Unus homo nobis cunctando restituit rem.

Imitatur eumdem versum apud Suetonium Octavianus Augustus, in Epistola ad Tiberium: *Octavianus Augustus*

Unus homo nobis vigilando restituit rem.

Et doctissimus, judicijque exactissimi Ianus Duza in Plautinis explicat. lib. IV. cap. XVI. de CL. V. Barnabae BrissonI formulis: *Ianus Duza*

Unus homo nobis Romanam restituit rem.

Ille denique (alios enim praetereo) de Christo: *Poeta non ignobilis*

Unus homo lapsam moriendo restituit rem

CUNCTANDO 24.) Livius libro ab V. C. XXX: *Sic nihil certius est, quam unum hominem nobis cunctando rem restituisse, sicut Ennius ait.* Eo respicit Propertius lib. III. Eleg. III. ubi inter alia de EnnI scriptis: *Livius* *Propertius*

Victricesque moras Fabij, pugnamque sinistram
Cannensem . . . . . .

Fortean legerat haec EnnI & Ammianus lib. XVI: *Hinc & deinde nec itinera nec flumina transire posse sine insidijs putans, erat providus & cunctator: quod praecipuum bonum in magnis* *Ammianus*

ductoribus opem ferre ſolet exercitibus & ſalutem : certe poſtrema vox poetae noſtri

Cunctando 24.) *Multa* quidem, ut ſcribit apud Nonium Attius in Diomede,

amittuntur tarditate, ſocordia:

ſaepe tamen, ut ſcribit idem apud Feſtum in Chryſippo,

Meliu'ſt pigraſſe. Namque properaſſe eſt nefas.

Attio emendatius

Sic enim obiter emendo hunc AttI verſum. Ex hac FabI cunctatione natum Proverbium : *Romanus ſedendo vincit*, quo utitur M. Terentius Varro de re Ruſtica lib. I. cap. II. Divine Silius Italicus libro XVI:

. . . . *ſat gloria cauto*
Non vinci pulcra eſt Fabio, peperitque ſedendo
Omnia cunctator nobis . . . .

Ennium exprimit Gaſparinus Pergamenſis

Non ponebat 25.) Hunc EnnI locum in memoria habuit Gaſparinus Pergamenſis, mediae aetatis ſcriptor, in Epiſtolis: *Sed ut probe ſemper cavi, ne umquam rumores ante aequitatem ponerem; ita providendum tibi cenſeo, ne aliqua culpa tua haec opinio de te contracta videatur.* Summum in Epiſtolis oſtendit ſe auctor ille Ictum, & plane Plinium exprimit

& Plinium

Rumores 25.) Qui ſparſi de ſe erant in vulgus ab M. Minutio Rufo Mag. Eq. & M. Metilio Trib. plebis

Ergo magisque 26.) Varie hic verſus legitur: ſcribendus, ut expreſſi. Videndus Muretus Var. lib. VI. cap. XIIII

Gloria claret 26.) Cum omnium Annalium

vocibus,

vocibus, tum posito in honorem ejus marmore: quod hodieque Florentiae in domo ornatissimi atque doctissimi viri Petri VictorI, teste Onuphrio Panuinio: *Lapis Fabio, sed multo post ejus abitionem, positus*

Q. FABIVS. MAXIMVS
DICTATOR. BIS. COS. V. CENSOR
INTERREX. II. AED. CVR. Q. II
TR. MIL. II. PONTIFEX. AVGVR
PRIMO. CONSULATU. LIGURES. SUBEGIT
EX. IEIS. TRIUMPHAVIT. TERTIO. ET. QUARTO
HANNIBALEM. COMPLURIBUS. VICTORIS. FERO
CEM. SUBSEQUENDO. COERCUIT. DICTATOR
MAGISTRO. EQUITUM. MINUCIO. QUOIUS
POPULUS. IMPERIUM. CUM. DICTATORIS
IMPERIO. AEQUAVERAT. ET. EXERCITUI
PROFLIGATO. SUBVENIT. ET. EO. NOMINE. AB
EXERCITU. MINUCIANO. PATER. APPELLATUS
EST. CONSUL. V. TARENTUM: CEPIT. TRIUMPHAVIT
DUX. AETATIS. SUAE. CAUTISSIMUS. ET. REI. MILI
TARIS. PERITISSIMUS. HABITUS. EST. PRINCEPS. IN
SENATUM. DUOBUS. LUSTRIS. LECTUS. EST

PELLITUR XXI

Leguntur haec apud Agellium lib. xx. Noct. Attic. cap. ix, qui adeundus. Videntur haec proxime superioribus adhaesisse. Laudato enim ab peritia rei bellicae Q. Fabio Maximo, exclamat & ingerit haec, vel populus Romanus, vel, quod magis placet, ipse Ennius, digressus aliquãtum contra corruptos Ducum & Militum mores; languente, imo nulla, disciplina militari; inter alia conquerens ritum, quo bella indicebantur, temerari & jura militaria in rep. Romana magno ejus malo non conservari *Ennio lux*

PELLITUR 28.) παραφραστής quasi vel ἐπισκευαστής potius plerorum hic EnnI est Tullius in oratione pro Muraena:

Etenim, inquit, *ut ait ingeniosus poeta & auctor valde bonus, praelijs promulgatis;*

Ennio apud Ciceronem paullo emẽdatius & distinctius

> *Pellitur e medio*

non solum ista vestra verbosa simulatio prudentiae, sed etiam ipsa illa domina rerum

> *Sapientia; vi geritur res,*
> *Spernitur orator*

non solum odiosus in dicendo, ac loquax; verum etiam

> *bonus; horridus miles amatur.*

Vestrum vero studium totum jacet

> *Non ex jure manu consertum, sed mage ferro,*

inquit,

> *Rem repetunt.*

EnnI tabulae alibi fortean collocandae

Sic enim locus ille legendus. Faciunt autem illa Ciceronis *praelijs promulgatis*, ut non ausim dissimulare hos EnnI versus non incommode referri posse ad Legationem; qua Karthaginem anno IↃXXXIV. missa Romani decreverunt, ut vel Annibal rupti foederis auctor ad poenam posceretur, vel Poenis id nolentibus bellum indiceretur

Docteis dicteis 30.) Calpurnius Piso ubi de Adnominatione, quam Paronomasiam dicimus: *Cicero ait: facie magis; quam facetijs ridiculus. Sic Ennius: Haud doctis dictis certare, sed maledictis. Pacuvius:*

> . . . . *me*
> *Terit fames: pavore fama concutit;*
> *Lapit cor cura* . . . .

Pacuvius correctus & connexus

Exstant haec in PacuvI Periboea, conjungenda, praeeunte magno Scaligero, cum ijs, quae apud Nonium in *Lapit*,

Aetas

Aetas mala, Timiditas (ubi *Territat*, pro *Terret* ſcribe) & *Expedibo* (ubi pro *factum mihi*, repone *actutum ibi*) omnia hoc modo; per Dialogiſmum:

A. me
Terit fames, pavore fama concutit,
Lapit cor cura, airumna corpus conficit.
B. Parum eſt, quod te aitas male habet, ni etiam hic ad malam
Aitatem adjungas cruciatum reticentia?
Ecfare: quai cor tuum Timiditas territat?
A. Mane, expedibo actutum, ibi quod contra rogo reſpondeas

MISCENT 31.) Vel haec, vel quae ſequitur vox *agitantes* mihi ſuſpecta

Ennius ſuſpectus

NON EX IOURE 32.) Citantur hi duo verſus ab M. Tullio lib. VII. Epiſt. XIII. ad Trebatium: *Tantum metuo,* inquit, *ne artificium tuum tibi parum proſit. Nam, ut audio, iſtic*

Non ex jure manu conſertum, ſed mage ferro
Rem repetunt, regnumque petunt, vadunt ſolida vi

Hoc moneo, poſtrema illa non eſſe in antiquis libris. Fortean hoc EnnI in oculis habuit Varro lib. IV. de L L. quum ſcriberet: *Sic conſerere manum dicimur cum hoſte; ſic, ex jure manu conſertum vocare?* Nota eſt vetus illa Vindicationis formula: *Ex jure manu conſertum voco*, quae ſingularijs litteris notata apud Valerium Probum in juris civilis notis: E. I. M. C. V

Vetus Vindicationis formula

SED MAGE FERRO 32.) Divine admodum Euripides in Helena; quae Ennium nonnihil illuſtrant:

Μισεῖ γὰρ ὁ θεὸς τὴν βίαν: τὰ κλητὰ δὲ
Κτᾶσθαι κελεύει πάντας, οὐκ εἰς ἁρπαγάς.
Εατέος ὁ πλοῦτος, ἀδικός τις ὤν.
Κοινὸς γάρ ἐστιν οὐρανὸς πᾶσι βροτοῖς,
Και γαῖ' ἐν ᾗ χρὴ δώματ' ἀναπληρουμένους
Τ' ἀλλότρια μὴ 'χειν, μήδ' ἀφαιρεῖσθαι βία

A ſuſcipiendo bello duo abeſſe debent, *Injuſtitia* & *Temeritas:* notat Lipſius de Civili doctrina libro v. cap.iii

REM REPETUNT 33.) M. Terentius Varro de vita populi Ro. libro ii. apud Nonium cap.xii. in *Feciales: Itaque,* inquit, *bella & tarde & nulla licentia ſuſcipiebant, quod bellum nullum, niſi pium, putabant geri oportere, & prius quam indicerent bellum iis, a quibus injurias factas ſciebant, Feciales Legatos res repetitum mittebant quatuor, quos Oratores vocabant:* Quibus ſubjungenda, quae Varronis apud eumdem Nonium,

Varronis fragmenta conjuncta

eodem cap. in *Caduceus: Verbenarius,* ait, *ferebat verbenam. id erat Caduceus, pacis ſignum. Nam MercurI virgam poſſumus exiſtimare.*

Clarigare

Plinius lib.ii.cap.ii: *Clarigare* exponit *res raptas clare repetere.* In antiquo Gloſſario memini haec legere: *Clariga,* τοὺς ἀδικήσαντας ἠχάδης πείθε τὰ ἡρπαγμένα ἀποδιδόναι; εἰδὴ μὴ, ἀυτοῖς κατάγγελλε τὸν πόλεμον. Maxime proprie. Res qua ratione repeti ſoleant, docent cum alijs Dionyſius Halicarnaſſ. lib.ii. Livius lib.i. Agellius libro XVI. cap.iv. ex CincI libro iv. de re militari

VADUNT SOLIDA VEI 32.) *id eſt graſſantur*, inquit V. N. Ianus Duza

PRAICOX XXII

Nonius Marcellus cap.ii. §. 627: *Praecox & Praecoca, quod eſt immatura. Ennius Annalium lib.*VIII:

Praecox pugna eſt

Lucilius

Lucilius lib. VIII:

Anicula aſpera atque praecox eſt fuga.

Nonius:

Huic puellae praecoquis libido ineſt.

In veteri libro Nonius ſic legitur: *Praecox & praecoquia idẽ quod immatura:* qui & pro Lucili illo *Anicula* agnoſcit *Amicula*; & *Novio* ſubficit *Naevium*; quorum utri quod in fine quis adſcribat, parum refert. Non enim ibi vorſantur populi vectigalia. Quid lateat apud Lucilium in prima voce, nondum liquet. Certe *libro tertio* (nam ſic omnibus litteris notatur in antiquo Codice) deſcripſiſſe videtur poeta iter Roma Brundiſium; vel, ut alij volunt, Capuam uſque, & ad fretum Siculum. An de iſthoc itinere fragmentum illud exaudiendum, neſcio. Certe eo referenda, quae apud Agellium lib. XVI. cap. IX: *Lucilius ſuſpectus*

Verum hic ludus ibi ſuſque omnia deque fuerunt,
Suſque & deque fuere hic omnia ludu' jocuſque.
Illud opus durum, ut Setinum acceſſimu' fines,
Τὸ λοιπὸν; *Montes Aetnae omnes, aſperi Athones.*

Sic enim ſcribenda cenſeo, quae corruptiora in vulgatis. Indicat poeta totum iter ad Setinorum, qui populi ſunt in Campania, uſque fines viatoribus tam fuiſſe commodum, ut etiam ludendo, connugando & feſtivis jocis indulgendo fuerit peractum: ibi autem opus fuiſſe durum, ibi laborem, ut ventum eſt ad Setinorum agros. Nam quod viae inde ad deſtinata reſtabat, fuiſſe inſtar Montium Aetnae & Athonis. Iis adhaeſit proxime carmen illud apud Nonium cap. VIII. §. 46, ubi ἀπὸ τοῦ *Labos* dirivari notat *Laboſum*, non *Laborioſum* *Lucilius apud Agellium ab gloſſemate liberatus & illuſtratus* *Lucili tabulae compoſitae*

Praeterea omne iter hoc eſt laboſum,

inquit. In Veneto Codice, auctius duabus vocibus:

Praeterea

Praetrea omne iter est labosum atque lutosum.

Eidem melius

Scripsit fortassean poeta:

Praeterea hoc iter omne labosum est atque lutosum.

Ad idem iter referendum, quod apud Agellium lib. I. cap. XVI. & Macrobium lib. I. Saturn. cap. V

HISTOR. CONTINVAT

AB V. C. IↃXXXVII

ANno sequenti Consules facti C. Terentius Varro, L. Aimilius Paullus III. utrique bellum decretum cum Annibale, qui, quum inopiam cibi, qua valde laborabat, ultra pati non posset, insidijs, quas Consulibus struxerat, detectis, in calidiora & messibus maturiora Apuliae loca nocte proficiscitur. Varro, repugnante Paullo, Annibalem cum exercitu insequitur. Annibal prope Cannas castra ponit, avorsa a Volturno, qui campis siccitate torridis nubes pulveris vehebat. Consules ibidem castra communiunt. Eos directa acie lacessit Annibal. Altercantur. Paullus nihil temere agendum, & legiones ad nimis praecocem (*eo pertinet fragmentum*) inconsultam & improvidam pugnam non projiciendas censet. Conlegam Varro timidum & segnem appellat

Ennio lux

CERTARE XXII

Diomedes libro I: *Cui enim dubium cadit, quin abnuo abnuis dicamus: verum apud Veteres Abnueo dictum notavimus, ut Ennius octavo Annalium:*

Certare abnueo, metuo legionibus labem

HISTOR.

HISTOR. CONTINVAT

TAmdem multis ultro citroque verbis habitis, L. Aimilius Paullus labem metuens Romanis legionibus, abnuit certare, & manum cum Annibale eo die conſerere detrectat

AB. V. C. *Eodem*

HOSTEM QUEI XXII

M. Tullius oratione pro L. Cornelio Balbo: *Neque enim ille ſummus poeta noſter, Annibalis illam magis cohortationem, quam communem Imperatorum voluit eſſe:*

Hoſtem qui feriet, mihi erit Karthaginienſis:
Quiſquis erit, cujatis erit . . . . .

etſi id habent hoc leve, & ſemper habuerunt. Arbitror verius:

Quiſqui' ſiet, cujati' ſiet . . . . .

At habent hoc leve, &c. Vide CL. V. I. Duzae Centurionatum lib. III. cap. V

Ciceroni emendatius & apud eum Ennio

HISTOR. CONTINVAT

SIc pridie Cannēſis cladis altercationibus Conſulum magis, quam conſilijs tritus: quia ad pugnam venire nolebat L. Aimilius Paullus, penes quem eo die ſumma erat ImperI. Sequentis diei imperium ſors dederat Varroni: Is, inconſulto conlega, imperitus ſtupiditate & impos conſilij *(ut Attio utar)* prorumpit, ſignum pugnae proponens. Acie utrimque inſtructa, milites hinc inde cohortantur duces. Annibal etiam civitate Karthaginienſi donat omnes, qui Romanum ferirent, cujuſcumque illi eſſent vel conditionis vel nationis

AB. V. C. *Eodem*

IV. *Nonas SextIl*

Karthaginiensis 8.) Hanc vocem, adſpiratione poſthabita, ſcribendum docet M. Tullius in Oratore

Consequitur xxii

Ennius apud Macrobium correctus Macrobius lib. vi. cap. i. ubi pro *Cum ſequitur*, emendo *Conſequitur, ſummam ſonitu*, &c. juvando ſenſui. Huic non abſimilia libris vi. & xvii

HISTOR. CONTINVAT

Ab. v. c. Eodem Signa canunt. Concurritur. Nec ſolum pedes, ſed eques etiam ſtrenue rem gerit

Iamque fere xxii

Nonius cap. ii. §. 157: *Pulvis genere maſculino, ut ſaepe. Foeminini. Ennius lib.* viii. *Annalium:*

Jamque fere pulvis ad coelum vaſta videtur:

Idem lib. viii:

Jamque fere pulvis fulva volat.

Ennius Gloſſemate liberatus Gloſſema mihi ſapiunt ad finem non pauca. Lego:

Jamque fere polvis ad coilum vaſta videtur;
Folva volat . . . . . .

inductis reliquis

HISTOR. CONTINVAT

Ab. v. c. Eodem Sol utrique parti erat obliquus, Romanis in Meridiem, Poenis in Septemtrionem verſis. Ventus Vulturnus adverſum Romanos coortus multum pulveris in ipſorum ora provolvens, proſpectum adimit

Stant polvere xxii

Laudatur ab Porphyrione Horatl interprete ad lib. i. Carm.

Carm. Ode IX. suppresso, quo scriptum ab Ennio, loco. Ego, dum verius doceor, ad Cannensem pugnam traho

HASTATEI XXII

Macrobius lib. VI. cap. I. apud quem Enniano Hemistichio simile illud Virgili:

. . . . *at ferreus ingruit imber*

HISTOR. CONTINVAT

FIt quasi ferreus prae multitudine telorum & hastarum imber

AB.V.C. *Eodem*

DENSANTUR XXII

Exstat apud Priscianum lib. IX: *A Denso. Ennius in* VIII. *Annalium:*

Densantur campis horrentia tela virorum

HISTOR. CONTINVAT

MAxima clades edita in Romanos, qui partim strati miseris modis proteruntur, partim in fugam aguntur. Quae paullo ante ferreos quasi imbres excitarant, tela, campis densata ferreas saeva vicissitate moles moliuntur

AB.V.C. *Eodem*

HORRET AGER XXII

Servius ad XI. Aeneidos, ubi Virgilius:

. . . . . . *tum late ferreus hastis*

Horret ager, campique armis sublimibus ardent;

Terribilis est, inquit; *ut Homerus:*

φρυάγουσιν ἄρουραι.

Est autem versus Ennianus, vituperatus a Lucilio, dicente per irrisionem debuisse eum dicere:

. . . . . . *Horret & alget.*

Integrum versum fragmentis Ennianis adlocavi, ut cuilibet esset optio vel priora vel posteriora, vel omnia poetae adscribere. Servius librũ non indicat. Sed ex hoc VIII. libri loco petitum quidquid sit, multa ibi VirgilI satis probant

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. *Eodem*

AGri horrenda passim facies. Caesus in illo jacebat L. Paullus cos. cum Romanorum quadraginta millibus, Senatoribus LXXX Consularibus, Praetorijs & Aedilitijs multis (*Cannensis pugnae ab Ennio descriptae meminit Propertius lib.* III. *Eleg.* III. *vers.* IX.)

His pernas XXII

Paullus ex Festi lib. XVII: *Suppernati dicuntur, quibus femina sunt succisa in modum suillarum pernarum. Ennius:*

His pernas succidit iniqua potentia Poeni

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. *Eodem*

MVltis, in quibus vitae quid animadversum, a superbo Poeno pernae vel femina succisa (*Livius lib.* XXII. *scribit quosdam jacentes vivos, succisis feminibus poplitibusque, post cladem Cannensem fuisse inventos. Valerius Maximus lib.* IX. *cap.* II. *notat Annibalem captivos Romanos oneribus & itinere fessos, infima pedum parte succisa, reliquisse. Respicit eo Petronius Arbiter Satyrici initio: Haec vulnera pro libertate publica excepi. Hunc oculum pro vobis impẽdi, date mihi ducem, qui me ducat ad liberos meos. Nam succisi poplites*

Petronius illustratus

tes

tes membra non sustinent) Brevibus dicam: Poenorum crudelitatem nulla explet satias sanguinis (*ut cum Attio loquar in Astyanacte*)

CRATERIBUS XXII

Quae de his EnnI V. N. Ianus Duza ad me scribit, nihil addam. Sic ille: *Hunc versum ab Ennio esse validissima suspicio est mihi, productum a Censorino pro spondaico metro: quem tamen Ludoicus Carrio perperam nobis luxatum exhibuit hoc modo:*

Olli crateribus ex auratis hauserunt;

quum Crateris haud dubie scripserit Ennius

HISTOR. CONTINVAT

REliqui, praeter capta tria millia Peditum & Equites CCC, fuga salutem quaerunt; septem millia hominum, abjectis armis, amissis ducibus, in castra minora; decem in majora; duo fere in ipsum vicum Cannas dilapsa. Varro cum L. Equitibus Venusium contēdit. Qui majoribus castris praeerant, nuncium mittunt ad eos, qui in minoribus; ut, dum Poeni ob partam victoriam genio & potui indulgebant, AB.V.C. *Eodem*

NUNC HOSTES XXII

Macrobius lib. VI. cap. I. apud quem EnnI hoc exprimit Virgilius, quum ait:

Invadunt urbem vino somnoque sepultam

HISTOR. CONTINVAT

DVm eos praelio & ex laetitia epulis fatigatos nocturna premebat quies; ad se transirent: AB.V.C. *Eodem*

uno enim agmine cunctos Canuſium abituros

Aut occasus XXII

Feſtus lib. XIII. de verb. ſignific. cujus verba non ſemel jam laudavi

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. *Eodem* AVderent modo, dum Occaſio & Tempus invitabant: poſt, ubi eadem auſus illos repreſſerint, poenitentiae non fore locum. Parent, quamvis multi inter illos inviti. Ferro & audacia fit iter: per medios vadunt hoſtes, & non abſque periculo ad ſexcentos in majora caſtra evadunt; inde protinus, conjunctis viribus, Canuſium incolumes perveniunt. Poſt cladẽ Cannenſem Annibal, ex Apulia in Samnium profectus, Coſſam in deditionem accipit: poſt ad Campanos flectit iter, qui cum eo foedus ineunt. Capua recepta, quum fruſtra ſecundum tentaſſet Neapolitanorum animos, in agrum Nolanum cum exercitu abit; inde ſub adventum Marcelli petit Nuceriam, quam fame in deditionem acceptam incendit, poſt Nolam repetit; ubi cum Marcello congreſſus, a Romanis tum demum fugatur. Inde Acerras contendit, quibus captis direptiſque ignem inmittit. Hinc, Caſſilino fruſtra oppugnato, Capuam proficiſcitur in hyberna. An-
ꟾↃXXXVII no ſequenti Ti. Sempronius Gracchus cos. caſtris Campanis invaſis & multis ibi obtruncatis, Cumas

abit:

abit:tendit eo ſequenti die Annibal cum omni bellico adparatu. urbem oppugnat: qua fortiter a Graccho defenſa, re infecta recedit. Q. Fabius Maximus III.cos. ſubfectus Marcello, qui vitio factus abdicarat, Roma profectus, proſpere cum conlega Graccho rem gerit circa Capuam; & aliquot opida, quae ad Poenum defecerant, vi capit. Nolam, ne deficeret, praeſidium mittit: eo ducit coactus Annibal & ſuas copias, qui duobus praelijs pulſus, Apuliae hyberna petit, poſitis circa Arpos caſtris. Q. Fabius Capuam propius movet caſtra; &, agro Campano vaſtato, cogit Campanos portis egredi, atque caſtra ante urbem in aperto communire

BRUTATES XXIII

Paullus ex Feſti libro de verbor. ſignific. II: *Bilinges Brutatis Ennius dixit, quod Brutij & Oſce & Graece loqui ſoliti ſint. Sunt autem Italiae populi, vicini Lucanis.* V. N. Ioſ. Scaliger *Brutiates* cenſet emendandum: apud alios ſunt *Brutaces* *Feſtus tentatus*

HISTOR. CONTINVAT

AB.V.C. Eodem

ANno interim Poenorum dux Graecas urbes, adjutoribus & ducibus Bruttijs, ad deditionem ſollicitat. Rhegini primum tentati, inde Locrēſes: utrique ſe dedunt, ab injuria militum intacti. quod aegre ferentes Bruttij, qui praedae & direptionibus inhiabant, per ſe ipſi ad Crotonem oppugnandum eunt, nobilem & opulentam urbem.

Croton

Croton forte diſſenſione, ſuo malo, laborabat: Senatus Romanis favebat; plebs rem ad Poenos trahebat. Hanc occaſionem nacti Bruttij, advolant, urbem cingunt, & accepti a plebe primo impetu urbem, praeter arcem, capiunt. *(Haec de Bruttijs, quos Brutates appellat, Ennius hoc loco cecinit. Bruttij autem primi poſt Cannenſem cladem ad Annibalem defecerant: quo pertinent Paulli illa ex Feſti lib. II:* Brutiani dicebantur, qui officia ſervilia magiſtratibus praeſtabant: eo quod hi primum ſe Annibali tradiderant: & cum eo perſeveraverunt, uſque dum recederet de Italia. *De* Bruttijs *nonnulla notatu digna ſcribit Paullus Leopardus libro Emendat. IIII. cap.* XII)

Quintu' xxiii

Agellius lib. x. cap. I. & Nonius Marcellus cap. v. §. 50. citāt hoc fragmentum ex Ennio, non addito opere: ego refero ad Annales, imo ad Annalium VIII. eum locum, quo poeta deſcripſit res, geſtas anno IↃXXXIX. Eo enim Q. Fabius Q. F. Q. N. Maximus Verucoſſus IIII. & M. Claudius M. F. M. N. Marcellus III. coss. fuerunt. Patrem Ennius eum appellat; vel comparatione filij Q. Fabij Maximi, qui cos. fuit anno ſequenti ab V. C. IↃXL. vel ob ſumma in remp. merita. Sic enim ſalutatus erat, praecedente ad eam appellationem Minucio, ab exercitu Minuciano, teſtibus Livio libro XXII. & alijs; quin & ſubfragante Inſcriptione, quae in Q. Fabij Maximi honorem, ut dixi, poſita. Fuerunt & alij anni, qui Conſules habuerunt Quintos quartum, ad quos non tam dextre referri haec poſſent

Ennio lux

HISTOR.

HISTOR. CONTINVAT

ANno ab v.c.IↃXXXIX. M. Claudio Marcello III. & Q. Fabio Maximo IIII. coss. (*quod Ennium dixi canere*) Ti.Gracchus proconsul ad Beneventum cum Annone bene pugnat. Marcellus cum Annibale ab Nolam prospere concurrit. Annibal Tarentum abit ad certiorem spem proditionis. Q Fabius Casilinum recipit;&,in Samnium profectus,Compulteriam,Telesiam,Cossam & multa alia,quae defecerãt,opida,vi capit. Annibal spe potiundi Tarenti frustratus, Salapiam tendit. Feliciter etiam inpetitus a M. Valerio Laevino Praetore Philippus rex Macedonum AB. V. C. IↃ XXXIX

CUM MAGNO XXIII

Exstat apud Festum lib.XI. de verb. sig. ubi de Metonymia. Describitur Incendium

HISTOR. CONTINVAT

SEquenti anno Q. Fabius Maximus Verrucossi F.cos. Arpos vi recipit. Romae foedum incendium per duas noctes ac diem unum tenet: solo aequata omnia inter Salinas ac portam Carmentalem cum Aequimelio Iugarioque vico: in templis Fortunae ac Matris Matutae & Spei extra portam late vagatus ignis sacra profanaque multa absumit. (*ut scribit Livius libro ab* V. C. XXIV.) Annibal in agro Tarentino moratus aestatem integram, urbem tandem praeter arcem capit AB. V. C. IↃ XL

VEGEBAT 7.) De hac voce quaedam notantur Oberto Gifanio ad Lucretium, & Godeſcalco Stevvechio in ApuleI librum de Deo Socratis

OB ROMAM XXIII

Paullus Diaconus ad lib. XIII. Feſti de verb. ſignific. notat hoc EnnI verſu *Ob* poſitum pro *Ad*. Ipſe Feſtus etiam conſulendus in *Oboritur*, ubi EnnI verba repetuntur. Sic Attius in Helenibus apud Feſtum in *Moenia:*

Ob pro Ad

Attio caſtigatius

. . . . . ſigna extempulo
Canere ac tela ob moenia adferre imperat;

Sic enim emendo. Simile illud apud Paullum: *Obitu dicebant pro Aditu*

HISTOR. CONTINVAT

AB V.C. ꟾↃXLI

ANno ab V.C. ꟾↃXLI. coss. Q. Fulvius Flaccus III. & Ap. Claudius Pulcer, Annone Poenorum duce victo, Benevento diſcedentes Capuam obſident: profectus eo & Annibal, collatis cum Romano ſignis, aequo Marte pugnat. Conſules relictam ad tempus Capuam ſtatim repetunt. Prorogatur illis ſequenti anno Imperium; decernuntur, quos habebant, exercitus; & juſſi ſunt, ne a Capua, quam obſidebant, diſcederent, priuſquam oppugnaſſent. Annibal Tarento a Campanis ad Capuae obſidionem attractus, quum videret nec hoſtes egredi velle ad pugnam, nec ſe per caſtra eorum Capuam poſſe perrumpere, caput belli Romam petit; ad tertium ab urbe lapidem ſupra Anienem caſtra ponit; ipſe

ꟾↃXLII

cum

cum duobus millibus equitum, ut ſitum urbis exploraret, obequitat, eoque noctu Legiones ducit *(ut canit Ennius)* & quum per triduum exercitus utrimque in aciem deſcendiſſent, tempeſtate certamen diremtum: *(Quae huic EnnI loco proxima indicat Propertius lib.III. Eleg.III. ubi inter alia poetam ſcripſiſſe ſcribit:* *Propertio lux*

Annibalemque lares Romana ſede fugantes

De fuga Annibalis ab urbe loquitur)

DE MOEREIS XXIII

Feſtus lib. XIII: *Oſcum* (in antiquiſſimo Exemplari, quod apud me *Obſcum* eſt expreſſum) *duas & contrarias ſignificationes habet. Nam Cloatius putat eo vocabulo ſignificari ſacrum; quo etiam leges Sacratae Oſcae* (in eodem exemplari *Obſcatae.* Lego, cum magno Feſti Aeſculapio, *Obſcitae*, id eſt *adſcitae. Sciſcere Leges* quid, nemo non novit; ut *Oſcitae Leges* ad Opſcos vel Oſcos nihil pertineant) *dicuntur. Et in omnibus fere antiquis Commentarijs ſcribitur Opicum* (emendat feliciſſimus, quem dixi, medicus. *Opſcum*; mallem tamen, ut ſequentia mage conſonent, *Obſcum) pro Oſco; ut in TitinI fabula, Quinto:* *Feſtus dextre caſtigatus Obſcitae leges* *Feſtus iterū emendatus*

Qui Oſce & Volſce fabulātur. nam Latine neſciunt.

(arbitror verius *Obſce. Obſce fabulari*, ſordidius; *Latine* vero, caſtius) *A quo etiam verba impudentia & elata* (adridet magis *foedata*, vel *impudenter elata*; non pugnabo tamen) *appellantur Obſcena: quia frequētiſſimus fuit uſus Oſcis libidinum ſpurcarum. Sed eodem etiam nomine appellatur locus in agro Vejenti, quo frui ſoliti produntur Augures Romani. Oſcos, quos dicimus, ait Verrius Opſcos antea dictos, teſte Ennio, quum dicat:* *Tertium*

. . . . . *de muris res gerit Opſcus.*

Adjicit etiam quod Stupra inconcessae libidinis Obscoena dicantur ab ejus gentis consuetudine inducta, &c. Spurci & contaminati Oscorum mores varijs noti appellationibus: *Campanus morbus*, Horatio; λείχειν & λειχάζειν, apud Aristarchum; *Fellare & inrumare*, apud Martialem; *Ore morigerari*, Suetonio; *ne capiti quidem parcere*, Lactantio; *Inguinis & capitis quae sint discrimina, nescire*, Iuvenali; *Capiti illudere*, alijs. Eodem morbo laborabāt *Lesbij*, unde λεσβιάζειν & λεσβιᾶν, apud Aristophanem, Lucianum & alios. Eodem item *Phoenices*, unde apud Lucianum aliosque φοινικίζειν. Sed avortamus castas aures ab hac putidissima verborum sentina. Audiamus potius Stratidem in Troilo apud Aristophanis interpretem:

Μὴ ποτ' ὦ παῖ ζηνὸς ἐς τ' αὐτὸ μόλῃς:
Ἀλλὰ παραδοὺς τοῖς Λεσβίοις χαίρειν ἔα.

Addo nonnullis *Oscum* nomen esse Etruscum, & *venenosum serpentem* nominari. Certe Hebraeis (quorum lingua usi olim Hetrusci, & alij conregionales his populi) אפעה generaliter est serpens, qui suo adspectu venenosus. Talis praecipue *Basiliscus*; tales, ut Physicorum nonnulli notant, *Reguli* & *Viperae*. R. David simpliciter dicit esse speciem serpentis. D. Hieronymus varie vertit. Servius ad illud Virgilij VII. Aeneidos:

Oscorumque manus teretes sunt; Aclides illis
Tela . . . .

Servi supinitas sed toleranda

& sequentia; *Capuenses dicit, qui antea Opici appellati sunt*, inquit, *quod illic plurimi abundavere serpentes. Nam Graece* ὄφις *dicitur Serpens*. Quae non video quam recte ab Servio scripta. Magna copia fuit forte (nam pauci id tradunt) apud Oscos vel Campanos serpentum; sed quod *Osci* inde *Ophici* fuerint dicti, numquam mihi persuaserit Servius, qui oscitanter, si recte sentiam, in antiquis libris legit *Opici*,

quum

quum ſcriptum eſſet *Opſci* :vel fortean Servius *Opſci* videns ſcriptum, & quum audijſſet Serpentes apud hos populos abundare, *Ophici* legendum eſt arbitratus. Quidquid ſit, recte interpretatur *Oſcos, Capuenſes*. Apud Sempronium, ſi verus auctor, *Capua* olim *Oſca* appellata. Horatio etiam lib.1. Satyr.v. nō obſcure *Oſci* & *Campani* vel *Capuani* ijdem. Et quemadmodum *Oſcos* ab tetra libidine notant alij; ſic M. Tullius in Oratione de lege Agraria contra Rullum & in Orat. poſt reditum in Senatum, *Capuam* luxuriae & ſuperbiae domicilium eſſe ait. Accedit quod *Capua* Annibalem, victorijs fatigatū, luxu & ocio perdiderit. *Opſcus* igitur apud Ennium *Capuanus*, ut haec de *Capuae* oppugnatione ſint exaudienda, & ad hunc locum, niſi commodiorem quis indicet, referenda

Sempron I fides ſuſpecta

Capuani *capita ſolutorum in luxuriam*

HISTOR. CONTINVAT

MAnet interim obſeſſa artiſſime Capua, cujus liberandae abjecta ſpe, Annibal in Lucanos, inde Rhegium contendit. Capuani ſtrenue & pro virili, de muris res gerentes, contra Romanos ſe defendunt

AB V. C. *Eodem*

SUMMUS XXIII

Paullus Diaconus ex Feſti lib. XI: *Meddix apud Oſcos nomen Magiſtratus eſt. Ennius:*

Summus ibi capitur Meddix, occiditur alter

Alij *Medix*. Hic magiſtratus Livio libris XXIV. & XXVI, *Mediaſtutichus*, quem dicit ſummum apud Campanos fuiſſe magiſtratum. Alij apud Livium legunt *Mediſtriticum*. I. Lipſius, vir humanarum litterarum peritiſſimus, Epiſtol. Quaeſt. lib.1. epiſt.XIX. *Medixtutichus* emendat, ex M. S. quod ſane magis accedit ad truncatum illud EnnI. Nodum

Medix

Medixtutichus

dum peregrinae vocis ſolvat Mithradates ille Galliarum. Fruterius, quod mihi ſcripſit V.N. Ianus Duza, dirivat ab vocabulo Graeco μέδομαι, quod *impero*

HISTOR. CONTINVAT

AB V. C. *Eodem*

VRbs tandem Romanis, porta Iovis aperta, eſt tradita: quum jam Senatores Campani XXVII. Vibium Virium ſequuti, veneno, ne in Romanorū manus inciderent, mortem ſibi ante conſciviſſent; reliquis in Romana caſtra ire juſſis, cathenae ſunt injectae; de his cum Theani tum Calibus, quo in cuſtodiam erant miſſi, ſupplicium de unius Q. FulvI Flacci Proc. ſentētia ſumtum. Campanorum etiam Dictator, altero occiſo, alter in Romanorum venit poteſtatem

MORTALEM XXIII

Nonius Marcellus cap. II. §. 322: *Famul*, inquit, *famulus. Ennius lib.* VIII:

. . . mortalem ſummum Fortuna repente
Reddidit, ut ſummo regno famul optumus eſſet.

EnnI fragmenta ſanata, ſuppleta, collecta

Alij pro *optumus* legunt *ultimus*; ego, loci inter Criticos infimi, *infimus* excudendum curavi, quod etiam adridet ſcribenti ad me V.N. Ioſepho Scaligero, qui tamen vulgatam retinet in Appendice VirgilI ad Catalecta, ubi haec & ſequentia ſanat, ſupplet, & committit, hoc modo:

. . . multa dies in bello conficit unus,
Et rurſus multae fortunae forte procumbunt.
Haudquaquā quemquā ſemper Fortuna ſequuta eſt:

Quin

Quin & mortalem summum Fortuna repente
Reddidit e summo ut regno famul optumus essit.

Sequutus fuissem (nam sequior apud me ordo) facile magni viri indicem; nisi fragmentis jam a me editis, in haec ejus incidissem. quamquam possint tolerari & mea

HISTOR. CONTINVAT

Dictator erat Seppius Lesius *(quem auguror fuisse captum)* loco obscuro & tenui fortuna ortus: qui hoc anno ultimus omnium Campanorum, quum fame ferroque ab Romanis urgerentur, nec spes ulla superesset; ijs, qui in spem honorum erant nati, detrectantibus; ad summam dignitatem fuerat evectus. Sic variae rerum humanarum vices: Fortuna familias nunc, quae obscurae & contemtui habitae, e tenebris in lucem evocatas largis ornat honoribus; nunc quae clarae, quae illustres, quae ad summum rerum apicem evectae, dejicit, postremo loco ponit *(quod hic innuit Ennius)* & fumi instar avorsatur ABV.C. *Eodem*

MORTALEM 18.) Alij hoc loco *Cortalem*, id est, *cohortalem* pro *mortalem* legunt, non bene

REDDIDIT 19.) Vera meo judicio, lectio & hujus loci scriptura:

Reddit, ut ex summo regno famul infimus essit.

Imitatur Ennium Lucretius libro III. de rer. natura:

Scipiades belli fulmen, Karthaginis horror,
Ossa dedit terrae, proinde ac famul infimus esset

Postre-

Victorino forte melius

Postrema Lucretij citat Marius Victorinus, qui de versu scribens, sic inquit: *Pari ratione in versu & Apocope praecepta est* (scripserat forte *recepta) id est subtractio syllabae syllabarumve, cujuslibet orationis, metro cogente, facta: quae sive in verbo, sive in nomine acciderit, pro integra parte orationis accipietur, ut:*

. . . . *endo sua do*

Ennius apud Victorinum correctus

(Ennij illud est, incerti loci; pro quo tamen alij, *endo suam do) Item:*

ac famul infimus esset,

pro famulo

Molta dies XXII

Leguntur haec apud Macrobium libro II. Saturn. cap. II. Ejusdem historiae cohaerent, vel praescripta vel subscripta superioribus. Quid si secundus versus ita ponatur?

In Ennio apud Macrobium conjectura

Et rursus moltei Fortuna Forte recumbunt;

Quid Fors Fortuna nulli non Litteratiorum notum. Praeter alios consule V. CL. Ludovicum Carrionem Antiquar. libro III. cap. VII

Rastros XXIII

Nonius Marcellus cap. I. §. 339: *Politiones agrorum cultus diligentes,* ait, *ut polita omnia dicimus exculta, & ad nitorem deducta. Ennius Satyrarum libro tertio:*

. . . . . . *testes sunt*
Latei Campei quos gerit Africa terra politos.

Idem Annalium libro VIII:

Rastros dente fabres capsit caussa poliendi
Agri . . . .

Ennio apud Nonium varia medicina

Antiquum exemplar, quod apud me, ex lib. IX. citat & *carpsit* pro *capsit* expressum habet. Turnebus Adversl. lib. XXIX.

cap.

cap. XIX. *Dentifabres* legit, pro *Dente fabres*. V. CL. Iustus Lipsius lib. V. Epist. Quaest. epist. XIX:

Rastros deinde Fabric carpsit;

Osca Dialectus.

Fabric, pro *Fabricius*: ut *Gau, Coel, Medix, Pa, Po*; Osca, quam callebat Ennius, Dialecto; quae Latina, *Gaudium, Coelum, Medixtutickus, Parte, Populo*. Sic *famul* pro *famulus*; *guberna*, *gubernacula*; *endo suam do, in suam domum* & similia. Ne a me nihil; lego:

Rastros dente faber rasit caussa poliundi
Agri

Enniano fragmento certa fere sedes inventa

Quo referam, nescio, nisi forte ad necessitatem arma rustica convertendi in bellica; ut sit sensus: *Fabros dente* (qui inter fabrilia notus) *rasisse & mundasse Rastra, quae proprie parata erant poliendis agris & glebis confringendis; rasa autem & mundata convertisse in arma bellica*. Anno, quo passi Cannensem cladem Romani, M. Iunius Pera Dictator coactus fuit vetera hostium spolia templis porticibusque detrahere, teste Valerio Maximo libro VII. Idem forte factū de rusticis armis, quae undique correpta, militiae futura, quum necessitas cogeret, instrumenta

PAULLI G. F. P. N. MERULAE
COMMENTARIA IN
Q. ENNI
POETAE ANTIQUISSIMI
FRAGMENTA ANNALIUM
LIBRI IX

LIVIUS XXIII

LAudat hoc non postremae notae fragmentum Servius, VirgilI interpres, qui membraneus apud Petrum Danielem in publicos potius, quam privatos (Duzae ver-

bis ad PetronI Satyricon utar) uſus adſervatur. Etiam puer videt, quo pertineat

HISTOR. CONTINVAT

AB V.C. IↃXLIII Anno ab v. c. IↃXLIII. M. Claudius Marcellus
III. conlega in Conſulatu M. ValerI Laevini,
Salapiam in Italia per proditionem recipit, & alia in
Samnitibus opida occupat. Cn. FulvI Centumali
Procos. copiae in Apulia ad Herdoneam ab Anni-
bale caeduntur. Non multo poſt cum eodem ad
IↃXLIV Numiſtronem Marcellus bene pugnat: qui anno
ſequenti Proconſul ex hybernis profectus, cum An-
nibale ad Canuſium bis congreſſus, priore praelio
victus, poſteriore victor, Annibale in Bruttios ſuos
abeunte. Q. Fabius Maximus cos. v. conlega Q. Ful-
vI Flacci IIII. Tarentum arte Punica recuperat. Inde
IↃXLV Cōſules facti M. Claudius Marcellus v. & T. Quin-
ctius Criſpinus; qui, profecti in Apuliam, caſtra lo-
cant inter Venuſiam & Bantiam. Eo & Annibal
movet. Conſules, ſpeculandi gratia caſtris egreſſi,
inſidijs circumveniuntur, Marcello occiſo; Quin-
ctius vulneratus fugiens exitu anni moritur. Anno
IↃXLVI IↃXLVI. Aſdrubal Annibalis frater ex Hiſpania ir-
rumpit in Italiam; oppoſitus illi M. Livius Salinator
Conſul: cujus conlega C. Claudius Nero, profectus
in Apuliam contra Annibalem, litteras intercipit
Aſdrubalis, quibus ſe Annibali fratri in Umbria oc-

cursu-

cursurum, & cum eo castra conjuncturum significabat. Ne illud fieret, nescio Annibale, nescio Asdrubale, magnis itineribus ad castra Conlegae sui pervenit; consilio & celeritate efficit, ut Asdrubal in aciem egressus, ignorãs vires Romanorum, cum toto exercitu fuerit ad Senam opidum caesus. Claudius ad stativa sua ante reversus, quã discessisse eum sentiret Annibal, caput Asdrudalis, quod servatum cum cura attulerat, ante hostium stationes projicit; duos ex Captivis solutos ad Annibalem mittit, qui quae acta expromerent. Annibal dolore perculsus in extremum Italiae angulum sese abdit. utrique Consuli triumphus decretus *(De LivI, hoc versu Ennius)* Contra Annonem, qui in locum Asdrubalis subfectus cum novo exercitu ex Africa in Hispaniã transgressus & Magoni erat junctus, mittit Scipio M. Silanum. Hic collatis signis Magonem fugat, Annone vivo capto. Coss. deinde Q. Caecilio Me- IↃXLVII
tello & L. Furio Philone, Annibal, nece fratris perculsus, a bello abstinet, quamvis a Romanis etiam lacessitus *(Ad hunc annum pertinet antiquum illud NaevI, apud Asconium Paedianum in II. Verrinam:*

Faato Roomai fIunt Metellei Consoles;

Cui Metellum cos. iratum versu respondiße Senario hypercatalectico, qui & Saturnius, idem memoriae prodit:

Malum dabunt Metellei Naivio poetai.)

Iↄ XLVIII Anno vero ſequenti P. Cornelius Scipio cos. cui Sicilia extra ſortem erat decreta, a Syracuſis in Bruttios trajicit; & Locros urbem, quae poſt Cannenſem cladem cum tota fere Italia ad Poenum deſciverat, pulſo Punico praeſidio, fugatoque Annibale, iterum Romano Imperio reſtituit; relictoque ibi Q. Pleminio Legato, Meſſanam trajicit

ADDITUR XXIII

Citat M. Tullius in Bruto ſeu de Claris Oratoribus; qui inter ſecundum & tertium verſum ſua quaedam intermiſcet, hoc modo: *Quem vero exſtet & de quo ſit memoriae proditum, eloquentem fuiſſe, & ita eſſe habitum, primus eſt M. Cornelius Cethegus, cujus eloquentiae eſt auctor, & idoneus quidem mea ſententia Q. Ennius, praeſertim quum & ipſe eum audiverit, & ſcribat de mortuo; ex quo nulla ſuſpicio eſt, amicitiae cauſſa eſſe mentitum. Eſt igitur ſic apud illum, in nono (ut opinor) Annali:*

Additur Orator Corneliu' ſuaviloquenti
Ore Cethegus Marcu' Tuditano collega
Marci filius . . . . .

Ennl verba ex Ciceronis eruta

Et oratorem appellat, & ſuaviloquentiam tribuit: quae nunc quidem non tam eſt in pleriſque. Latrant enim jam quidam Oratores, non loquuntur. ſed eſt ea laus eloquentiae certe maxima.

is ductus, ollis popularibus olim,
Qui tum vivebant homines atque aevum agitabant,
Flos delibatus populi.

Probe vero. Ut enim hominis decus Ingenium, ſic Ingenij ipſius lumen eſt Eloquentia qua virum excellentem praeclare tum illi homines florem populi eſſe dixerunt,

Suadaeque medulla

Addam

Addam alia quaedam Ciceronis, illustrando Ennio: Πειθὼ, *quam vocant Graeci, cujus effector est Orator, hanc Suadam appellavit Ennius, ejus autem Cethegum medullam fuisse vult, ut, quam Deam in Periclis labris scripsit Eupolis sessitavisse; hujus hic medullam nostrum Oratorem fuisse dixerit. At hic Cethegus Cos. cum P. Tuditano fuit bello Punico II, Quaestorque his Coss. M. Cato modo plane annis* CXL. *ante me Consulē. & idipsum, nisi unius esset Ennij testimonio cognitum, hunc vetustas, ut alios fortasse multos, oblivione obruisset.* Alij libri legunt secundum EnnI versum:

Ore Cethegus Veturio collega Philoni;

Inepte: partim quod ipse Cicero *Cethegum* Consulem fuisse cum *P. Tuditano* subscribat disertis verbis; partim vero quod neque in Censorio, neque in Consulari honore M. Cornelius Cethegus collega addatur L. Veturio Philoni, qui anno IↃXLVII. cos. fuit cum Q. Caecilio Metello; ut, quum infelicioris aevi Critici secundum versum emendarent, idem facere eos oportuerit in primo & ejusdem secundi capite, hoc modo:

Reprehensa nonnullorū praepostera emendatio

Additur Orator Caeciliu' suaviloquenti
Ore Metellus, Veturio collega Philoni:

Sed Caecilius se hic ingereret contra mentem Ciceronis, cui ille paullo ante in Oratorum enumeratione indictus non abierat. Retinendus igitur hic *P. Tuditanus*. Utrum autem haec referenda ad annum ab V. C. IↃXCIV. quo Censores M. Cornelius Cethegus & P. Sempronius Tuditanus lustrum fecerunt XLIIII. teste Livio libro XXVII. an vero ad annum IↃXLIX. quo ijdem fuerunt Consules, eodem Livio cum alijs scribente libro XXIX. quamvis ex EnnI verbis non facile est colligere; malui tamen referre ad Consulatum, quem etiam nominat M. Tullius, paullo post laudatos EnnI versus. Fortean innuit simpliciter Ennius, M. Cornelium Cethegum collegam fuisse additum P. Sempronio

Certa sedes EnnI versibus inventa

pronio Tuditano. In Faſtis tamen Capitolinis Cethegus, ut major natu, eſt praenotatus; ut potius videatur Tuditanus additus Cethego, quam Cethegus Tuditano. Rerum geſtarum narratio illuſtriora haec faciet

HISTOR. CONTINVAT

AB. V. C. IↃXLIX

ANno denique IↃXLIX. Conſules creati M. Cornelius Cethegus & P. Sempronius Tuditanus. *(quorum meminit fragmentum EnnI)* P. Scipio in Africam navigat: Anno Poenorum dux ab Maſiniſſa occiſus; Aſdrubal & Syphax Scipionem ab uticae obſidione depellunt: P. Sempronius in agro Crotonienſi cum Annibale tumultuario praelio confligit; Romani pulſi: poſtero die iterum in aciem deſcenſum; ibi, fugatis ceteris, quatuor millia Poenorum caeſa

Suaviloquenti 35.) Videndus & Quintilianus lib. xi. cap. iii. Sic Lucretius lib. iv:

. . . . volui tibi ſuaviloquenti
Carmine Pierio rationem exponere noſtram

Adſpiratio Veteribus neglecta

Cetegus xxiiii. i.) Sic ſcripſit cum Antiquis Ennius, innuente Cicerone de Oratore: *Quin*, inquit, *ego ipſe, quum ſcirem ita majores loquutos eſſe, ut nuſquam, niſi in vocali adſpiratione uterentur, loquebar ſic, ut Pulcros, Cetegos, Triumpos, Karthaginem dicerem*, &c

EnnI verba, quae apud Ciceronem latebant, revocata

Marci filius 2.) Haec, putata quibuſdam verba Ciceronis, adſcripſi Ennio: In Faſtis Capitolinis *M. Cornelius M. F. M. N. Cethegus* ab patre ab avo dicitur

IS DICTUS 2.) Laudat etiam haec & ſequentia Agellius lib. XII. cap. II. qui deriſa ſcribit ea ab Seneca XXII. Epiſtol. ad Lucilium. Priora apud Agellium ſic leguntur:

. . *Is dictus cunctis ollis popularibus olim;*

Inde ſcripſi: *Ennio melius, ejecto Gloſſemate*

. . *Is dictus popularibus ollis.*

Nam & *Olim* apud Ciceronem eſt expungendum

FLOS DELIBATUS 4.) Alij legunt *Inlibatus. Flos* Latinis, Ἄνθος Graecis; quod in quaque re pulcerrimum *Flos*

SUADAIQUE MEDOLLA 4.) Lucem dant his Ciceronis verbis, quae ſupra. Idem in Catone Majore ſive de Senectute: *M. vero Cethegum (quem recte Suadae medullam dixit Ennius) quanto ſtudio exerceri in dicendo videbamus etiam ſenem?* Quintilianus lib. II. cap. XVI: *Neque enim mihi permiſerim eadem uti declaratione, qua Ennius M. Cethegum Suadae medullam vocat*

SED QUID XXIIII

Priſcianus lib. VI: *Ennius in IX. pro frugi homo frux ponit, quod eſt Adjectivum:*

Sed quid ego haec memoro? dictũ factumque facit frux

Hoc EnnI adſcribendum ijs, quae apud Eraſmum in Chiliadibus

HISTOR. CONTINVAT

ANno ab V. C. IↃL. vaſtante horrendum in modum Italiã Annibale, jubetur, ejus avortendi, in Africam trajicere Scipio. Is Syphacis caſtra incenſa una cum Aſdrubalis una die delet, multis homi- *AB V. C. IↃL*

hominum millibus & caeſis & captis. Hoc terrore conſternati Karthaginienſes Legatos mittunt in Italiam, qui Annibalem inde revocarent ad patriae defenſionem. Interea Poeni, pluribus cladibus, accedente Syphacis captivitate, perculſi, Oratores Romam mittunt ad pacem petendam, xxx. Seniorum principes. Pacis conditionibus a Scipione praeſcriptis, induciae, dum Romam Legati irent, fiunt. Ii, pace infecta & fere ſine reſpõſo, dimiſſi; quod Speculatores, non Legati, veniſſe arguerentur. Annibal ex Italia in Siciliam, inde moerens in Africam navi-
IↃLI gat: qui anno ſequente ab Scipione victus, per nuncium colloquẽdi impetrat poteſtatem. Colloquuti, infecta re, ad ſuos ſe recipiunt, fruſtra tentatam pacem nunciantes. Arma jubent expedire milites ad ſupremum certamen: varie ſinguli ſuos hortantur; non in unum diem, ſed in perpetuum, Victores fore; Romam an Karthaginem regnare & jura dare gentibus vellent DI, ante ſequentis diei noctem ſcituros: ſed non opus eſſe verbis; fortes & fruges milites *(huc Ennium refero)* ſatis ſuo functuros officio, addunt. Haec & alia militibus ſinguli ſuis inculcant ſummi ſuae aetatis duces

Virei validei xxiv

Nonius Marcellus cap. VII: *Luctant pro luctantur. Ennius lib.* IX:

. . . *viri validis viribus luctant;*

Anti-

Antiquum exemplar:

viri a validis viribus luctant.

Putabam scripsisse Ennium,

viri, validis ac viribu' luctant;

Ennius correctus

remissis *viris* ad quae praecedebant: malo tamen cum N. V. Iano Duza:

viri valideis cum viribu' luctant

HISTOR. CONTINVAT

INstructa utrimque acie acriter pugnant, & validis viribus *(ut loquitur Ennius)* luctantur: supremo praelio vincitur Annibal. Caeduntur Karthaginiensium sociorumque eo die supra millia viginti: par fere numerus capitur; Annibal Adrumetum perfugit

AB V. C. Eodem

LUCTANT 9) Plautus etiam in Vidularia & Terentius in Hecyra hac voce usi apud Nonium in *Eluctavi* cap. VII. §. 6. cujus verba, quae in fronte, quandoquidem sic concepta video in antiquo Codice; *Delectavi pro delectatus sum. Plautus Trinummo:*

Cum his aerumnis deluctavit:

hoc modo emaculanda censeo: *Deluctavi pro deluctatus sum. Plautus Trinummo:*

Nonius & apud eum Plautus a mendo liberati

Quantis cum aerumnis deluctavi.

pro:

Cum hisce aerumnis eluctavit.

& vulgata, quae in ipso Plauto, lectione;

Quibus aerumnis deluctavi.

nisi cui magis adridet:

Quantisce aerumnis eluctavi;

quae etiam vox apud eumdem in Mercatore, Sc, *Ex summis opibus*; ubi tamen malim;

Iterum

Quin ea ego huc praecucurri gratia,
Ne te opprimeret imprudentem atque deluctaret.

Eo enim magis inclinat mens ibi Acanthionis. In Veneto Exemplari expressum video, *ejectaret*; in alijs libris *electaret* est scriptum

LIBERTATEMQUE XXIV

Nonius Marcellus lib. 11. §. 632: *Perpetuitassit, sit perpetua, aeterna. Ennius Annalium lib.* IX:

Libertatemque ut perpetuitassint quam maxime.

Antiquum meum exemplar: *Perpetuitas, perpetua, aeterna. Ennius lib. undecimo:*

Libertatemque ut perpetuassintque maxime;

Nonius emẽdatior

Lego: *Perpetuassit, sit perpetua, aeterna. Ennius Annalium lib.* IX:

. . . libertatem ut perpetuassint
Maxume . . . .

Ennio melius

Vereor tamen, ne corruptiore Exemplari fuerit usus Nonius, & Ennius scripserit:

libertas ut perpetua essit.

Quibus lectae XII. Tabularum fragmenta, noverunt *Essit* poni pro *Sit*

HISTOR. CONTINVAT

Ab V.C. Eodem

KArthaginem accitus in Senatu fatetur se non praelio, sed bello ab Scipione victum; nec

ſpem alibi, quam in pace impetranda eſſe. Mittuntur ad Scipionem Legati; quos ille, dictis pacis conditionibus, iterum Romam ad Senatum ablegat. Anno IↃLII. juſſus Scipio, qui etiamnum in Africa IↃLII erat, pacem dare, dat his conditionibus: ut Liberi ſuis legibus viverent; *(quod forte inter prima a Karthaginienſibus in pacis conditionibus jactatum, ut videtur hic Ennius indicare)* quas urbes, quos quibus finibus agros ante bellum tenuiſſent, tenerent; perfugas, fugitivos, & captivos omnes, naveſque roſtratas, praeter x. triremes, traderent; elephantoſque, quos haberent domitos, neque domarent alios; bellum neque in Africa, neque extra Africã, injuſſu pop. Romani, gererent; Maſſaniſae res redderent, foeduſque cum eo facerent; decem millia talentum argenti, deſcripta penſionibus aequis in annos quinquaginta, ſolverent; obſides centum arbitratu Scipionis traderent. *(Haec apud Livium Appianum & alios)*

VEL TU DICTATOR XXIV

Citat Sex. Pompeius Feſtus libro de verbor. ſig. ult. ubi nonnulli pro *Conligatio* legendum judicant *Conjunctio*

HISTOR. CONTINVAT

Scipio, pace terra marique parta, in Siciliã trajicit; inde per laetam Italiam Romam redit, triumpho omnium clariſſimo urbem invectus. Vi- AB V. C. *Eodem*

ctoria tanta fuit, ut Africani cognomen meruerit; primus nomine victae ab se gentis nobilitatus: tam grata populo, ut perpetuum illum Consulem, & Dictatorem facere, *(quod hic videtur canere Ennius)* Statuas in Comitio, in Rostris, in Curia, in Capitolio, in Cella Iovis ponere voluerit *(Vide omnino disceptationem inter Scipionem & Ti. Gracchum apud Livium lib.* XXXIIX. *Sic in finito bello Punico* II. *finit* IX. *librum Annalium Ennius, in Philippico, quod eodem anno vere ortum, orditur librum* X. *Sequuntur duo fragmenta incertioris mihi loci)*

CUCLOPIS XXIV

Laudat Priscianus lib. IX. ubi de voce *Turgeo. Alti* τεθρεμμένου. Videtur adludere ad Polyphemi fabulam, quae apud Homerum & Virgilium. V. N. Ianus Duza haec EnnI legit & distinguit; ad me scribens:

Conjectura magni viri in Ennio

Cyclopis venter velut olim turserat, alte
Carnibus humanis . . . .

Quo referam non video, ut nec sequens

LUCHNORUM XXIV

Est hoc Hemistichium apud Macrobium lib. Saturn. VI. cap. IV

PAVLLI

PAVLLI G. F. P. N. MERVLAE COMMENTARIA IN

Q. ENNI

POETAE ANTIQUISSIMI FRAGMENTA ANNALIUM LIBRI X

INSECE XXIV

ELegans hoc fragmentum debet Critica illa & purioris eruditionis resp. suis admirandae ingenijs Canterorum familiae. Enim perijsset, fuisset absque ejus benificio. Citat Agellius lib.XVIII.cap.IX. quem mutilum ibi supplet magnus vir, fratrũ natu major, lib.II. Nov.lect.cap.VI. Locum adscribam : *In libro vetere* (inquit Agellius) *in quo erat M.Catonis de Ptolemaeo contra Thermum, sic scriptum fuit : Sed si omnia dolo fecit, omnia avaritiae atque pecuniae caussa fecit: ejusmodi scelera nefaria, quae neque fanda (forte insecenda*, adscribit magnus vir, *nisi quaedam Catonis hic desint) neque legenda audivimus, supplicium pro factis dare oportet. Insecenda quid esset, quaeri coeptum. Tum ex his, qui aderant, alter litterator fuit, alter litteras sciens, id est, alterum* (forte *alter) docens, doctus alter. hi duo inter se dissentiebant. Et Grammaticus quidem contendebat. Insequenda enim scribi, inquit, non Insecenda: quoniã Insequens significat, traditumque (forte,* inquit V. CL. *quod in Inseque significatur; dictumque) esse Inseque, quasi perge dicere & insequere. Itaque ab Ennio scriptum in his versibus:*

Canterorum familiae

Agellius emendatus

Iterum

Tertium

Inseque Musa manu Romanorum induperator,
Quod quisque in bello gessit cum rege Philippo.

Alter autem ille eruditior nihil mendum, sed recte atque integre scriptum esse perseverabat, & Velio Longo non homini indocto, fi-

dem esse habendam; qui in Commentario, quod fecisset de usu antiquae lectionis scripserit, non inseque legendum apud Ennium sed Insece: ideoque a Veteribus, quas Narrationes dicimus, Insectiones esse appellatas: Varronem quoque versum hunc Plauti de Menaechmis;

Nihilominus esse videtur sectius quam somnia,

Quartum

sic enarras (forte *enarrasse*) *nihilo magis narranda esse, quam si ea essent somnia. Haec illi inter se certabant. Ego arbitror & a M. Catone Insecenda & a Q. Ennio inscite* (scribendum *Insece*) *scriptum sine u littera. Nam*, &c. Ad EnnI illa respicit Paullus ex Festo, quem utinam ille eo loci non mutilasset: *Inseque*, ait, *apud Ennium, dic. Insexit, dixit.* Praeit antiquum exemplar, ut emendem *Insexit, dixerit.* Legerat etiam vel hunc EnnI vel LivI Andronici locum GlossarI auctor, qui *Inseque*, εἰπέ, interpretatur. Ex hac hujus vocis notione & ijs, quae apud Agellium, paret supina negligentia Paulli ad Festi lib. XVII. *Secessiones*, inquit, *narrationes.* Legere debuerat vel apud Festum vel alium, unde vocem hanc petijt, & scribere, *Sectiones.* Certe legisse & scripsisse *Secessiones* indicat litterarum classis, in qua vox illa censa. Non hujus loci est, quod in eodem Glossario *Sexit* ὁμοιοῖ, a *Sexo.* Graeca vox ibi generalius quid sonat, quam ut Latinam exprimat. Lego: *Sexit* ὁμοιοῖ φύσι. *Sexus* γονὴ, ὁμοίωσις γένεος. Τὸ φύσι delapsum in inferiorem ordinem

Paullus apud Festum castigatus

Paulli negligentia

Glossarium emendatum

HISTOR. CONTINVAT

AB V. C. IↃLII

QVo pax data Poenis anno, eodem mota contra Philippum Macedonum regem arma; Atheniensium precibus, quorum ille agros pervastarat. Princeps tamen caussa fuit, quod anno IↃXXXVIII, qui quartus erat belli Punici, inclinato ad

Poenos animo, cum Annibale & foedus, & belli contra Romanos societatem iunxerat. Serio bellum hoc initum, P. Sulpicio Galba, & C. Aurelio Cotta IↃLIII coss. quorum ille, ducto in Macedoniam exercitu, cum Philippo rege equestribus praelijs primus feliciter dimicavit (*Invocat Ennius Musam, ut sibi Philippicum bellum scripturo adsit, dicere pergat & manu, nisi quis hanc vocem ad res gerendas malit referre, quasi insequatur*) Sequenti nihil a P. Villio Tappula me- IↃLIV morabile in Macedonia, quae illi provincia obtigerat, gestum

PILIPPO 29.) Filius hic DemetrI cujus pater Antigonus Alexandri Magni frater. Videndus Plutarchus cum alibi tum in vita Pyrrhi. Castricomius meus omnino legendum putat *Filippo. Nam*, inquit, *quamdiu Latini Graecum φ. aut h post p. non admiserunt, ista, quae Graeci per φ. ipsi per F. fere expresserunt. Quintil. lib. I. Instit. Orator*

ADFATUR XXV

Infinita veterum Scriptorum fragmenta nondum eruta latent apud Latinos (dixerim & Graecos) autores, quae non illorum, sed horum creduntur verba. Hoc verum esse facile multi, praecipue M. Tullius, ut passim, sic initio libri de Senectute docet. Nonnulla enim ibi EnnI, quae non EnnI, hactenus putata: sic a Ciceronis, meo judicio, separanda: *Licet enim mihi iisdem versibus adfari te, Attice, quibus*

EnnI versus apud Ciceronem, sublato quasi velo, detecti

. . . . . adfatur Flamininum

Ille vir, haut magna cum re, sed plenu' fidei.

Quam-

Quamquam certo ſcio, non ut Flamininum,

Sollicitari te, Tite, ſic noctesque dieſque.

novi enim moderationem, &c. Sequius tamen ſentit V.N. Ioſephus Scaliger, qui verba Ciceronis retinẽda putat. Non pugno cum viris tantis

HISTOR. CONTINVAT

AB V.C. IↃLV

ANNO AB V. C. IↃLV. coss. facti T. Quinctius Flamininus, Sex. Aelius Paetus: Aelio Italia, Quinctio evenit Macedonia; cujus rex, ut dixi, Philippus hoſtis erat potentiſſimus, Poeno claritate regum antiquorum, vetuſtae fama gentis, magnitudine imperij nobilior. Haec omnia, & varia varijs ex locis nunciata prodigia, fortean T. Quinctium plus aequo angunt, ejuſque animum non inmerito in diverſas trahunt partes, & ſollicitum reddunt: quem curioſius futura in bello diſcrimina mente agitantem adfatur Aelius Conlega, homo tenuiore quidem fortuna, ſed cana fide, cujuſque cor ſapientia erat imbutum

Error quorundam indicatus

Flaminius nomen

Flamininus cognomen

Penni cognomen Quinctiae familiae redditũ

FLAMININUM 1.) Ex hoc EnnI hemiſtichio error notus illorum, qui huic *Quinctio FlaminI* cognomen tribuunt. *Flaminius* enim nomen eſt, notum cognominibus praecipue *Nepotis* & *Celonis*; quamvis plerique ſolo nomine innotuerint. *Flamininus* vero cognomen; ut & *Capitolinus, Barbatus, Cincinnatus, Criſpinus, Pennus* (ſic enim illud legendum apud quoſdam pro *Poenus:) Niger, Hirpinus, Atta, Scapula, Felix, Trogus, Repentinus, Reſtitutus, Gripta*; *Quinctiae* familiae. Nam quod quidam & *Vari* ejuſdẽ gentis cognomen

gnomen agnoſcant ex Ciceronis oratione pro A. Cluentio, fruſtra ſunt. Legendum enim ibi: *P. Quintilius Varus.* *Vari* enim cognomen fuiſſe *Quintiliorum*, teſtatiſſimum. Magis vero, qui *Quintium Gulonem* apud Eutropiũ lib. II. pariunt. Nam pro Vulgat. *Quintio Gulone, C. Fabio Pictore coss.* in MS. CL. V. Franciſci NanſI, viri Graecas litteras perdocti, & Scholae patriae mihi urbis Praeſidem agentis, ſic legitur: *Quintogulnio, C. Fabio,* &c. Vera lectio eſt: *Q. Ogulnio Gallo, C. Fabio,* &c. vel, ſi mavis, rejecto cognomine. Anno enim ab v. c. CCCCXXCV. coss. fuerunt *C. Fabius Pictor, Q. Ogulnius Gallus*

Cicero correctus

Eutropius emendatus

ILLE VIR HAUT MAGNA CUM RE 2.) De laudanda Aeliae familiae paupertate vide omnino Valerium Maximum lib. IV. cap. IV. numeris 7. & 8. & Plutarchum in Paullo. Nota ejuſdem gentis hiſtoria de *Q. Aelio Paeto Cato*, cui in fictilibus prandenti argentea vaſa dono oblata ab Aetolis. Meminerunt Valerius lib. IIII. cap. III. numero 7. & Plinius libro natur. hiſtor. XXXIII. cap. XI. uterque, ut quidam putant, cum mendo: quod hic Paullum ejus Socerum faciat; ille Q. Aelium Tuberonem cognomine Catum appellet

Valerius & Plinius taxati

FIDEEI 2.) Sic lego Ennium apud Ciceronem. Conſule quae recte notat CL. V. Obertus Gifanius ad Lucretium; in vocibus *Eii* & *Reii*. Magna hic laus AelI Cati, ut & in ſequenti

Ennio ſanius apud Ciceronem

EGREGIE XXV

M. Tullius lib. I. Tuſculan. Quaeſt. *Alijs Cor ipſum animus videtur; ex quo Excordes, Vecordes, Concordeſque dicuntur. & Naſica ille prudens bis Conſul, Corculum; &*

Egregie cordatus homo Catus Aelius Sextus.

Idem de Oratore lib. I: *Sic in noſtra civitate contra ampliſſi-*

mus quisque & clarissimus vir: ut ille, qui propter hanc juris civilis scientiam sic appellatus a summo poeta est,

Egregie cordatus homo Catus Aelius Sextus.

Acrostichides in Ennianis versibus

Quamvis autem aptissime hoc loco tria, imo quinque fragmenta inter se, paucissimis proculdubio desideratis, cohaereant; nusquam tamen has EnnI tabulas tam feliciter connectere potui, ut inde elicerentur *Acrostichides*, quas in ijs testatur fuisse M. Tullius de Divinat. lib. II: *Non esse autem illud carmen furentis,* ait; *cum ipsum poema declarat (est enim magis artis & diligentiae, quam incitationis & motus) tum vero ea, quae ἀκροστιχὶς dicitur, quum deinceps ex primis versus litteris aliquid connectitur, ut in quibusdam Ennianis, quae Ennius fecit.* Triga vocum in fine vel explodenda, ut ab inepto Glossatore adscripta olim margini, unde postea in textum irrepsit; vel τὸ *quae* in *Q.* mutandum, & legendum; *ut in quibusdam Ennianis Q. Ennius fecit*; quamquam Cicero vix sic loquutus. Fortean ars illa & diligentia servata poetae in alijs operibus

HISTOR. CONTINVAT

AB V.C. *Eodem*

COnlegam ipse forti & infracto animo, animans ad subeundum pro reip. salute & incolumitate nihil non discriminum:

EGREGIE *s.*) id est valde. Lucretius libro de rer. natur. III:

. . quoniam est animi natura reperta
Mobilis egregie . . . . .

CORDATUS *s.*) Glossarium huc mihi respicit: *Cordatus* νουνεχής, φρόνιμος

CATUS AILIUS *s.*) Exstat etiam hoc Hemistichium

chium apud M. Terentium Varronem lib.VI. de LL: *Cata, acuta. hoc enim verbo Sabini dicunt. quare*

. . . . Catus Aelius Sextus;

non (ut ajunt) ſapiens, ſed acutus, & quod eſt, tunc coepit memorari. Simul Cata dicta, accipienda acuta dicta. Turbatiora haec, quam ut a Varrone: Quid ſi? *Cata, acuta. Hoc enim verbo Sabini dicunt gnara.*

Varroni medicina

. . . . . Catus Aeliu' Sextus;

non (ut ajunt) ſapiens, ſed acutus: & quod eſt;

Tunc coipit memorare ſimol cata dicta . . .

accipienda, Acuta dicta. Erutum ex Varronis verbis elegans EnnI carmen, deficiente vocula. Ad haec & ſuperiora reſpicit Pomponius Ic. l. 2. §. poſt hos. 38. D. de orig. jur. *Sex. Aelium Ennius etiam laudavit*

Verſus EnnI erutus ex Varrone

CATUS 5.) Alterum hoc Aelio cognomen inditum ab ſummo ingenI acumine, quod innuit Varro lib.VI. de LL. & juris Civilis ſcientia, teſte M. Tullio de Orat. lib. I. qui neſcio quam bene ſic appellatum ſcribit a ſummo poeta; quaſi ante poetam id illi cognomen non fuerit. Exaratus hic Conſul in Faſtis Capitolinis: *Sex. Aelius Q. F. P. N. Paitus Catus*, duplici cognomine, ut *Catus* apud Ennium non ſit ἐπίθετον, quo ornatur *Sex. Aelius*; ſed ἐπώνυμον vel ἐπίκλησις, ab magna ſolertia, ſummo ingenij acumine, & ſingulari in rebus agundis dexteritate. Idem fuit cognomen *Sex. Aelio*, qui ſub Auguſto anno ab V. C. ꟾↃCCLVI. Conſul fuit, cum *C. Sentio Saturnino*, teſte Caſſiodoro; a quibus lex *Aelia Sentia*: De hoc *Cato* ſcribit Strabo libro VII: ἔτι γὰρ ἐφ' ἡμῶν γοῦν Αἴλιος Κάτος μετῴκησεν ἐκ τῆς περαίας τοῦ Ἴστρου πέντε μυριάδας σωμάτων παρὰ τῶν Γετῶν, &c. Male enim nonnulli Codices ibi, Αἴλιος Κάτων. Alius *Catus*, alius *Cato*: uterque tamen παρὰ

Cicero notatus

Catus apud Ennium non ἐπίθετον, ſed ἐπώνυμον

In nonnullis Strabonis Codicibus mendum

τὸ χαίειν, inquit Donatus ad TerentI Andriam, Act.v.Sc.II,
Ingeniorum etenim igneus vigor esse videtur

AILIUS 5.) Merebatur summa in summo viro Iuris scientia, ut *Ius, Aelianum* ab eo diceretur. Addam his Ciceronem de Senectute: *Nihil Sex Aemilius tale, nihil multis annis ante T. Coruncanius, nihil modo P. Crassus, a quibus jura civibus praescribebantur: quorum usque ad extremum spiritum est provecta prudentia:* ubi reponendum esse *Aelius* recte monet Lambinus. Illud item, SuetonI illustrandi, cap. XXVI. in Claudio: *uxores deinde duxit Plautiam Herculanillam triumphali; & mox Aeliam Paetinam, consulari patre.* Legendum arbitror: *uxores deinde duxit Plautiam Urgulanillam triumphali patre, & mox Aeliam Paetinam consulari avo.* Nam tempore Claudij, vel paullo ante ejusdem principatum nullus in Fastis reperitur *Aelius Paetus* cujus filiam Claudius duceret uxorem, nisi ex Subfectis is fuerit, cujus apud Scriptores mentio intercidit. At Octaviano Augusto, imperante jam annum XXI. ab V.C. IↄCCXLII, coss. nominantur: *Paullus Fabius Maximus Q. Aelius Tubero* a Dione, Cassiodoro & alijs. *Q.* igitur *Aelius* avus, ni fallor, hujus *Aeliae Petinae,* quae *Paetina* vel *Paeta* forte fuit dicta ab altero patris avique cognomine. Nam plerique *Aelij Tuberones* (ex quorum haec familia, auctore Tacito libro XI.) etiam *Paeti* cognominati. Nota exempla in *L. Aelio Paeto Tuberone* & *P. Aelio Paeto Tuberone*. De *Plautia Urgulanilla* religio mihi est quid dicere post CL. V. Laevinum Torrentium

Cicero emendatus

Suetonio lux & medicina

O TITE XXV

Citat M. Tullius libri de Senectute initio. Versus notiores, quam qui saepius inculcentur

HISTOR. CONTINVAT

AB V. C. Eodem

O Tite Flaminine, inquit, si in saevis periculorum undis, quas ex bello contra Philippum gerendo

gerendo imaginaris, quibuſque penitiores tuae cogitationes fere jacent obrutae, conſilio tibi & adjumento fuerim: ecquam initurus ego gratiam? quid, te judice, praemij merebor?

Cicero illuſtratus

O TITE 8.) Priores voces citantur etiam ab Cicerone lib. XVI. ad Atticum, epiſt. XI. hoc modo: O TITE *tibi prodeſſe laetor*, id eſt, te o Attice ex libro meo de Senectute, quem tibi dicavi, commodum capere & utilitatem gaudeo. Ab Libri initio librum ſuum deſignat. Indicavit mihi huic ſimilem Ciceronis locum ex ejuſdem ad Atticum libri epiſtola III. doctiſſimus juvenis Franciſcus Duza, magnae ſtirpi excreſcẽs feliciſſime inter ceteros ramus: *Quod vero ſcribis*, ait Cicero, *te magis delectari* O TITE SI QUID EGO; *ſi quid agis, addis mihi ſcribendi alacritatem.* Sic idem Cicero Auctoris noſtri Medeam notat lib. I. de finib. bon. & malor. quum ait: AT UTINAM NE IN NEMORE *nihilo minus legimus, quam hoc idem Graecum.* Tale enim principium fuiſſe iſti Tragoediae, manifeſtum ex Euripidis Medea, quam Latinam, vi planius expreſſa, fecit Ennius. Sic docta argutia Martialis *Aeneidem* VirgilI a primis primorũ verſuum vocabulis nominat libro VIII. Epigr. LVI:

Iterum — *Tertium* — *Martiali lux*

Protinus ITALIAM *cõcepit, &* ARMA VIRUMQUE;
Qui modo vix Culicem *fleverat ore rudi*

Sic libro XIIII. Apoph. CXXCV: *Altera*

Accipe facundi Culicem *ſtudioſe Maronis*:
Ne, nugis poſitis, ARMA VIRUMQUE *legas*;

Sic enim ibi ex MS. legendum, non *canas*, ſecundum hunc morem. Non abludit Ovidius II. Triſtium:

Eidem medicina — *Ovidius illuſtratus*

Et tamen ille tuae foelix Aeneidos auctor
Contulit in Tyrios ARMA VIRUMQUE *toros*

His omnibus adde quae apud CL. V. Ludoicum Carrionem lib.1.Emendat.cap.VIII

Adiuro 8.) Citat hanc vocem ex Ennio, huc proculdubio respiciens, Calpurnius meus, ubi agit de Combinatione, quae Graecis, credo, συγκοπὴ. Facessant igitur, qui *adjuto*, vel *ad,uvero* hoc loco nobis ausi sunt subjicere. *Adjurit* est etiam apud Terentium

Leuasso 8.) Ejusdem classis sunt: *Irritassis, locassis, supplicassis, negassis*, & similia apud Plautū & alios antiqui aevi

Coquit 9.) Cura vere hominem coquit, ejusque cor urit

Conjectura in Ennio

Vorsat 9.) Quid si *vexat?* ut Ennium imitatus videatur Tibullus lib. IV:

Qui mea nunc vexat corpora fessa calor

Sub pectore 9.) Alij *in Pectore*. Res notatione, multo magis disceptatione, quam nonnulli moliuntur, indigna. Homerus Odyss. κ:

Ennius Homerum expressit

Πολλὰ δὲ μερμήριξε κατὰ φρένας, ἠ κατὰ θυμὸν

Et qua 10.) In vulgatis hic versus desideratur. Exstare scribit Hieronymus Columna, in antiquissimo Codice; qui apud Fulvium ursinum, PomponI Laeti manu exaratus

Praimi 11.) Alij legunt *Pretij*

Tunc coipit XXV

Ennio suus versus apud Varronem restitutus

Docui paullo ante, haec, quae putata hactenus M. Varronis, esse vere EnnI. Sunt autem Poetae verba, superioribus & sequentibus Sex. AelI interjecta. Quamvis Varro non

non nominet librum, puto tamen esse ex x. Annalium, id est, *cata dicta* ab Cato & egregie cordato homine esse pronunciata; quorum princeps versus, qui sequitur

HISTOR. CONTINVAT

ABV. C. *Eodem*

SIc orsus Aelius coepit explicare acute & cata memorare dicta, quae maxime ad bellum feliciter contra Philippum instituendum, felicius gerendum, felicissime finiendum facere arbitrabatur:

SOLLICITARI XXV

Hoc apud Ciceronē de Senectute esse Q. ENNI a nemine, quod sciam, observatum: tam obstinate voluerunt omnes esse Ciceronis, ut contra Ciceronis mentem pro *Tite* subjecerint *Attice*, quia scilicet ad Atticum scribebat ibi Cicero. In MSS. sane omnibus *Tite* expressum est, & ludit doctus scriptor in praenomine, quod *Quinctio Flaminino* & *Pomponio Attico* fuit commune

& apud Ciceronem — *Ciceroni melius*

HISTOR. CONTINVAT

ABV. C. *Eodem*

QVae caussa angi tantopere, &
Sollicitari te, Tite, sic noctesque diesque?

An quod proficiscendum tibi in provinciam, quam detinet Philippus, hostis potentissimus? An vero animum terrent, quae in nostrum consulatum incidunt, prodigia? Quod ad Provinciam: Philippicum illud bellum periculo haudquaquam cum Poenico comparandum, aut virtute Ducis, aut Militum robore. Quod ad Prodigia: eorum caussa Supplicatio decernenda; Rebus divinis operandum; DI placandi & propitiandi

ANI-

ANIMUSQUE XXV

Varro lib.VI.de LL.non citato libro; ubi male quidam:

. . . *animus cum pectore lactat.*

Varroni castigatius

Cujus enim animalis vox illa in homines translata, quod vult ibi Varro? Iuvat Paullus ex Festi libro X. *Latrare*, inquit, *Ennius pro poscere posuit*; quod imitatus Lucretius lib.II:

Nil aliud sibi naturam latrare, nisi ut quoi
Corpore sejunctus dolor absit, &c.

Iuvat paullo post Homerus lib.XX. quod ad haec EnnI indicat primi nominis ille:

. . . χραδίη δ' οἱ ἔνδον ὑλάκτει.

Iuvat fortean & Glossarium: *Latrat*, ὑλάκτει

HISTOR. CONTINVAT

AB V.C. Eadem

INcitatus hujusmodi & alijs verbis ad bellum T. Quintius, fatetur tantum sibi ab Aelio animi accessisse, ut totus jam esset in debellando Philippo, quem quasi tum mente stratum in triumphum ducebat (*Id declarat eleganti similitudine*; Animus latrat, *id est pugnam poscit*)

SIC UT XXV

Festus libro XII: *Nictare*, inquit, *& oculorum & aliorum membrorum; nisu saepe aliquid conari.* Et post pauca. *Nictit canis in odorandis ferarum vestigijs leniter garriens; ut Ennius lib.X:*

Veluti si quando vinculis venatica venenox
Apta solet si forte ex nare sagaci
Sensit voce sua nictit, ululatque ibi acuta est.

Magnus Scaliger in Conjectaneis ad VI. Varronis de LL:

Sicuti

Sicuti si quando vinclo venatica aeno
Apta solet canes, forte feram si ex nare sagaci
Sensit, voce sua nictatque, ululatque ibi acute.

Ennius correctus, connexus, suppletus

Eum pleraque malui sequi, quam quid violenter mutare. Triumphat ille serio in regno Critico; & cum monstris, quae illud turbant, felicissime congreditur. Cohaerent cum superioribus. Sic enim Homerus, unde haec EnnI expressa:

Homerum imitatus

κραδίη δέ οἱ ἔνδον ὑλάκτει:
Ὡς δὲ κύων ἀμαλῇσι περὶ σκυλάκεσσι βεβῶσα
Ἄνδρ᾽ ἀγνοιήσασ᾽ ὑλάει, μέμονέν τε μάχεσθαι

HISTOR. CONTINVAT

Aptissima similitudine ab cane venatica declarans ardens illud suum, iter in Macedoniam, & pugnam contra Macedonum regem capessendi, desiderium

AB V. C. *Eodem*

VINCLO 23.) Legendum aliquando putavi *Millo. Millus*, inquit Paullus ad Festi librum XI. *collare canum venaticorum, factum ex corio, confixumque clavis ferreis eminentibus adversus impetum luporum. Scipio Aemilianus ad populum: Vobis, inquit, reipublicaeque praesidio eritis, quasi millus cani:* sed quia omnes docti viri retinent *vinclo*; & ego non invitus retineo. Amplius tamen de illa voce deliberandum

Conjectura in Ennio non levis

AENO 23.) Corruptissima haec vox in Vulgatis. Legitur enim *Venenox*, unde nonnullis *Velox*

APTA CANES 24.) *Apta*, juncta. Paullus ex Festi libro I. in *Apex, Aptus*, inquit, *is, qui convenienter alicui junctus est.* Virgilius II. Georgic.

Aptus

. . . . ipsis e torquibus aptos
Iunge pares

ubi Iunius Philargyrius: *Aptos, unitos aut connexos. est enim apta* (quid si *api* vel *aptari* saltē) *jungi.* Et hinc *Apes, quasi aptae quod invicem colligētur* apud Charis. lib. II. Glossae FornerI: Ζευχθεὶς, *Aptus, connexus.* His adde quae notat N. Iuvenis, multae ac prope lectionis infinitae, Ianus Duza filius ad Catullum capite III. Alioquin *Aptus*, adeptus. Plautus in Captiveis:

Iunio Philargyrio melius

Sine sacris haereditatem aptus sum effertissimam.

Paullus ad Festi librum I: *Aptus quin propria significatione intelligatur; poni tamen solet pro adepto: sicut Apisci pro adipisci*

Ennius suppletus

CANE 24.) Deerat haec vox in Vulgatis. Postulabant autem illam & Versus ratio & Homerus, atque adeo ipsa sententia. Scripsi *Canes* pro *Canis*, more EnnI. Nam poetae alibi nominatur *foeta canes*; Lucilio *immanis canes.* Vide omnino Varronem lib. VI. de LL

Item

FERAM 24.) In Vulgatis Exempl. *Fera* cum *Cane* aberat. Eo modo Venationem infelicem, imo nullam; noverunt, qui huic studio dediti. *Ferae* comparat *Philippum*; *venaticae cani, T. Quinctium Flamininum*; *aeno millo, militem*

NICTAT 25.) Emendat & explicat Festi locum Obertus Gifanius ad Lucretium. Castricomius meus *Rictatque* emendat

ULULAT 25.) Glossarium ὀλολύζει ex Ennio, ni fallor. Non solebat enim Glossographus voces, quas ex antiquis auctoribus citat, ad fontes suos revocare

ACUTE 25.) M. Tullius Cicero libro de Divinatione I:

Praesa-

Praesagibat animus frustra me ire, quom exirē domo

Sagire enim sentire acute est: ex quo Sagae anus, quia multa scire volunt; & Sagaces dicti canes. Is igitur, qui ante sagit, quam oblata res est, dicitur Praesagire, id est futura ante scire. Paullus ex Festi libro de verb. sig. xiv: *Praesagire est praedivinare, praesipere. Sagax enim est acutus & solers. Praesagitio dicta, quod praesagire est acute sentire: unde Sagae dictae anus, quae multa sciunt; & Sagaces canes, quae ferarum cubilia praesentiunt.* Pro *Praesagire*, quod secundo loco apud Festum, reponendum esse *Sagire*, manifestum ex Cicerone. Quid si Ennius hoc loco scripserit,

Festo sanius

Sentit, voce sua nictans, ululansque, ibi acute

Et Ennio

ut τὸ *Acute* referatur ad *Sentit*. *Sentire acute* apud Ciceronem est & Festum

Acute sentire

AIGRO XXV

Nonius cap. iv: *Passum*, inter cetera, *extensum, patens: unde & passus dicimus, quod greßibus mutuis pedes patescunt. Ennius Annalium libro x:*

Aegro corde comis passis late palmis pater.

paßis palmis, ait, pro patentibus & extensis. Quo sensu? Tam aegre hic Ennio, ut vulneri nemo manum admorit. Lege meo judicio, imo periculo conjunge haec cum, quae truncatiora citat Diomedes libro I. *Sed apud veteres reperimus n litteram additam, & pinsit secundum tertium ordinem, ut Ennius x. Annalium*

Ennij fragmenta correcta & connexa

Pinsunt caeram genibus . . . .

Emenda & committe:

Aegro corde, comas passis palmis lacerantes,
Pinsebant terram genibus . . . .

Sic enim apud Diomedem Ennio medetur medicus ille litterarius in Conjectaneis ad Varronem de LL. lib. IV; ubi Varro: *Ideo Ennium*, inquit, *in terram cadentes dicere*,

. . cubitis pinſibant humum . .

Homericum, adſcribit magnus vir:

Αὐτὸς δ' ἐν κονίῃσι πεσὼν ἕλε γαῖαν ἀγοστῷ.

Idem Ennius Annali x:

Pinſebant terram genibus . . .

Feci ego in priore ex *late pater*, divulſis vocibus, *lacerantes*. Et tamen non plene mihi factum ſatis. Quid enim *lacerare comas paſsis palmis?* Quid ſi

Aegro corde comas; paſſis palmis adaperta?

Firmior forte cōjectura in Ennio

adaperta, ex *late pater*; omnibus fere litteris, una ablegata: quaſi ſcriptum ab Ennio:

. . . . . . vellebant
Aegro corde comas; paſſis palmeis adaperta
Pectora tundebant . . . .
Pinſebant terram genibus . . .

Si haec fere horum verſuum ſana lectio, poetam noſtrum proculdubio imitatus Ovidius de morte Tibulli:

Adſpice demiſſis ut eat miſerabilis alis,
Pectoraque infeſta tundat aperta manu

HISTOR. CONTINVAT

AB V.C. *Eodem*

QVinctium interim properantem in provinciam prodigia nunciata atque eorum procuratio Romae retinent. De coelo tacta

erant

erant via Publica Veiis; Forum & Aedes Iovis Lanuvi; Herculis Aedes Ardeae; Capuae Murus & Turres, & Aedes quae Alba dicitur: Coelum ardere visum erat Arreti; Terra Velitris trium jugerum spatio caverna ingenti desederat. Suessae Aruncae nunciabant Agnum cum duobus capitibus natum; & Sinuessae Porcum humanae capite. Horum caussa Supplicatio unum diem habita, Consulum conlegio rebus divinis operam dante. *(ad Supplicandi ritum pertinent mihi haec Enni)*

PINSEBANT XXV

Citat, quod monui, Diomedes lib. I. *Pinsebant*, id est, *tundebant terrā genibus. Geniculantes* simpliciter γονατίζοντες. Glossar. Vide obiter puriorem Manilium apud CL. V. Ludoicum Carrionem, Antiquar. lect. II. cap. IX

TERRAM 29.) Male in Vulg. *caeram*

INSIGNITA XXV

Priscianus lib. I: *Finalis dictionis subtrahitur M in metro plerumque, si a Vocali incipit sequens dictio, ut:*

Illum exspirantem transfixo pectore flammas.

Vetustissimi tamen non semper eam subtrahebant. Ennius in X. Annalium:

Insignita fere tum millia militum octo
Duxit, dilectos bellum tolerare potentes.

M ante vocalem non subtractum

Sic Ennius noster lib. Annal. VI:

Dum quidem unus homo Romae toti superescit.

Et inter incerti loci fragmenta:

Quom illud, quo jam semel est imbuta veneno.

Sic Lucilius Satyrarum libro x:

Lucill. versus emendati, colligati, illustrati

Praetextae ac tunicae Lydorum opu' sordidum omne;

Nonius in *Tunica,* ubi male quidam:

. . . . . . *sordidum id omne.*

Qui versus subjungẽdus alij, qui apud eumdem Nonium in *Amphitapae*

Psilae atque Amphitapae, villis ingentibu' molles;
Praetextae ac tunicae, &c.

Ad LucilI postrema vide historiam de Lydis ab Cyro devictis; &, Croesi consilio, Cauponiam exercere & veste ad terram usque demissa, quod molliciem olim indicabat, uti jusis. Sic denique Lucretius locis infinitis: quod notarunt CLL. VV. Dionysius Lambinus & Obertus Gifanius. Patres illos imitati leguntur Virgilius, Horatius, Terentius, Prudẽtius, & alij. Georgius Valla libro XXXVIII. cap. XXXVI. putat Catullum etiam M. non interemisse, quum in Argonaut. canit:

Sospitem ereptum se ostendit visere portum;

ubi alij Codices:

Sospitem & ereptum, &c.

Alciatus de Plautinorum Carminum ratione citat hunc EnnI versum:

Convenere decem cum millia militum octo;

nescio an eumdem cum, qui hoc loco

HISTOR. CONTINVAT

AB V.C. Eodem

PLacatis DIs, parat iter Quinctius Brundisium, inde cum VIII. millibus peditum (*exstat disertis verbis hic numerus apud Livium lib.* XXXII. *ut pro-*

culdubio eo pertineat fragmentum EnnI) & Equitibus IↃCCC.in Corcyram

INSIGNITA 31.) id eſt per ſigna deſcripta, ſignis ſuis adſcripta. Gloſſar. FornerI: *Inſignitus* παρεγγεγραμμένος εἰς τὸ σημεῖον τάγματος στρατιωτικοῦ, ὡς Εννιος. Quid in re militari, *militaria ſigna*, nemo neſcit. *Inſignita*, alias ἀσήμαντα in Gloſſario: ut *Inſignitae Legiones*, id eſt abſque ſignis; quibus caſu aliquo, vel hoſte premente, ſigna amiſſa *Inſignitus*

SPECTABAT XXV

Laudat Iunius Philargyrius ad IIII. Georgic. apud quem ſic legitur; vitioſe admodum:

. . . *Aſpectabat virtutem legionis,*
Spectans ſi muſſaret, dubitaretque denique cauſſa
Pugnandi fieret, aut duri labores

Dubitaret illud non EnnI eſt, ſed IunI Philargyrij exponentis, quamquam alieniore loco, (Nam & illud *Muſſare* ſignificat, Virgilius: *Ennius ab Gloſſemate liberatus*

. . . *muſſat rex ipſe Latinus*
Quos generos vocat . . .

id eſt, dubitat, ut interpretatur Servius) Tò Ennianum *Muſſaret*. Neſtor Novarienſis in ſuo Gloſſario: *Muſſo*, inquit, *cum duplicato s etiam pro Murmuro ponitur, auctoribus Feſto & Nonio. Ennius: Aſpectabat virtutem legionis ſuae, exſpectans ſi muſſitaret*: qui videtur haec ut Iambica, adgnoſcere: ad quorum leges facile conſtitui poſſent etiam, quae apud Philargyrium, hoc modo:

– – – – *adſpectabat virtutem Legionis ſuae,* *EnnI verſus Heroici in jambos mutati*
Spectãs ſi mußitaret, dein quae cauſſa pugnãdi foret,
DurIve laboris pauſſa . . . .

Si

Si ita sit, refero ad EnnI Scipionem, unde quaedam citantur apud Macrobium libro VI. cap. I. & II. & Agellium libro IV. cap. VII. Sed, ut pleniores concinnentur Annales, malo sequi, qui ingeniose restituit & supplet, ingeniosissimum Duzam lib. III. Plautin. explic. cap. XIV:

. . . . spectabat virtutem legionis
Suspectans, si mussarent; quae denique caussa
Pugnandi fieret, aut duri paussa laboris

HISTOR. CONTINVAT

B V. C. ode m

EX Corcyra in Epirum quinqueremi quum trajecisset, quamprimum pugnandi cum Philippo quaesijt occasionem; animis ante pugnam militum *(quod Ennius vult)* pertentatis. Paratis ad certamen omnibus, in Epiri faucibus, Philippum acie victum in regnum cogit reverti; vexata Thessalia Macedoniae proxima, socijs Aetolis & Athamantibus, L. Quinctius cos. frater navali praelio, ope & auxilio Attali & Rhodiorum, Euboeam & maritima loca invadit

LEUCATEM XXVI

Priscianus lib. XI: *Cambio, ἀμείβομαι ponit Charisius, & ejus praeteritum Campsi: quod ἀπὸ τοῦ κάμπτω, ἔκαμψα Graeco esse videtur: unde & Campso campsas solebant Vetustissimi dicere. Ennius in decimo:*

Leucatem campsant . . . . .

In antiquissimo Codice, quem MS. instar vidi apud filium CL. V. CornelI ArsenI I.C. (cujus hodie Manus in enotandis; & Ingenium in conficiendis Unitarum Provinciarum

vinciarum Ordinum Actis vigilantissima) expressum est:

Leucathan campsant . . . .

Leucaten reponit N. V. Ioseph. Scaliger; scribitque ad me Carminis legem hoc jubere. Videndus praeter Ptolemaeum, Strabonem, Eustathium, Stephanum & Melam, Plinius lib. III. cap. I. De voce *Campso* plura lege apud V. CL. Isaacum Causabonum ad Apologiam ApuleI, cui quidquid apud me Graecae linguae lubens debeo *Ennio correctius*

HISTOR. CONTINVAT

ANno ab V.C.IↃLVI. Coss. C. Cornelio Cethego & Q Minutio Rufo, prorogatum est T. Quinctio in Macedonia imperiũ, donec Successor mitteretur. Is igitur Proconsule Philippum ad Cynoscephalas in Thessalia acie vincit. L. Quinctius ejus frater Acarnanes; Leucate urbe, quae caput est Acarnaniae, expugnata; in deditionem accipit. (*Livius lib.* XXXII. *&* XXXIII. *Plutarch. & alij. De expugnato eodẽ hoc opido a P. Licinio Crasso cos. scribit etiam Agellius lib.I.cap.XIII*) *AB V.C. IↃLVI*

REGNEI XXVI

Citat Donatus, vel quocumque nomine sit appellandus interpres TerentI ad Phormionem, Act.II.Sc.I. ubi enim Comicus:

Bone custos salve: columen vero familiae;
Cui commendavi filium hinc abiens meum.

Columen, inquit interpres, *culmen; an columen, columna, unde Columellae apud Veteres, dicti servi majores domus. Lucilius lib.XXII:* *Donato melius Lucilio distinctius*

Servu' neque infidus domino, neque inutili' cuiquam,
Lucilij columella hic est situs . . . .

Tubero: Hinc in millesimum annum eorum columine civitas continebitur. *Horatius contra pro columine, columnam:*

Injurioso ne pede proruas
Stantem columnam . .

Ennius x:

*Regni * versatum summam vero columnam.*

Ennius dextre correctus & suppletus

Lacuna menda peperit Ennio & tenebras: parvo opere correctum & suppletum facit inlustriorem ab ingenio V.N. Iosephus Scaliger, ad me scribens:

Regni vorsatam tum summovere columnam.

& fortean illustratus

Quo referendum non plane video; illud tantum, pertinere saltem ad historiam Philippi regis Macedonum, ut & sequentia. Nam, praeter Philippicum bellum, nihil hoc libro ab poeta scriptum

CURSUS XXVI

Festus Pompeius Romae ab Fulvio ursino editus, libro ultimo: *Veruta,* inquit, *pila dicuntur, quod* Λ. *habeant praefixa. Ennius L. x*

. . . cursus quingentos saepe veruti.

Qui versus in alijs Editionibus deest: nec in schedis integer habetur, aut emendatus satis, ait ad Ennij illa CL. V. Fulvius ursinus

HORITOR XXVI

Diomedes libro I: *Item hortatur quod vulgo dicimus, Veteres nonnulli horiter. Idem* (Ennius, cujus paullo ante VIII. nominarat) *in x:*

. . . . horitor induperator

HAIC

HAIC NOX XXVI

Citat Macrobius lib. VI. Saturn. cap. I. cum similibus Ennianis. Legitur in Vulgatis:

Hic nox praecessit stellis ardentibus apta.

Pro prima voce, *Hinc* reponendum censet V. N. Ianus Duza in suis ad me litteris *Ennio emendatius*

PAVLLI G. F. P. N. MERVLAE COMMENTARIA IN Q. ENNI POETAE ANTIQVISSIMI FRAGMENTA ANNALIUM

LIBRI XI

TUM CLUPEEI XXVI

PRiscianus lib. VIII. *Sono sonas,* inquit, *& sono sonis. Ennius in XI. Annalium:*

Tum clypei resonant & ferri stridit acumen.

Legendum:

Tum clupei resonunt, &c.

Nam sic idem Priscianus laudat libro IX. absque ulla mendae vel adfectioris scripturae suspicione *Ennio apud Prisc. antiqua scriptura restituta*

HISTOR. CONTINVAT

EIsdem diebus RhodI quoque ad vindicandam a Philippo Peraeam, Pausistratum Praetorem cum aliqua militum manu mittunt. Ad Alabandam, Cariae opidum, in aciem descenditur; concurritur; diu anceps fuit pugna *AB V. C. Eodem*

MISSAQUE XXVI

Priſcianus libro VIII: *A. Strido quoque alij Stridui, alij Stridi protulerunt. Ennius in XI. Annalium:*

Miſſaque per pectus, dum tranſit, ſtriderat haſta

HISTOR. CONTINVAT

AB V.C. *Eodem*

MAcedones tamdem, nudato laevo cornu, turbati primo partim caeduntur (*huc Ennium refero*) partim terga vortunt: poſtremo, abjectis armis, in praecipitem fugam effuſi, Bargyllas petunt. Philippus Dardanos, fines regni tranſgreſſos, & Macedoniae ſuperiora vaſtantes, dilectu raptim habito, circa Stobos Pelagoniae improviſo opprimit. Antiochus molitus adverſus Romanos bellũ, eodem tempore omnes per oram Ciliciae & Cariae ad deditionem tentat urbes, quae in Ptolemaei erant ditione

QUIPPE XXVI

Feſtus lib. XV: *Quippe ſignificare quidni teſtimonio eſt Ennius lib.* XL:

Quippe ſolent reges omnes in rebus ſecundis

Feſtus caſtigatus Numerus vitio ſcriptus. Criticus Senatus ſubficiendum cenſet XI. Viginti tantum octo anni ad ſummum reſtant Ennio deſcribendi, quos non eſt veriſimile in tam multos illum libros, ab XI. uſque ad XL. diſpertitum. Anno enim ab V.C. IↃXXCIII. obijt Ennius; quem etiam uſque ad annum illum Annales ſuos proſequutum, non facile quis mihi adſuaſcrit. Alioqui ſatis probatum, non ſcripſiſſe poetam ſupra XVIII. Annalium libros. Vide quae dixi ad librum I. quaeque dicam ad lib. XVIII

HISTOR.

HISTOR. CONTINVAT

EOdem tempore & Attalus rex aeger, Thebis Pergamum advectus, moritur; altero & septuagesimo aetatis anno, quũ XLIV. annos regnasset. *(Ejus rei fecit fortean mentionem hoc libro Ennius, adjecta Gnome:* Reges, quum Fortuna maxime adridet, ut eo tempore Attalo, rebus humanis solere eximi) Exitu anni litterae Romam veniunt a T. Quinctio, se signis collatis cum rege Philippo in Thessalia pugnasse; hostium exercitum fusum fugatumque. Litteras brevi post sequuti Legati & ab Quinctio & a Philippo, qui pacem peterent: missi eo ab Romanis Legati X. quorum ex consilio Quinctius Imperator Leges pacis dat Philippo. *(Eas vide apud Livium lib.* XXXVIII)

AB V. C. *Eodem*

CONTENDUNT XXVI

Sex. Pompeius Festus lib. de verb. signif. XVII: *Sos pro eos antiqui dicebant, ut Ennius libro* (laudatis I. III. & VII.) *undecimo:*

Contendunt Graios Graecos memorare solent sos.

Alter versus apud eumdẽ Festum est, lib. XIV. post *Regium,* loco, si quis alius, mutilato & corrupto. Totum felicissimi ingenij vir supplet & emendat hoc modo: *Romanos Graecos appellat Ennius:*

Ennius suppletus & sanatus

Contendunt Graecos: Graios memorare solent sos:
Quod Graeca lingua longos per tempori' tractus
Hos pavi . . . .

Non Romanos Graece loqui ait, quum Romulus urbis conditor La-

tine loquutus ſit: ſed quod olim lingua Graeciae gentis fuerit eadem cum Latina, parum declinatione mutata. Quibus haec ſubjicit: *Puto ſatis fideliter verba Feſti reddidiſſe, modo ſecundo verſui EnnI verborum conſtet fides: Nam de ſententia non ita laborandum, quum ea ex primo verſu dependeat, quem primum verſum retulimus ex voce Sos; ubi integer plane ita, uti expreſſimus, habetur: & ex ejus collatione Graios non Graii, tum etiam ſententia ipſa ita poſtulante, legendum eſſe, nemo dubitare debet. Quod ſi ita eſt, ut certe videtur eſſe, manifeſto Feſtus ſeu Verrius non capit mentem EnnI: Nam Ennius gloriatur ſe paviſſe Romanos Graeca lingua, unde Graecos & Grajos omnes jam eos vocabant.* Cetera vide apud virum ſummum

HISTOR. CONTINVAT

AB V.C. IↃLVII

ANNO IↃLVII. L. Furio Purpureone & M. Claudio Marcello cos. Iſthmijs, Senatus populique Romani auctoritate & mandatu, voce Praeconis tota Graecia praeter exſpectationem pronunciatur libera (*Quod quum narraret poeta, interjecit fortean Conſanguineos populos, amica auxilij praeſtatione & innumeris Senatus benificijs, iterum coaluiſſe. Romanos enim Graecos etiam eſſe, cum origine, quod extra omnem controverſiam; tum ſermone, qui fuerat olim, auctoribus Varrone & Dionyſio Halic. Graecus: eum intermortuum ad vitam quaſi & uſum revocaſſe, eoque ſe Romanos ita per longos temporis tractus paviſſe gloriatur, nactus occaſionem, poeta, ut plerique contenderent eo tempore Romanos eſſe Graecos*)

HOS PAVI 24.) Quod

lingua

. . . . . . lingua Catonis & EnnI
Sermonem patrium ditaverit, & nova rerum
Nomina protulerit . . . .

canit Horatius ad Pisones scribens de arte poetica

ET SEI XXVI

Nonius Marcellus cap.VIII.§.4: *Lacte nominativo casu ab eo, quod est Lac.Ennius lib.XI:*

. . . . & si
Mulier erubuit, ceu lacte & purpura mista.

Sic enim supplendum EnnI fragmētum, quod in hac mea editione, non mea culpa, mutilum & truncatum

HISTOR. CONTINVAT

SEquenti anno M. Porcio Catone, L. Valerio Flacco coss. M. Fundanius & L. Valerius Tribb. plebis ad populum ferunt de abroganda Oppia lege, quae lata erat ab C. Oppio Tribuno plebis anno IↃXL, qui sextus belli Punici II. *Ne qua mulier plus semuncia auri haberet; neu vestimento versicolori uteretur; neu juncto vehiculo in urbe oppidove aut propius inde mille passus, nisi sacrorum publicorum caussa, veheretur.* Tuentur legem contra Conlegas M. & P. IunI Bruti Tribb. plebis. Habet pro lege concionem Consul Porcius Cato, gravem & ornatam: in ea duo praecipue agens. Primo castigat ab corruptis moribus matronas: libertatem non solum domi victam jacere impotentia muliebri, sed in foro etiam AB V.C. IↃLVIII

obteri

obteri & calcari. Ab nullo genere non aeque ſummum periculum eſſe; ſi coetus, ſi conſilia, ſi ſecretae conſultationes permittantur: ſe, quum in forum per medium mulierum agmen perveniret, erubuiſſe, quod alioqui probas foeminas decet, *(hoc vult Ennius)* & fere, niſi verecundia ſingularum magis, majeſtatis & pudoris, quam univerſarum, ne a Conſule compellatae viderētur, obſtitiſſet; coactum ſe fuiſſe erumpere in has voces: *Quis hic mos eſt in publicum procurrendi, & obſidendi vias, & viros alienos appellandi? iſtud ipſum ſuos quaeque domi rogare non potuiſtis? an blandiores in publico quam in privato, & alienis quam veſtris eſtis? quamquam ne domi quidem vos, ſi ſui juris finibus matronas contineret pudor, quae leges hic rogarentur abrogarenturve, curare decuit*, & id genus alias *(Livius libro* XXXIIII)

Ennius caſtigatus, gloſſemate forte ſublato

ET SEI MOULIER 26.) Ianus Gulielmius emendandum cenſet Quaeſtion. in Captivos Plauti cap. V:

Et ſimul erubuit, ceu lacte & purpura miſta

Lacte

LACTE 27.) Utuntur &, praeter a Nonio citatos, Plautus in Menaechmis, & Milite Glorioſo, Cato apud Chariſium libro I. Inſt. Grammat. & Apuleius libro VIII. qui tamen eodem libro ſaepe *Lactem* habet; ut & Plautus in Bacchidibus Scena *Quis ſonitu.* Ait enim:

Quae nec lactem, nec lanam ullam habent.

ubi male quidam, *Lacte.* Ad illum Plauti locum reſpicit Gloſſographus, licet alijs, nō mihi ſuſpectus: *Lactem*, γάλα.

Ab

Ab antiqua voce *Lactis* hodie dicuntur *Lactes*, ut Glossarium interpretatur, λοβοὶ τῶν σπλάγχων; λεπτὰ ἔντερα τῶν ἐρίφων

PENDENT XXVI

Nonius Marcellus cap.11.§.624: *Peniculamentum a Veteribus pars Vestis dicitur. Ennius lib.XI. Annalium:*

Pendent peniculamenta unum ad quemque pedum.

Lucilius lib.XIX:

Peniculamentum vere reprehendere noli.

Caecilius Foeneratore:

. . . . volat sanguis, simul
Avolat peniculamentum, & pallio datur.

Antiquum apud me exemplar omnibus litteris haec EnnI laudat ex *libro nono Annalis*; LucilI, ex *libro vigesimo primo*; & pro CaecilI *avolat* expressum habet *anhelat*; τὸ *Et* non agnoscens. V. N. Iosephus Scaliger in suis ad me litteris EnnI versum hoc modo concipit: *Ennius varie correctus*

Pendent peniculamenta imum ad quemque pedem.

In Castigationibus vero ad Moretum paullo secius:

Pendent peniculamenta unum ad quodque pedule.

& addit Ennium per *Peniculamentum* intelligere *lacinias tractas vestium*

HISTOR. CONTINVAT

ALteram Orationis partem consumit in Rogatione FundanI & ValerI dissuadenda; multa de inmodico Vestium Luxu differens (*Eo referendum hoc EnnI fragmentum videtur. Oratio igitur haec dissuasio fuit*, Ne lex Oppia derogaretur: *quemadmo-* AB V. C. *Eodem*

dum aliae fuerunt ejuſdem Catonis Diſsuaſiones, Ne Lex Baebia derogaretur; De Rege Attalo & Vectigalibus Aſiae, *& ſimiles. Haec tamen, qua de hoc loco agimus, niſi fortean alia appellatione, Grammaticis non eſt cognita. Confundunt nonnulli cum ea, quae inſcripta apud Priſcianum lib.*VI, De Veſtitu & Vehiculis; *& apud Chariſium libro* I. de Habitu: *ſed non vere, docebo aliquando in meo* Catone. *Non alienum hoc loco monere, apud Athenienſes fuiſse* γυναικονόμους *vel, ut aliijs appellantur*, γυναικοκόσμους; qui de Matronarum *primum, poſtea* de omnium mulierum ornatu *ſtatuebant*, ne quae quidquam ſe indignũ geſtarent, & ut ſingulae pro ratione cenſus & facultatũ induerentur: indicta multa ijs, quae ſecus feciſſent. *Apud eoſdem etiam* de Inceſſu *lex a Philippide quodam erat lata*, ut quae inhoneſte incederet, ſtatim mille drachmis multaretur. Γυναικονόμους *autẽ viginti numero fuiſse ſcribit Pollux*

[Margin: γυναικόνομοι γυναικόκοσμοι]

[Margin: Lex Philippidos de Inceſſu]

MALO CRUCE XXVI

Nonius Marcellus cap. III. §. 31: *Crux*, inquit, *generis foemini ni ſaepe. Maſculin. Ennius Annalium libro* XI:

Malo cruce fatum uti des Juppiter.

[Margin: Ennius varie emendatus]

Scripſi ego:

. . . *malo cruce fatum*
Ut des Juppiter . . . .

V.N. Ianus Duza in ſuis ad me litteris:

. . *malo cruce des uti fatum*
Juppiter . . . . .

Malo

Malo cruce dixit etiam Gracchus in Oratione, quae eſt in M. Popullium poſteriorem, teſte Sex. Pompeio de verbor. ſignific. lib. XI. in *Maſculino*

HISTOR. CONTINVAT

CAtonis orationem ſequuta eſt Suaſoria L. ValerI Trib. plebis, vehemens & vere tribunitia, ut lex Oppia abrogaretur: (*inter alia fortaßean, pro adgenita turbulento & ſeditioſo magiſtratui conſuetudine, diras imprecatus eſt ille integerrimo viro M. Porcio Catoni. Certe*) victo forti viro, lex cum maxima contentione abrogatur, anno poſt latam XX. (*Livius libro* XXXIIII) AB V.C. *Eodem*

NUNC EST XXVI

Priſcianus lib. IX: *Deponentia in rior deſinentia* orior & morior, *tam ſecundum tertiam, quam ſecundum quartam conjugationem declinaverunt Auctores:* orior oreris, *&* oriris; morior moreris *&* moriris. *Lucanus in IIII:*

Non gratis moritur, jugulo qui provocat hoſtem.

Ennius in XIIII. Annalium:

Nunc eſt ille dies cum gloria maxima ſeſe
Nobis oſtendat, ſi vivimus ſive morimur.

Numerus in Antiquo exemplari variat. Legitur enim XII. pro XIV. Suſpectus igitur. Emendo, XI. Ex hoc enim libro petita haec eſſe, & pertinere ad geſta M. PorcI Catonis in Hiſpania; liquido docet Livius lib. XXXIV, qui haec EnnI (ſunt autem Catonis verba, ante pugnam ad Tribunos & Praefectos) ita exprimit: *Tempus*, inquit, *quod ſaepe optaſtis venit, quo vobis poteſtas fieret virtutem veſtram oſtendendi: ad-* *Priſcianus caſtigatus* *Ennio lux*

huc praedonum magis, quem bellantiū militaſtis more; nunc juſta pugna hoſtes cum hoſtibus conſeretis manus, & quae ſequuntur

HISTOR. CONTINVAT

AB V. C. *Eodem*

CAto extemplo in Hiſpaniam profectus, bellum orditur ab Emporijs, brevi praemiſſa ad Tribunos & Praefectos oratione *(quae apud Livium libro* XXXIIII.) Tempus adeſſe, quod ſaepe optarant, quo poteſtas illis fieret, ſeu pro patria moriendo, ſeu vincendo & vivendo virtutem ſuam teſtandi. Animatis ſuis, Hiſpanos adortus triplici ſtrategemate, multis caeſis, in fugam vertit; caſtra illorum diripit; pleroſque ad deditionē compellit; armis exuit; muros diruit. Valerius Flaccus Catonis in Conſulatu Conlega cum Boiis ad Litanam Sylvam proſpere pugnat. T. Quinctius proconſul permiſſu Senatus, Graecorum opem ferentium voluntate, Nabidi arma infert; & Argis, qui in poteſtate ejus erant, liberatis, dat tyranno duris conditionibus pacem

RIMA XXVII

Paullus ex Feſti libro de verbor. ſignific. XVI: *Rimari eſt valde quaerere, ut in rimis quoque.* Poſſet facile ex ſuo truncatore ſuppleri Feſtus: Ennius autem, quem Feſtus citat, ad deſperationem eſt mutilus; cujus verbis una tantum vox ſupereſt, *utrique*: priorem ex conjectura (quia ea de agebatur) haud plenam adjeci

Ennius ad deſperationem mutilus

ALTA ELATA XXVII

Feſtus lib. de verb. ſig. XIV: *Petrarum genera ſunt duo, quorum*

alterum

alterum naturale ſaxum, prominens in mare; cujus Ennius meminit lib. xi:

Alte delata, ceteriſque ingentibus tecta:

Sol ille Galliarum, qui Bataviam etiam noſtram anno ſuperiore coepit illuſtrare ſuis ſcriptis & praeſentia:

Ennio medicina ab magno medico

Alte elata ſpecus, petriſque ingentibu' tecta.

Pertinet forte hoc fragmentum ad Emporiarum, maritimi Tarraconenſis Hiſpaniae opidi, deſcriptionem; quae apud Livium lib. xxxiiii

PAVLLI G. F. P. N. MERVLAE COMMENTARIA IN Q. ENNI POETAE ANTIQUISSIMI FRAGMENTA ANNALIUM

LIBRI XII

OMNEIS XXVII

PRiſcianus libro v: *Acer, & Alacer & Alacris; & Saluber, & Celeber, quamvis Alacris & Acris plerumque faciant, & Salubris & Celebris feminina: in utraque tamen terminatione communis etiam generis inveniuntur prolata.* Et paullo poſt, laudatis Virgilio, Terentio, Naevio & ipſo Ennio xvi. Annalium, addit: *Idem in xii:*

Omnes mortales victores cordibu' vivis
Laetantes, vino curatos ſomnus repente
In campo paſſim molliſſimus perculit acris.

Citat etiam eoſdem EnnI verſus idem Priſcianus lib. vi. Alij Codices *cordibus imis* habent. Horrendum paſſi nau-

EnnI dolendum naufragium

fragium Annales EnnI. In tabulis hinc inde conquirendis, quo propius ab confecto penso aberam; eo desperatiores mihi visae; & minus parebat, quibus combinandae, quove ponendae loco. Non plures quam duodecim ab Ennio scriptos putant nonnulli libros, quum apud Agellium libro XVII. cap. XXI. duodecimus Annalium legatur ceteris additus ab poeta, LXVII. aetatis annum agente. De Numero, qui apud doctissimum scriptorem, quid sentiam; dicam ad librum duodevicesimum. Haec autem arbitror pertinere vel ad victoriam PorcI Catonis contra Hispanos; vel T. QuinctI Flaminini contra Nabidem; vel Ti. SépronI contra Boios; vel contra eosdem L. CornelI Merulae DomitIve Ahenobarbi; vel denique Q. MinucI Thermi QuinctIve Flaminini contra Ligures. In hoc fragmento geminatio notanda Epithetorum, quae frequens apud Lucretium, Virgilium & alios; reprehensionem non merens, si nonnumquam fiat

AB V. C. IↃLIX IↃLX IↃLXI

Passim 12.) Quid si *passos?*

Quamde XXVII

Festus lib. XV: *Quando, quum gravi voce pronunciatur, significat quod, quoniam, &c. In duodecimo quidem* (Annalium EnnI) *cum C littera ultima scribitur, idemque significat.* Legendum, *cum E littera*, ut sit *Quande.* Si nobis integri essent Annales; videremus faciles, an apud Ennium scriptum fuerit *Quande* pro *Quando*; an vero *Quamde* pro *Quam*; quo non difficilis inclino

Festo forte melius

Conjectura in Ennio

PAVLLI

PAVLLI G. F. P. N. MERVLAE COMMENTARIA IN

Q. ENNI

POETAE ANTIQVISSIMI FRAGMENTA ANNALIUM LIBRI XIII

ANNIBAL XXVII

CItat Agellius libro VII. cap. II. ubi de turpi CaeſellI Vindicis, hominis alioquin pleraque haud indiligentis, errato: Nam ex duobus verſibus, qui hic primi, non lecto tertio, notat *Cor* ab Ennio enunciatum genere maſculino; quum τὸ *Quem*, ut ibi recte ſcribit Agellius, non ad *Cor*, ſed ad illa, quae tertio verſu de Annibale ſequuntur, ſit referendum; ut ſit, *quem cor meum credidit*, id eſt, quem ego credidi eſſe *CaeſellI Vindicis turpe erratum*

Suaſorem ſummum & ſtudioſum robore belli.

Caeſellium nullo judicio ſequutus eſt Nonius cap. III. §. 13: *Cor*, inquit, *neutri generis, ut dubium non eſt. Maſculini Ennius lib. XIII:* *& NonI*

Annibal audaci dum pectore de me hortatur,
Ne bellum faciam, quem credidit eſſe meum cor.

Antiquus apud me liber laudat haec ex libro III. Annalium, omnino vitioſe. Calpurnius, ubi de Vocum Sectionibus citat hoc EnnI *de me hortatur* ex lib. XII. rectius paullo. Tmeſin Ennianam indicat etiam ex AgellI MS. doctiſſimus Iacobus Schegkius. V. N. Ianus Duza ad me ſcribens retinet Vulgatam AgellI *me dehortatur*

HISTOR.

HISTOR. CONTINVAT

AB V.C. ↄↄLXI

Anno ab v.c. ↄↄLXI. L. Quinctio Flaminino & Cn. Domitio Ahenobarbo coss. Aetoli, qui, confecto bello Macedonico, praemijs parum dignis se ab Romanis adfectos conquerebantur, adversus eos concitant Reges; Antiochũ, instigante Dicaearcho; Nabin, oratione Damocriti; & Philippum, Nicandro suadẽte. Nabis facile persuasus, ab Romanis deficit: Philippus fidẽ servat: Antiochus magis accensus firmius de bello Romano consiliũ capit; ibi, unde sperãda essent, si arma caperentur, auxilia, discussum: inter alia etiam deliberatum, ut Annibal in Africam sine mora mitteretur, ad distringendos Romanos; quo cuncta felicius & commodius in Graecia gereret Antiochus. In consilium illud non adhibitus Annibal, suspectus regi propter colloquia cum Villio; ut jam tacitus (numquã enim Annibali ea mens fuerat, vel postea fuit) videretur Antiochum dehortari, ne bellum cum Romanis faceret: quem tamen ille crediderat semper summũ fore belli suasorem. Contumeliam illam silentio fert Annibal; deinde melius esse ratus, percunctari caussam repẽtinae alienationis, & purgare se tempore apto; quaesita simpliciter iracundiae caussa, auditaque, brevi, sed nervosa, oratione ita regem permovet, ut reconciliatio sequuta. (*Exstat apud Livium libro* XXXV)

Quem

QUEM CREDIDIT MEUM COR 20.) Sic apud Lucretium lib.I: *Credit cor*

Quoi quoniam ratio reclamat vera, negatque
Credere posse animum *Credit animus*

PONTIBUS XXVII

Terentianus, Beda, Sergius in AelI Donati comment. citant, sed non addito auctoris nomine: non dubito, quin sit EnnI, conjungendum omnino cum sequenti, ut historia ibi indicabit

ISQUE HELLESPONTO XXVII

Varro de LL. lib. VI: *Quasi Hellespontum & Claustra: quod Xerxes quomdam eum locum clausit. Nam ut ait Ennius:*

Isque Hellesponto pontem contendit in alto.

Locus desperatior. Alij: *Qua Pontus Helles.* Flos ille elegantiorum hominum: *Ad Hellesponti claustra: Claustra, quod Xerxes.* Adi ejus Conjectanea *Festo medicina*

HISTOR. CONTINVAT

NAbis non segniter contra foedus maritimam oram Laconum oppugnat. Ad Socios tuendum mittitur cum classe Attilius Praetor. Hactenus temere de Antiocho sparsi erant rumores, sine ullis auctoribus; tandem Attalus Romam venit, & Antiochum cum exercitu Hellespontum transisse nunciat. Vera fuit Attali relatio. Romani trepidantes & animis consternati, in Antiocho alterum Xerxem imaginantur & metuunt. Antiochum Xerxi comparant. *(Videndus Florus lib. II. cap. VIII.)* Xerxes enim V. Persarum rex, expeditione in Grae- *AB V. C. Eodem.*

ciam ſuſcepta, quum armaſſet de regno ſeptingenta millia; (*teſte Iuſtino lib.* II.) de auxilijs vero millia trecenta; navium praeterea decies centũ millia, fiducia virium veluti naturae ipſius dominus, montes in planum deduxerat; convexa vallium aequarat; & quaedam maria, inter alia Helleſpontiacum (*quod hic canit Ennius*) ſtraverat (*Conſulendus & Herodotus lib.* VII)

ISQUE 28.) Xerxen intelligit

CONTENDIT 28.) Reſpicit in re militari ad ejuſdem claſſis vocem; *Tendere pontem*; quemadmodum Virgi. II. Aeneid.

Hic Dolopum manus, hic ſaevus tendebat Ulyſſes

LITTORA XXVII

Priſcianus lib. IX. ubi ſcribit nonnulla primae conjugationis verba ab Veteribus etiam ſecundum tertiam prolata

HISTOR. CONTINVAT.

AB V.C. IↃLII

PRimus contra Antiochum mittitur M' Acilius Glabrio cos. bellum regi atque Aetolis ex SC. & populi juſſu inlaturus. In Graeciã adpellentibus Romanis, littora lata & laeta ſonant, & priſtinos ſuae Libertatis vindices cum plauſu quaſi excipiunt

LAITA 30.) Si quis malit *Lata*, non pugnabo

MATRONAI XXVII

Iunius Philargyrius ad IV. Georg. Virg. *Ore fave. Cum reli-*

gione

gione ac ſilentio accede, inquit. Et paullo poſt: *Ponitur eadem vox & pro Velle apud Ennium in XIII:*

Matronae melos complent, ſpectare faventes;

id eſt volentes. Litterae ad me magni Viri ſcribendum monent apud Ennium: *Ennius dextre emendatus*

Matronae moeros complent.

omnino vere

HISTOR. CONTINVAT

COncurrunt undique omnes omnis aetatis. Prae ceteris etiam *AB V. C. Eodem*

Matronae muros complent ſpectare volentes

eos; qui Graeciae res, ut olim ab Philippo, ſic in praeſentia ab Antiocho turbatas, reſtauraret

SATIN XXVIII

Exſtat apud Agellium lib. XIIX. Noct. Attic. cap. II. Extra ordinem a me poſitum: nam quid ibi velit poeta, nondum video. *Verare* autem verbum eſt vatum, unde *Veratores* & *Veratrices*.

PAVLLI G. F. P. N. MERVLAE COMMENTARIA IN Q. ENNI POETAE ANTIQVISSIMI FRAGMENTA ANNALIUM

LIBRI XIV

QUOM PROCOL XXVIII

MAcrobius lib. VI. Sat. cap. V. quo docet Epitheta, quae apud Virgilium nova videntur, vetuſtioribus quoque in uſu fuiſſe

HISTOR. CONTINVAT

AB V. C. *Eodem*

ANtiochus, quum Thermopylas occupasset, virtute M. Catonis, Tribuni militum, inde ejectus, rursum in Asiam est fugatus; L. Aemilius Regillus Praetor classem sortitus, adversus Antiochum profectus, inter Ephesum, Samum & Chium cum praefectis Regis congressus, classem ejus ad Myonnesum Rhodiorum auxilio vincit, fundit, fugat; & naves longas capit LXII

OMNES XXVIII

Festus lib. XIII. de verb. sig. ubi varie probat *Ob* praepositione Antiquos usos esse pro *Ad*. Verba non semel jam in precedentibus laudavi; ideoque hic supersedebo. *Obcensi*, id est *accensi*, interprete Festo

HISTOR. CONTINVAT

AB V. C. *Eodem*

SEleucus interea, Antiochi filius; fines invadit regni Eumenis: (dum is procul ab domo cum Romanis & Rhodijs Lyciae maritima infestaret) ad Elaeam primo infestis signis accedens, omissa urbis oppugnatione, agros hostiliter depopulatus ad caput & arcem regni Pergamum ducit oppugnandum. Eumenes domestico bello avocatus, cum classe Elaeam petit; inde, auctiore milite, Pergamum clam fere hoste contendit. Hoc quum nunciatum esset Antiocho, caduceatorem mittit ad Aemilium, velle se de pace agere. Responsum illi, ante cos. adventum de pace agi non posse: qua nequidquam

tentata

tentata vastatis Elaeensium & Pergamenorũ agris, Adramytteum hostili animo petit: eodem veniunt Aemilius & Eumenes. Antiochus urbe abstinens, Peraeam expugnat. Cotton, Corylenus, Aphrodisias & Priene primo impetu captae: inde per Theatyra Sardeis redit; hinc Ephesum profectus, Polyxenida cum classe ad tentãdum omni modo certaminis fortunã misso, copias ad Notium Colophoniorum urbem ducit; paullo post Lysimachiae deducto praesidio, Sardeis se recipit. (*Livius lib.*XXXVII)

VERRUNT XXVIII *Agellio lux*

Agellius lib.II.cap.XXVII. quo Phavorinus Philosophus & M.Fronto Cõsularis (fuerat enim M. Aufidius M.F. Fronto Consul una cum P.Cornelio Anullino II. anno ab V. C. IϽCCCCLII. Imperante rebus Romanis annum VI. L. Septimio Severo Pertinace) docte disserunt de varijs Colorum Graecis & Latinis vocabulis

HISTOR. CONTINVAT

AB V. C. IϽLXIII

PEr idem tempus L. Cornelius Scipio cos. cum exercitu iter ingressus per Chersonnesum ad Hellespontum pervenit; ubi omnibus cura regis Eumenis ad transportandum suas copias praeparatis, velut in pacata littora, nullo prohibente, (*teste Livio*) alijs alio delatis navibus, sine tumultu trajicit

VERRUNT 13.) feriunt, percutiunt; Virgilius lib.III. Aeneidos:

Adnixi torquent spumas & coerula verrunt;

imitatus hunc EnnI locum

Ennius leniter tentatus

PLACIDE 13.) Mallem *placidum*, quod & placet Iano Parrhasio in Claudianum

MARMORE FLAVO 13.) *Plinius*, ut inquit Servius ad v. Aeneidos initio, *dicit in naturali historia non esse maris certum colorem: sed pro Ventorum qualitate mutari, & aut flavum esse, aut lutulentum, aut atrum*

Glossarium FornerI emendatum

CAIROLEUM 14.) Citat etiam hunc versum Priscianus lib. v. ubi scribit ab Ennio libro XIIII. Annalium prolatum *hoc Sale*. Vidi hoc idem notatum Glossographo, qui apud Fornerios: *Sal, θάλαττα, apud Ennium:* Lege *Sale*

CONFERTA RATE 14.) Vide, Lector, quae dixi ad librum VII. Annal. folio CCCCVII. 16

LABITUR XXVIII

Macrobius lib. VI. Saturn. cap. I. apud quem Virgilius Ennium exprimens,

Labitur, ait, *uncta vadis abies.*

Obiter huc repete notata mihi fol. CCCCIX. 21, 23. Pertinet, quo superius, ad trajectum Hellesponti

IMPETUS 16.) Impetuosa, rapida, incitati cursus classis

UT PATEFECERUNT XXVIII

M. Tullius in Oratore: *Purrum semper Ennius, numquam Pyrrhum;*

Vi patefecerunt Fruges

Ennius castigatus

non Phryges, ipsius antiqui declarant libri; & quae sequuntur. *Ut* scripsi pro *Vi*; & refero ad bellum Antiochinũ. Ad aliam enim historiae Romanae partem Phryges ante aetatem EnnI serio pertinere non video: quamquam videri potest, vestigia ibi esse belli Trojani, quod obiter attigit

poeta

poeta libro 1. N. V. Ioſephus Scaliger putat haec eſſe ex EnnI tragoedijs

HISTOR. CONTINVAT

STativis ad Helleſpontum aliquamdiu locatis, AB V.C. *Eodem* Legatus ab Antiocho in caſtra venit Bizantius Heraclides, de pace acturus: qui quum nihil aequi in concilio ſe impetrare animadverteret, privatim (ut imperatum ab Antiocho erat) P. Scipionis tentare animum conatur. Fidele Scipio dat conſilium: bello Antiochus abſiſteret, & pacis conditionem nullam recuſaret. Non motus rex, belli aleam experiri ſtatuit. Conſul, omnibus ad propoſita exſequēda praeparatis, quum ex Stativis moviſſet, Dardanum primo, deinde Rhoeteum venit; inde Ilium procedit, caſtriſque in campo, qui moenibus ſubjectus, poſitis

Ut patefecerunt Phryges

portas, in urbem arcemque adſcendit, ſacrificatum Minervae, arcis praeſidi.

FRUGES 19) Scribendum arbitrantur alij cum Antiquioribus *Bruges* ex Quintiliani lib. 1. Inſtit. Orator. capite, ni fallor, IIII. Res non tanti; ut, ejus ergo, in arenam deſcendatur

O PATRIA XXVIII

Servius ad illud VirgilI II. Aeneidos:

O patria, o DIvum domus Ilium, & inclita bello
Moenia Dardanidum . . . . .

Verſus,

Versus, inquit, *Ennianus*. An ad verbū ex Ennio, incertum.

Moenia Dardanidum . . . . .

autem, quae apud Virgilium, mutavi ego, fidentius fortean, in

Pergama . . . .

Enni versus eleganter copulati non alio fini, quum ut tenacius copularentur haec cum alijs, quae de Pergamis ab Ennio ſcripta notat Macrobius lib. VI. Satur. cap. I:

Quae neque Dardanijs campis potuere perire;
Nec, quum capta, capi; nec, quum combuſta, cremari.

Macrobio forte melius Citantur quidem Macrobio ex libro x. Annalium; ſed non video, qui iſthuc pertineant. Numeros, qui Romanis notis notati, non ſemel in libris ſcriptis corruptos deprehendi: quapropter pro x. repono XIV. Clarius id ex ſequentibus

HISTOR. CONTINVAT

AB V. C. *Eodem*

ILienſes in omni rerum verborumque honore oriundos ab ſe Romanos praeferunt: Romani magno exſiliunt gaudio, ſua laeti origine; patriam ſalutantes, Divum domum venerantes, Pergama bello incluta perſtrepentes; Pergama,

Quae neque Dardanijs campis potuere perire;
Nec, quom capta, capi; nec, quom combuſta, cremari

Ennio lux (*Legendus Livius lib. XXXVII. Eleganter vero & nervoſe apud Ennium canunt milites Romani, Pergama* *Levis conjectura in Ennio* *Dardanijs armis, ſic malim, non potuiſſe perire. Nam capta quidem fuerunt & cremata: ſed quia renata ali-*

quot

quot post annis; celebrantur illa, non videri, quum a Graecis capta essent, vere capta; non videri item, quum combusta essent, vere combusta. Capta autem esse testantur infiniti; combusta, praeter alios, Lucretius libro I. de rer. nat.

Nec clam Durateus Trojanis Pergama partu
Inflammasset equus nocturno Grajugenarum.

Perdita denique ipse noster in Alexandro apud Macrobium libro VI:

Nā maxumo saltu superavit gravidus armatus equus
Qui suo partu ardua perdat Pergama . . .

HORRESCIT

Macrobius lib. VI. Saturn. cap. IV. ubi depravatius & turbatiore sensu *utrique*, quod etiam displicet V.N. Iano Duzae *Ennio melius*

HISTOR. CONTINVAT

ILio profectus ad caput Caici amnis pervenit; &, praeparatis dierum plurium cibarijs, consilium capit ire ad hostem, priusquam hiems opprimeret. Castris Romanorum & Antiochi parvo intervallo conjunctis, levia quaedam fiunt certamina. Postea, instructa acie ad justum praelium, signo dato concurritur; horrescente telis suis utrimque exercitu *AB V.C. Eodem*

INFIT XXVIII

Priscianus lib. X: *Vetustissimi tamē tam producebant, quam corripiebant verbi Tutudi penultimam. Ennius lib. XIIII:*

Insit: o Cives quae me fortuna fero, sic
Contudit, indigno bello confecit acervo

HISTOR. CONTINVAT

AB V.C. Eodem

DVbio primum certamine, tandem in fugam vertitur Antiochus; caſtra ejus diripiuntur, Aſiae civitates in fidem cos. ſeſe tradunt. Rex plene victus, quum multis verbis deploraſſet duram & immanem apud ſuos fortunam (*quod poeta innuit; niſi quis malit alicujus Conſulis, Praetoris, aliuſve ad Cives Romanos verba*) Legatos mittit ad obtinendam ab Cos. pacem. Illi cum praeſcriptis conditionibus Romam rejecti ad Senatum; qui pacem ſervandam cenſet, populo etiam paucos poſt dies jubente. Sic confectum eſt bellum in Aſia cum Antiocho Syriae rege: (*quod inde Antiochinum, Aſiaticum vel Aſianum, & Syriacum dictum*)

Ennius tentatus

INFIT 30.) Gloſſ. *Inſit*, ἄρχει λέγειν. Poſitam hanc vocem arbitratur V. N. Ianus Duza pro *Inſyt*, ut extendatur poſterior. Ancipiti tamen intervallo habita eſſe Veteribus ea, quae in T finiunt, alibi probavi ex Martiano & alijs

Ennio medicina Lux

FEROX SIC 30.) Vetus codex *ferocie*. Scripſit fortean Ennius *ferocem*, cujus mentis etiam magnus Duza. Ferocior & impotenti virium ſuarum perſuaſione ſublatus, inſurrexerat contra Romanos Antiochus: & paullulum favente uſus fortuna, contuſus tamdem crudeliter ab ea fuit, acerbo confectus bello

CONTUDIT 31.) Gloſſ. *Contundit*, θραύει, συνθλᾶ, συγκόπτει. Gloſſar. FornerI: *Contundere* κατακόψαι, καταφλάσαι

INDIGNO

INDIGNO 31) Alij volunt Ennium *indigne* ſcripſiſſe. Sed geminatio Epithetorum in ejus Annalibus haud inſolens

ACERVO 31) *Acerbo.* V non raro pro B poſitum apud Antiquos, teſtantur Inſcriptiones. Unam adjiciam; cum, quod nondum impreſſa; tum, quod inibi haec ipſa vox ſculpta. Communicavit eam mihi Petrus Scharlakius, concivis meus, qui enotarat illam Orgiae (*Alcaraz* hodie vocant) in Hiſpania Tarraconenſi: *V pro B*

DIS MANIBVS
C. ALLI C. F. VICTORIS. LEM
VICTORIS. CONTRA. ILERGETAS
AB. ACERVO. FATO. VICTI
TRIB. MILIT. LEG. XIX
VIXIT. ANNOS. XXXII. MENS. IIS
C. ALLIVS. C. F. PAT. OPT
F. ET. S

Alliorum & aliae Inſcriptiones meminerunt *Allia familia*

ROMPHAIA XXVIII

Agellius lib.x.cap.xxv.ubi, inter alia Telorum, Iaculorum & Gladiorum vocabula, *Rhomphaeam* docet eſſe genus teli Thracae nationis, poſitamque hanc vocem in Q. EnnI Annalium lib.XIIII. Recte. Nam bello Antiochino, quod illo libro deſcripſit poeta, multa etiam geſta contra Thraces. Fragmentum igitur hoc incertae certo libro ſedis eſto

PAVLLI G. F. P. N. MERVLAE
COMMENTARIA IN
Q. ENNI
POETAE ANTIQVISSIMI
FRAGMENTA ANNALIUM
LIBRI XV

MALOS XXVIIII

Falae CItat hoc EnnI fragmentum Nonius Marcellus cap.II. §.351.ubi dicit *Falas* esse *Turres ligneas*. *Falae*, inquit Festus lib.VI. vel ex eo Paullus Diaconus, *dictae ab altitudine a Falando, quod apud Etruscos significat Coelum.* Idem ibi in sequenti voce *Falarica*, quam a Falis innuit appellatam, *Falas exstructa loca* interpretatur. Isidorus lib.XVIII.cap.II. *Falas* simpliciter *Turres* vocat, qui quaecumque ibi de *Falarica* scribit, ex Servio ad IX. Aeneidos enotavit magnus exscriptor *Isidorus exscriptor*

HISTOR. CONTINVAT

AB V. C. IↃLXIV ANno IↃLXIV. M. Fulvius Nobilior Cos. (*qui poetam nostrum in Aetoliam duxit, quinquagenarium; teste Cicerone in Tuscul.I. cujusque victoriam insigni laude celebravit Ennius, ut scribit Auctor de VV. Inlustribus*) Ambracienses, aditu difficillimos, obsidione cingit

Ennius inlustratus MALOS 5.) τὰς μηλέας; ut *Malus* videatur pro omni arbore hoc loco poni; quod & apud alios auctores observare me memini: vel *Malos* τοὺς ἱστοὺς; ut Ennius indicet Malos navium fuisse diffisos, & ad obsidionis opera correptos

DIFFIN-

Ennio melius

DIFFINDUNT 5.) Sic Glossae Nestoris Novariensis, manibus non terendae rudium vel indoctiorum, qui multa ibi primo gustu male suavia & primo adspectu parum intellecta, forsan obelo configerent, immerito: in voce *Fallacia*. In Vulgatis erat *Defindunt*, in veteri codice *Diffundunt*

Ennio lux

TABULATA 5.) Talis enim erat Ambraciae situs, ut ab amne Arethone, qui ex Acarnania fluens ibi sese exonerabat in sinum maris Ionij, esset munitior. Videndus Livius libri XXXVIII. initio. Iam vero *Navigeri amnes*, quemadmodum ex diligenti observatione docet doctor ille militaris Vegetius libr. III. cap. VII. *stilis fixis ac superpositis tabulatis, pervij fiunt; vel certe, tumultuario opere colligatis inanibus cuppis, additisque trabibus, transitum praebent*

SUCCINCTEI XXIX

Iterum

Laudat hoc EnnI ἀκροτελεύτιον Servius ad IX. Aeneid. librum. Esse autem ex XV. Annalium adsuadet Macrobius lib. VI. Sat. cap. II. Scribit enim Virgilium in delineandis rebus ab Pindaro & Bitia gestis imitatum fuisse Ennium. Is namque eadē fere scripserat libro XV. de duobus Istris; qui, aperta urbis obsessae porta erumpētes, magnam stragem ediderant in obsidentes. Iam vero Servius in enarratione verborum VirgilI;

Armati ferro & cristis capita alta corusci;

sic ait: *Aut bene instructi armis; aut, ut Asper docet, ferrea corda habentes, id est, dura & cruenta committentes: ut Ennium sit sequutus, qui ait:*

. . . . succincti corda machaeris

ut vero sit simile, eadem EnnI verba de erumpentibus, quos dixi, esse accipienda

HISTOR. CONTINVAT

Ab V. C. *Eodem*

QVinque ſimul locis moenia aggreditur. Arietibus muri quatiuntur. Opidanos pavor capit & trepidatio: ſed, ut praeter ſpem ſtare muros contra ictus vident, timore excuſſo, animos ſumunt, & Romanorum impetum omni dexteritate avortunt. Quin portam auſi erumpere, & inter illos Iſtri duo,

. . . . . *ſuccincti corda machaeris*,

latam ſtragem de obſidente hoſte faciunt

Istri XXIX

MacrobI, quorum jam memini, & unde haec fragmentis Ennianis adcenſui, verba ſunt: *Item de Pandaro & Bitia, aperientibus portas, locus acceptus eſt ex libro quintodecimo EnnI; qui induxit Iſtros duos in obſidione erupiſſe portam, & ſtragem de obſidente hoſte feciſſe.* Quibus verbis haec apud Ennium fuerint concepta, incertum: hoc mihi certiſſimum ad hanc Iſtrorum hiſtoriam pertinere praecedens fragmentum, ut ibi probo. Fruſtra autem ſunt, qui, Iſtrorum hoc loco mētione injecta, putant hoc libro deſcriptum bellum Iſtricum. Potuerunt enim Iſtri eo tempore etiam Ambraciae, quam obſederat Conſul Romanus, fuiſſe, inter copias auxiliares. De bello Iſtrico poſtea

Judiciū nonnullorum de belli Iſtrici tempore improbatum

Occumbunt XXIX

Leguntur haec apud Priſcianum lib. VI. circa finem, ubi docet Vetuſtiſſimos etiam *Praecipis* genitivum protuliſſe, qui a nominativo *Praeceps* eſt ſecundum Analogiam. Prior verſus exſtat etiam apud eumdem eodem libro, ubi Antiqui ab nominativo *Lapis* genitivum dirivant *hujus lapis*.

Simplex

Simplex carmen Prisciano citatur ex libro XV; collegium vero ex libro XVII. Illum numerum veriorem arbitror *Priscianus emendatus*

HISTOR. CONTINVAT

MVlti utrimque & intra & extra muros cadunt, partim telis confossi, partim vero lapidibus obruti & saxis interfecti *AB V. C. Eodem*

LETUM 13.) In antiquo Prisciani codice *Leto*: utrumque bene

LAPIQUE 13.) Idem notant Nestorianae Glossae. Lapidum magnus olim usus in muris defendendis. Exempla passim

FOLUIU' XXIX

Glossae FornerI: ἀποχλείνω, *Sterno. Ennius:*

Fulvius nobilis obstravit certamine cerebro

Et illos . . . . . .

Elegantissimum fragmētum, sed corruptissimum. In eamdem fere emendationem concurrimus ego & V. N. Iosephus Scaliger; quod ipse etiam testabitur, quum suas mihi in scriptis conjecturas ad EnnI fragmenta, ex FornerI Glossario excerpta, tradenti meas etiam de eisdem evestigio monstrarem. Medicina nostra talis:

Folviu' Nobilior stravit certamine crebro *Insignis Ennio medicina*

Aitolos . . . .

nisi quod vir magnus priores tres voces, quae in scripto exemplari, retineret; ut *Obsternere* sit *ob oculos sternere*, quam ad ApuleI Apologiam docte exponit V. CL. Isacus Casaubonus: postea tamē facile ductus in meam sententiam. Planus est sensus

HISTOR.

HISTOR. CONTINVAT

AB V. C. *Eodem*

AMbracienſium res quum adflictiores eſſent, Legatos de pace Phaneam & Damotelen, intercedentibus etiam Athenienſibus Rhodijſque, mittũt Aetoli ad Fulvium Nobiliorem Conſulem, a quo crebris certaminibus erant ſtrati & infinitis adfecti cladibus. Diu jactatis Aetolis tandem pax data; duris ſatis, quas non ſemel ſuperioribus temporibus fuerant avorſati, conditionibus

Fulvia familia

FULVIU' 17.) Fulvia familia Tuſculo oriunda. Primus in urbem eam intulit L. Fulvius; qui apud Plinium lib. VII. cap. XLIII. *inter inſignia exempla. Nam Tuſculanorum rebellantium Conſul, eodem honore, quum tranſiſſet, exornatus eſt confeſtim a populo Romano*; *& ſolus*, ut ille ſcribit, *eodem anno, quo fuerat hoſtis, Romae triumphavit ex ijs, quorum Conſul fuerat.* Hujus tamen Victoriae, &, qui eam ſequutus, triumphi nulli, praeter Plinium, auctores, neque etiam Faſti Capitolini meminerunt: praeterierũt etiam Carolus Sigonius, Onuphrius Panuinius & alij. An quod cives ab illo victi? De ijs enim non triumphabatur. (Lucanus lib. I:

Faſti triumpho auctiores

Triumphus nullus de Civibus

Bella geri placuit nullos habitura triumphos;

quae περίφρασις bellorum civilium) non credo. Dicendum enim, ſi vera, quae narrat Plinius, hunc L. Fulvium non ſuo, ſed S. P. Q. R. a quo magiſtratum erat conſequutus, nomine, bellũ contra Tuſculanos geſſiſſe; ideoque triumphum ejus, non de civibus, ſed de hoſtibus fuiſſe. Certe is idem eſt cum L. Fulvio L. F. L. N. Curvo, quem Cos. de Samnitibus triumphaſſe, anno ab V. C. CCCCXXXI. Quirinalibus notant Faſti Capitolini. LivI etiam verba, quae huc perti-

pertinent adscribam, deinde & Livium & Plinium illustrabo. Sic enim ille libro VIII. extremo: *Eodem anno* (notat autem annum CCCCXXX; qui Coss. habuit C. Sulpicium Longum II. & Q. Aimilium Cerretanum) *de Tusculanis,* inquit, *Flavia rogatione populi fuit judicium. M. Flavius Tribunus plebis tulit ad populum, ut in Tusculanos animadverteretur; quorum ope ac consilio Veliterni Privernatesque populo Romano bellum fecissent. Populus Tusculanus cum Conjugibus ac Liberis Romam venit: ea multitudo, veste mutata & specie reorum, tribus circuit; genibus se omnium advolvens. Plus itaque misericordia ad poenae veniam impetrandam, quam caussa ad crimen purgandum valuit. Tribus omnes, praeter Polliam, antiquarunt legē.* Quibus haec, paucis interjectis, subjungit: *Insequenti anno* (quae ab V.C. CCCCXXXI.) *Q. Fabio, L. Fulvio coss. A. Cornelius Arvina Dictator & M. Fabius Ambustus Magister Equitum metu gravioris in Samnio belli, intentiore dilectu habito, egregium exercitum adversus Samnites duxerunt,* &c. Et post pauca: *Hoc bellum a Coss. bellatum quidam auctores sunt, eosque de Samnitibus triumphasse.* Consulatus quē Plinius notat L. Fulvium, Tusculanorum rebellantium Consulem, confestim, quum Romam transisset, consequutum, idem est cum eo, qui designatur ab Livio & alijs, Collegam nominantibus Q. Fabium, anno CCCCXXXI. Nam ante illum annum nusquam in Consulum Catalogo FulvI nomen notum. *Confestim,* autem scribit idem Plinius hunc Fulvium a populo Romano Consulari dignitate exornatum, quod fortean *anno post.* Verisimile enim Fulvium anno CCCCXXX. quum animadverteret res Tusculanorum tali esse loco, ut atrocem illam & calamitosam tempestatem, quae ab Romanis impendebat, nullo modo possent evitare, ad Romanos transisse, eodem anno Praetorem fuisse creatum, vel alio extraordinario honore insignitum, copias sibi adsignatas contra suos cives duxisse; victoriam consequutum triumphasse

Lux Livio & Plinio

(ut notat Plinius;) de Victis eodem anno populi fuiſſe judicium (quod Livius ſcribit;) ipſum denique Fulvium cõfeſtim (ut loquitur Plinius) in ſequentem annum ob Virtutem & rei militaris peritiam Conſulem factum; reſque ejus anni a Coſs. potius, quam Dictatore (variant enim Hiſtoriographi) contra Samnites geſtas; & Fulvium, ut ſuperiore anno triumpharat de Tuſculanis Praetoria vel alia poteſtate praeditus, ſic Cõſulatus ſui anno cum Conlega triumphaſſe de Samnitibus. Tuſculana igitur, ut eo redeam, fuit hæc familia: quod & Cicero innuit III. Philippica: *Sed ſi Aricinam uxorem non probas, quur probas Tuſculanam?* Tricae obiter extricandae. M. Antonius (qui poſtea Triumvir) quinque habuit, Cicerone & Plutarcho ſcribentibus, uxores: *Fadiam, Fulviam, Antoniam, Octaviam, Cleopatram. Fadia* filia fuit Q. FadI, hominis libertini, apud Ciceronem, II. & III. Philipp. quae, eodem teſte, foecunda fuit, & aliquot liberorum mater; nulli tamẽ nominantur. Ea defuncta, duxit *Fulviam,* M. FulvI Bambalionis, hominis, nullo numero, filiam, mulierem vehementem, & quae nihil muliebre, praeter corpus, gerebat; ut inquit Paterculus. Huic non artes foemineae, ut ceteris, ſed magiſtratus cordi erant & curae, gladio accingebatur, militibus imperabat, conciones ſaepe apud eos habens. Hanc ClodI primum, deinde Curionis, poſtremo ſecundam AntonI conjugem, *Tuſculanam* appellat Cicero, non quod Tuſculi eſſet nata, ut male quidam interpretãtur, ſed quod Fulvia gens Tuſculo oriunda ante multos annos in L. Fulvio Curvo, ut Plinius jam docuit, Romam migraſſet. Hac repudiata, tertio loco duxit *Antoniã,* C. AntonI patrui ſui filiam, quam quum paullo poſt adulterij falſo, ut illi objicit Cicero II. Philipp. inſimulaſſet, vero ſimile eſt reduxiſſe *Fulviam.* Quartam connubio ſibi conjunxit *Octaviam* C. OctavI filiam ex Atia M. AtI Balbi filia. Hanc *Aricinam* nomi-

Cicero inluſtratus

AntonI conjuges: Fadia

Fulvia

Antonia

Fulvia II.

Octavia

nominat Cicero, non quod Ariciae nata, ſed quod pater M. Atius (ſic enim nomen illud ſcribendum, alij jam monuerunt) Balbus, paterna ſtirpe eſſet Aricinus. Videndi Dio libro XLVII, M. Tullius Philipp. III. & alij. De Cleopatra nihil dicam *Cleopatra*

NOBILIOR 17.) Vir ab rebus praeclare geſtis maximus. Meminit ejus EumenI Rhetoris oratio, quae habita pro ſcholis Clivienſibus inſtaurandis, nō omnibus in manu. In ea de hoc Fulvio ſic legitur: *Aedem Herculis muſarum in Circo Flaminio Fulvius ille Nobilior ex pecunia Cenſoria fecit; non id modo ſequutus, quod ipſe litteris & ſumma Poetae amicitia duceretur, ſed quod in Graecia quum eſſet Imperator acceperat Herculem Muſagetem eſſe, id eſt comitem ducemque Muſarum. Idemque primus novem ſigna, hoc eſt omnium Camoenarum, ex Ambracienſi oppido tranſlata, ſub tutela fortiſſimi numinis conſecravit, ut res eſt: quia mutuis operibus & praemijs juvari ornarique deberent; Muſarum quies defenſione Herculis, & virtus Herculis voce Muſarum.* Eleganter. Pro *ſumma poetae amicitia*; legendum arbitror, *ſummi poetae amicitia.* Sic enim Ennius cum alijs, tum Ciceroni maxime vocatur. In ſequentibus, ubi idem: *Ideoque his omnis induſtriae atque omnis laudis nutricibus, aut, ut verius loquar, matribus quum praeceptorem Caeſar Herculius declarare dignatus ſit, neceſſe eſt etiā ſedem propriam cupiat reformari; ut quum ad antiquam firmitatem cultumque reparata ſit, multo hic juſtius & verius nuncupetur aedes Herculis atque Muſarum*; exculcanda vox *atque*, quae non bene inculcata: alieni enim hominis, non auctoris. Dicebatur *Aedes Herculis Muſarum*, nō *Herculis atque Muſarum.* In Aede Herculis Muſarum Faſtos Fulvium poſuiſſe teſtatur Macrobius lib. I. Sat. cap. XII. De Faſtis ijs L. Caelius Antipater apud Chariſium lib. I. Inſt. Gramm. *Publicatos quippe Faſtos omnes & Libros a M. Fulvio Nobiliore ſcriptum retuliſſe*

Eumenius Rhetor emēdatus

Iterum

Regiaque xxix

Triumphum Aimilianum ab Ennio delineatum narrat ſuis verbis Propertius lib.III. Eleg. III. Saepe jam laudavi. Intelligo autem triumphum navalem L. Aimilij Regilli, quem egit de Antiocho rege

HISTOR. CONTINVAT

AB V.C. *Eodem*

EOdem hoc anno decretus eſt magno conſenſu ab Senatu triumphus L. Aimilio Regillo ob rem bene & feliciter geſtam. Nam ſuperiori anno Praetor, claſſem ſortitus, Antiochi praefectos inter Epheſum, Samum & Chium vicerat, fuderat, contuderat & fugarat, captis navibus longis LXII

Cretenses xxix

Soſipater Chariſius lib.I. *Cretam,* inquit, *Cicero Tuſculanarum libro II. Cretam legis. Cretenſes, Ennius, ut Varro lib. I. de ſermone Latino ſcribit.* Quae *ἱϛορέων* adſcribo, facile convincunt haec eſſe ex lib.XV

HISTOR. CONTINVAT

AB V.C. *Eodem*

Q Fabius Labeo Praetor eodem anno claſſem ſortitus, & in Cretam inſulam tranſgreſſus, nuncios ad Cydoniatas; qui bellum gerebant adverſus Gortynios & Gnoſios; omnes autē captivorum Romanorum atque Italici generis magnum numerum in ſervitute habere dicebātur; mittit, ut armis abſtinerent, & captivos reducerent. Parum moventur: captivos nulli praeter Gortynios reddunt. Eam ob cauſſam decretus Fabio navalis triumphus

Arcus

ARCUS XXIX

Exſtat apud Priſcianum lib. VI. ubi notat vocem *Arcus* inveniri etiam apud Veteres feminini generis, quartae inflexionis. Neſtor Novarienſis in Gloſſ. pro *adſpiciunt* legit *accipiunt*; quem de *Arcu* omnino vide. V. CL. Hieronymus Columna reponit:

Arquus ubi adſpicitur, mortalibu' quae perhibetur.

Quid hiſtoriae lateat in hoc fragmento, nondum video: ideoque incerto mihi loco poſitum

PAVLLI G. F. P. N. MERVLAE COMMENTARIA IN Q. ENNI POETAE ANTIQUISSIMI FRAGMENTA ANNALIUM LIBRI XVI

QUIPPE XXIX

FEſtus lib. XV. de verb. ſig. docens *Quippe* antiquis ſignificare *Quidni*. Leni mutatione ſcribo *monere*, pro *moveri*. Praeclaret ſenſus *Ennio melius*

HISTOR. CONTINVAT

EOdem anno, imo iiſdem prope diebus, quibus in Aetolia pugnatum contra Ambracienſes ab M. Fulvio Nobiliore, conlega ejus Cn. Manlius Vulſo, bellum moliens contra Gallograeciam, Maeandrum tranſgreſſus, circumducto ad varias gentes milite, Toliſtobogios, Tectoſagos, & Troc- *AB V. C. Eodem*

mos, qui Brenno duce olim in Asiam transierant,
expugnare in animum inducit. Quia vero terribiles
hi erant non omnibus solum regionis incolis, sed
Romanis etiam militibus; suos ante praelium pro
concione adhortatur, ne pugnaturi metu concute-
rentur: Gallos quidem feroces esse natura, procera
illorum corpora, promissas & rutilatas comas, vasta
illis scuta, praelongos gladios, cantus ineuntium
praelium, ululatus, tripudia, horrendos armorum
crepitus, omnia denique de industria ad terrorem
esse composita: sed in amoeniore terra, quae copia
rerum omnium eos saginarat, in uberrimo agro,
mitissimo coelo, clementibus accolarum ingenijs,
adgenitam illis, cum qua venerant, feritatem omni-
no mansuefactam; Gallos, quod vocati quomdam, 1
non esse, degeneres, mistos, & vere, quod appellan-
tur, Gallograecos. Alioqui si eamdem feritatem ser-
varent, si haud dubij in sua terra essent geniti: saepe
tamẽ a Romanis eos fuisse victos & debellatos. Do-
cere enim non Legiones solum eorum, quae ab Ro- 2
manis passim caesae; sed singularios milites (quip-
pe bella vetusta non est satis monere, & in memo-
riam revocare) cum singularijs congressos, T. Man-
lium, M. Valerium & alios, quamtum Gallicam ra-
biem vinceret Romana virtus 25

Bella 31.) Quasi diceret: non modo quum Legiones
Roma-

Romanorum & Gallorum inter se concurrerent; & instructis utrimque aciebus pugnaretur: verum etiam in Monomachijs, & quotiens vir virum ad singulare certamen evocaret; superiores Gallis fuerunt Romani

SAT 31.) V. N. Ianus Duza reponendum putat *fas*

QUO RES XXIX

Festus libro de verbor. signif. xv. qui *Sapsam* interpretatur *ipsam*

HISTOR. CONTINVAT

IAm vero, quae sese ostentat, quae jubet, occasionem esse captandam — AB V. C. Eodem

SE PRIMUS XXX

Festus libro xvi: *Regimen pro regimento usurpant poetae. Ennius libro sextodecimo:*

Primus senex Bradyn in regimen bellique peritus:

Emendo, distracta in duas voce *senex:* — *Ennius castigatus*

. . . . *se*

Primus nec bradus in regimen bellique peritus.

Emendationis rationem reddam, cum in historia narranda, tum in notis

HISTOR. CONTINVAT

SIc animat suos contra Gallograecos Cn. Manlius. Nunciatur interea Tolistobogios Olympum occupasse, Tectosagos Maganam urbem petijsse; Trocmos vero Tolistobogijs auxilium ferre. Consul ad Olympum movet castra, cujus situ pro- — AB V. C. Eodem

be

be explorato, exercitum trifariam divisum ad hostem ducit; L. Manlium fratrem ab hyberno ortu subire jubet; alios alio: Ipse belli peritissimus, neque tardus in regimen, primus se (*hoc vult Ennius*) ingerit; & cum maxima copiarum parte, qua aequissimum aditum praebebat mons, adscendit

Ennio lux

Se primus 1.) Deest vox *Ingerit*, vel quae similis

Bradus 2.) Vulgata lectio *Bradyn*. *Bradys* sive rex ille fuerit, sive alius, nulli, quos ego quidem legi, auctorum, qui bellum contra Gallograecos describunt (quod fecit necessario poeta noster hoc libro) nominatur. *Bradus* igitur scripsi, quae vox petita ab Graecis, quorum lingua Ennio Semigraeco fuit familiaris. βραδὺς, Tardus, Segnis; cui contrarium ὠκὺς, Citus, Velox. Homerus Οδυσσ. θ.

& medicina

Bradus

Οὐκ ἀρετᾷ κακὰ ἔργα, κιχάνει τοὶ βραδὺς ὠκὺν.

Gloss. Βραδὺς, *Serus*, *Tardus*. Βραδύτης, *Mora, Remora, Seritas, Tarditas*. *Bradus* autem more Enniano. Ennius Y Graecum in V Latinum solet mutare, quod alibi dixi. Graeci etiam βαρδὺς enunciabant; quod tamen, ut rarum & inusitatum, Lexicographis abijt innotatum. Illud moneo, ne quis putet Latinis *Bardum* esse per metathesin litterarum a βραδὺς; sed nulla mutatione a Βαρδὺς. Paullus quidem ex Festi libro secundo: *Bardus*, inquit, *stultus a tarditate ingenij appellatur. Caecilius:*

Bardus

Nimi' audacem, nimisque bardum, barbarum.

Trahitur autem a Graeco, quod illi βραδὺς *dicunt:* Sed in Codice Veneto, qui mihi a patre, impressus cıↄ ccccxcvi. exaratum est: *quod illi* βαρδιςος *dicunt*. Quae eadem scriptura in Codice Basiliensi. Nonius item non fallit cap. 1. §. 32.

Paullo ad Festum correctius

Nam

Nam ubi Vulgati : *Bardum est vi praepostera & ingenio tardum. Nam Graeci* Βραδεῖς *Tardos dicebāt. Homerus Iliados* XXIII. Βάρδιστοι μὲν γὰρ οἱ ἔσαν καλλίτριχες ἵπποι. ἥκιστος δ' ἦν αὐτὸς ἐλαυνέμεν ἅρμ' ἐν ἀγῶνι. Codex Venetus multo melius: *Bardum vi propria & ingenio tardum. Nam Graeci Bardos Tardos dicebant. Homerus Iliados* XXIII: Ψαλλατοι ιπποι βαρδιστοι θειειν αντι τȣ βαρδυτατοι. Legendum: *Nam Graeci* βαρδεῖς *Tardos dicebant. Homerus Iliados* ⸸ *& Nonio*

. . . . . . ἀλλάτοι ἵπποι *& apud Nonium Homero*

Βάρδιστοι θείειν . . . . .

ἀντὶ τȣ̃ βαρδύτατοι. Θείειν βάρδιστοι apud Iuvenalem Satyra VIII. *Segnipedes:*

. . . tritoque trahunt epiredia collo
Segnipedes, dignique molam versare Nepotis

REGIMEN 2.) Gloss. *Regimen,* οἰάκισμα. Ἰθυντήριον

INGENIO XXX

Priscianus libro x. ancipiti scribens habuisse veteres intervallo mediam in *Tutudi*. Adjiciam quae de hoc fragmento scribit ad me V.N. Ianus Duza: *Dubitari posse video,* inquit, *de Titulo, & utrum ex Annalibus sit, nec ne : eo magis, quod post hoc exemplum adductum subjiciat Priscianus:* Idem in Annalibus : *quasi duo priora exempla ab alio aliquo opere fuerint.* Scripsimus autem *dextrum* pro *dextra* *De loco Enniano magni viri judicium* *Ennio melius*

HISTOR. CONTINVAT

GAlli duobus lateribus satis fidentes, quatuor fere milia armatorum ad tumulum, viae imminentem mille passuum a castris, occupandum mittunt; eo se rati, velut castello, iter impedituros. Romani expediunt se ad pugnam. Missilibus ex in- AB V.C. *Eodem*

tervallo loci praelium committitur, primo par; loco Gallos adjuvante, Romanos varietate & copia telorum: procedente certamine, nihil jam aequi erat; ſcuta longa, ſed parum lata, & ea ipſa plana, male tegebant Gallos, nec jam tela habebant alia, praeter gladios; ab Romanis configuntur ſagittis, glande, jaculis; & cominus venientes haſtis & gladijs a Velitibus trucidantur, eorumque latera pertunduntur;

CONCIDIT XXX

Exſtat apud Macrobium lib. VI. Saturn. cap. I

HISTOR. CONTINVAT

AB V. C. Eodem

COncidunt ubique, armis cum ignominia ſonitum edĕtibus, vulnere tetro deformati, ſuo ſibi lauti ſanguine; *ut cum antiquo loquar Tragico*

TAMEN XXX

Apud eumdem legitur eodem libro, committentem cum hoc Enniano VirgilI illud:

. . . *apicem tamen incita ſummum*
Haſta tulit . . . .

Ennius emendatus

Pro *inde volans*, quae in Vulgatis; repono apud Ennium, *endovolans. Haſta endovolans* Ennio, quae Virgilio *incita haſta*. Pro *ſecum* Enniano, corrigo *ſummum: Summum inſigne* EnnI; *Summus Apex* VirgilI. Locus eſt libro XII. Aeneidos

Iterum

HISTOR. CONTINVAT

AB V. C. Eodem

GAlli, ſuperati ab levi armatura, effuſa fuga caſtra repetunt; &, Romanorum exercitu inſequenti,

quente, pro vallo aciem inſtruunt: intra quod obruti omni genere telorũ momento temporis compelluntur. Tandem, irrumpente per patentes portas victore, in fugam conjecti Galli, ruunt caeci per vias, per invia; nulla praecipitia, nulla ſaxa obſtant. Sic victi

INSIGNE 9) Teſtatur Polybius lib. VI. Milites apud Romanos ſimplici uſos galea, cui lupi pellem, vel ſimile quid imponebant: quod tegumentum & inſigne eſſet, ut in praelio ignaviter aut ſtrenue ſe gerentes facilius adgnoſcerentur. Tale Inſigne ab involante haſta abreptum fuiſſe alicui vel ex Romanis vel ex Gallis; canit hic Ennius Plutarchus etiam in Mario notat Cimbrorum Equitum galeas plumis & horrendis hiantium animalium formis fuiſſe inſignes *Ennio lux*

VIM TUA XXX

Calpurnius libro I: *Vehementiſſime apud Ennium tonat Clodius Pulcer in M. Aebutium Trib. plebis, quum prohiberet triumphum, quem ob res in Graecia praeclare geſtas, decreverat magno conſenſu Senatus, accuſans etiam Manilium. Inter alia:*

Vim tua noluntas facit imperioſa vetando,
Quem Conſul meruit, quum res bene geſta, triumphũ

Ex affectu haec Ennius ſcripſit in gratiam ſui FulvI, non ex veritate. Lego: *Veh. ap. Enn. tonat Clod. Pulc. in M. Aburium* (Videndus omnino Livius libro XXXIX. *Abutiorum* tamen, *Aburniorum* & *Ebutiorum* Familiae etiam Romae fuerunt) *quum prob. triumphum*, &c. *accuſans etiam M. Aimilium*. Deſignat enim Aimilium, qui Legatos Ambracienſes contra Fulvium ſubornarat; quem item M. Aburius dicit proficiſcentem in provinciam ſibi mandaſſe, ut diſceptatio, an *Calpurnio Piſoni medicina*

triumphus Fulvio eſſet decernendus nec ne, integra in adventum ſuum ſervaretur

HISTOR. CONTINVAT

AB V. C. *Eodem* M. Fulvius, Aetolis perdomitis, trajicit in Cephaleniam: ibi, omnibus opidis in deditionem acceptis, Samaeos, imperata non facientes, obſeſſos, & poſt quartum menſem captos, direpta illorum urbe, ſub corona vendit. Et, compoſitis Cephaleniae rebus, in Peloponneſum tranſgreſſus, turbas inter Achaeos & Lacedaemonios componit.
IↃ LXV Anno IↃ LXV. Coss. M. Valerio Meſſalla & C. Livio Salinatore, Cn. Manlius Proconſul foedus, ex S.C. & decem Legatorum ſententia, Antiocho, qui jam ultra Taurum erat emotus, ſcribit: &, conſtitutis rebus omnibus, cum x. Legatis & omni exercitu ad Helleſpontum profectus, evocatis eo Gallorum regulis Leges, quibus pacem cum Eumene ſervarent, dicit: inde in Europam cum omnibus copijs trajicit; &, itinere per Thraciam non ſine periculo, Macedoniam, Theſſaliã, & Epirum facto, venit Apolloniam; ibique hibernat.
IↃ LXVI Sequenti anno ab C. Flaminio Cos. Ligures, Friniates & Apuani in deditionem accepti. M. Aimilius Lepidus Legatos Ambracienſes ad invidiam M. Fulvio abſenti faciendam ſubornat. Defenſus ab altero cos. C. Flaminio, & poſtea Romam reverſus, triumphum ob res bene con-

tra

tra Aetolos, Ambraciam, & Cephalleniam gestas, postulatum, contra M Aburl Trib. plebis intercessionem, impetrat (*eo pertinet Ennius*)

NOLUNTAS 12.) Haec vox calamo ita erat expressa, ut discrimen inter *n* & *u* videre nequierim. Scripsit certe Ennius *Noluntas*; quam dictionem, cruciam forte multis, observatam tamen aliquotiens in Gallorum Glossarijs, postliminio revocatam reip. litterariae primus restituo; & publici usus, Musis bene volentibus, facio. Eamdem monstravit mihi in suo quodam Glossario Arabico-latino V. CL. Franciscus Raphelengius, Professor in Lugdunensi Lycaeo Hebraicae linguae dignissimus. Usus ea videtur Augustinus de Civitate Dei lib. XIV. cap. VI, ubi praecipue: *Itaque quum dissentimus ab eo, quod accidere nolumus; talis noluntas metus est: quum autem dissentimus ab eo, quod nolentibus accidit; talis noluntas Tristitia.* De ijs quae praecedunt ibi, nihil adfirmo. Non video autem, quur usus acceptarit τὸ *Voluntas*; τὸ *Noluntas* vero repudiarit; quũ tam *Nolo*, quam *Volo* eidem placuerint. Rarius scilicet occurrit ea vox in Auctorum monimentis, quae eruditiorum manibus teruntur. An interea carendum erit, quo maxime indigemus? Alioqui testor Eruditos, in primis illum, qui in secretissima cum aliarum tum hujus linguae adyta penetravit, hoc vocis nusquam non occurrere. Bonis igitur auspicijs, & non renitente usu, renascatur. Ausus ego usurpare ante omnes in Carmine, quod scripsi V. CL. Bonaventurae Vulcanio, Agathiam edenti: ubi scriptorem illum inter alia sic loquentem facio:

Noluntas (margin note)

Augustino emendatius (margin note)

At serio, sero licet, Vulcanius,
Misertus infortunii nuper mei,

Molta incalatus, audijt miserum, prece,
Specus, quibus claudebar, altos pertudit;
Me duxit endo primus oras luminis;
Et fecit, ut me totus orbis perlegat:
Sive hoc voluntas, sive noluntas fuat,
Quorum efferata mente dirae mi dies,
Plenae aegritudinumque saepe luxerunt.

Potuissem, si displicuisset haec vox, alia excogitata:

Involuntas & similia

Fuat voluntas involuntas omnium:

sequutus Lucretium, cui *Intactus* placuit; Sallustium, cui 1
Incultus; Plautum, cui *Inlatebrae*; Atticum, cui *Indelictum*; Caecilium, cui *Indulcitas*; Tertullianũ, cui *Inbonitas* & *Inodor*; Plinium, cui *Inquies*: contraria *Tactui, Cultui, Latebris, Delicto, Dulcedini, Bonitati, Odori* & *Quieti*. Sic *Incomes* apud Festum *sine comite* 1

VIM FACIT 12.) Gloss. Bened. *Vim facit*, βίαν ποιεῖ, καὶ βιάζεται

Veto vox Tribunitia

VETANDO 12.) Intercessio Tribunorum pleb. peragi solita uno & soleñi verbo *Veto*. Vide Livium lib. VI. & Suetonium in TiberI Imperat. vita cap. II. Eo pertinere vi- 2
dẽtur PlinI illa in Panegyrico, qui Trajano Optimo Principi dictus: *Intercessurus etiam publicis, si permitteret sibi vetari, quod senatus juberet*

TRIUMPUM 12.) Sic scribere solitum poetam nostrum colligo ex Cicerone; cujus, ejus probandi, verba 2
saepe a me laudata. Ne hoc praetereã, *Clodius Polcer*, quem nominat Calpurnius, videtur is esse, quem cos. faciunt Fasti Capitolini. In ijs enim anno ɪↄ ʟxᴠɪɪɪ. biennio post trium-

triumphum FulvI, coss. eduntur Ap. Claudius Ap. F. P. N. Pulcher, M. Sempronius M. F. C. N. Tuditanus. Erat igitur hic Claudius eo tempore inter Patres. Claudiae genti adnatum autem adverſari & opponere ſe malis Tribunorum artibus

MONTIBUS XXX

Sex. Pompeius Feſtus lib. XIII: *Obſtitum, obliquum. Ennius libro XVIII:*

Montibus obſtipis obſtantibus, inde oritur nox

In alijs ſyncerior numerus XVI, quem ego ſequutus. Reponendam autem Feſto vocem *Obſtipum*, & legendum apud Ennium,

Montibus obſtipeis obſtantibus, unde oritur nox,

monui ad librum VII. folio ccccxxxII. 12. Vide tamē quaedam notatu digna de *Obſtito* apud V. N. Ioſephum Scaligerum in Aetnam & Petr. Colvium ad Apuleium de Deo Socratis

HISTOR. CONTINVAT

EOdem anno Cn. Manlius Vulſo, devictis Aſia- AB V. C. *Eodem*
ticis Gallis, triumphat; contradicentibus x. Legatis, ex quorum conſilio foedus cum Antiocho ſcripſerat, quod injuſſu Senatus bellum geſſiſſet. Hinc Coss. Sp. Poſtumio Albino & Q. Marcio Phi- IↃLXVIII
lippo, decernitur quaeſtio de clandeſtinis conjurationibus, quae in Sacris Bacchanalibus fiebant, detectis indicio P. AebutI & Hiſpalae foeminae. Sacrum illud multorum poena ſublatum Romae & per totam Italiam. Perfectis quaeſtionibus, prior

Q. Mar-

Q. Marcius in Ligures Apuanos profectus, in praeoccupatis montium angustijs circumventus, quatuor millia militum amittit

REGES XXX.

Macrobius lib. Satur. VI. cap. 1. Sic Virgil.

. . . . . *summa nituntur opum vi.*

Vox autem *quaerunt,* mihi suspecta

HISTOR. CONTINVAT.

AB V.C. IↃ LXVIII ANno IↃ LXVIII. multorum querelae de Philippo Macedonum rege ad Senatum deferuntur. Philippus per Legatos se apud S.P.Q.R. purgat (*Videntur haec Enniana Legatorum inter alia verba*) Romani Legatos ad componendas Sociorum cum Philippo controversias mittit. Duo exercitus in Hispania Praetoribus C. Calpurnio, & L. Quinctio, haud procul Hippone & Toleto urbibus, in fugam versi, refectis viribus Hispanos rursum adorti vincunt & castra diripiunt. Nec minus infeliciter ab Coss. Ap. Claudio Pulcro & M. Sempronio Tuditano in Liguria pugnatum: IↃ LXIX ubi sequēti anno ab Coss. quibus Ligures erant decreti, nihil memorabile gestum. IↃ LXX Anno IↃ LXX. M. Claudius Marcellus & Q. Fabius Labeo sortiti sunt, quum nusquam bellum esset, Ligures. Illi praeterea adversus Gallos Transalpinos, qui in Italiam transgressi opidū in agro Aquileiensi

leienſi aedificabant, proficiſcitur; quibus ex provincia juſſis excedere, Iſtrico bello molitur fundamenta. Sequenti Ligures ſine praelio in deditionem ac- IↃLXXI cepti. Fulvius Flaccus Pr. Celtiberorum opidum Vrbicuam oppugnatum capit, captum diripit; praeda militibus conceſſa

HOS PESTIS XXX

Priſcianus lib. IX: *Proprie*, inquit, *necatus ferro, nectus vero alia vi peremtus dicitur. Ennius:*

Hos peſtis necuit, pars occidit illa duellis

HISTOR. CONTINVAT

ANNO IↃLXXII. Coss. P. Cornelio Cethego, & M. Baebio Tamphilo, peſtilentiae tanta vis erat, ut quum propter defectionem Corſorum, bellumque ab Iolenſibus concitatum in Sardinia, octo millia peditum ex ſocijs Latini nominis ſcribi placuiſſet, & trecentos equites, quos M. Pinarius Praetor ſecum in Sardiniã trajiceret; tantum hominum demortuum eſſe, tantum ubique aegrorum, Conſules renunciaverint; ut is numerus effici militum non potuerit, &c. *Sic enim turbata Livi verba lib.* XL. *facili diſtinctione & una extrita littera, juvanda. Eam peſtem ſaeviſſe per totam Italiam non unum annum teſtatur in ſequentibus Livius. Videntur haec verba vel Poetae, vel Romanorum, vel denique Sociorum, qui novum militum dilectum detrectabant, querelae eſſe; mul-*

AB V. C. IↃLXXII

Livio ab diſtinctione melius

tos ſuperioribus bellis necatos, nectos vero peſte infinitos. Potuiſſent & referri ad annum CCCCLXXVII. *quo, Coss. Q. Fabio Gurgite & C. Genucio Clepſina, teſte Oroſio, peſtilentia gravis urbem & ejus fines invaſit, & ſumma vi in homines pecudeſque ſaeviit, ſcribente Auguſtino lib.* III. *de Civit. Dei. Item ad annum* CCCXCIIX. *quo, Coss. L. Genucio Aventinenſi & Q. Servilio Ahala, immanem peſtilentiam ſcribunt ortam. Fuit & annus* CCCCLVIII. *peſtilentia gravis, prodigiiſque ſolicitus. Fuerunt & alii*

Ennio neſcio an melius

DUELLI 21.) Sic ſcribendum putavi; ejuſdem ſententiae eſt V. N. Ianus Duza ad me ſcribens, qui in Lectionibus Plautinis ſimilem errorem notavit ad Plauti Truculentũ. Magno Scaligero & Caſtricomio meo placet *duello.* In vulgatis erat *duellis.* Quidquid admittatur, ſua ſententiae ſtat integritas. Non hic verſatur populi ſalus

QUOS UBI XXX

Feſtus lib. XVII. ubi notat Veteres *Spicit* dixiſſe ſine praepoſitione. Ennium ibi lego, tribus mutatis litteris:

Ennius emendatus

Quos ubi Rex paullo ſpexit de collibu' celſeis.

Alia ab his meo judicio, quae citat M. Terentius Varro lib. V. de LL: *Spectare dictum a Specio antiquo, quo etiam Ennius uſus:*

Vos epulo poſtquam ſpexit:

Nihil tamen temere adfirmo. Adfectioribus certe parata medicina apud Feſtum. *Regem* intellego *Philippum*; *colles celſos* exaudio de *Aemo monte.* Nam

HISTOR.

HISTOR. CONTINVAT

EOdem anno adſcendit in Aemi verticem Philippus, credens vulgatae opinioni, Ponticum ſimul & Adriaticum mare & Iſtrum amnem & Alpes conſpici poſſe; ſubjecta oculis ea haud parvi ſibi momenti futura ad cogitationem redintegrandi contra Romanos belli. *Vide Livium lib.* XL. *Alij verſum hunc legunt:*

AB V. C. Eodem

Quos ubi Rex . . *dulo ſpexit de contibu' celſeis.*

Ennius varie caſtigatus

Alij:

Quod ubi rex paullo ſpexit de coribu' celſeis.

Magnus vir emendat:

Quos ubi rex pullos ſpexit de cortibus celſeis.

Jacobus Schegkius in Praemeſſis, Epiſtula III:

Vos Epulo poſtquam ſpexit de cotibus celſos.

Vel ad Feſti ſcripturam:

Quos ubi rex Epulo ſpexit de cotibus celſos.

Emendationis hic ſuae rationem ſubſcribit eruditam

TUM TIMIDO XXX

Macrobius lib.VI.cap.I. quod ſequutus Poeta:

Tum gelidus toto manabat corpore ſudor.

Enniũ Virgilius exprimit

Manat pro *manavit* poſitum: quod quum alij non viderent, turbati poſterioris in *Manat* productione, maluerunt Ennium ſcripſiſſe:

Tum timido ex omni manat mihi corpore ſudor.

Timidum V. N. Ianus Duza ſuis ad me litteris interpretatur *frigidum. Timida* (addit) *pro frigida eſt & apud Plautum: credo, quod, qui timent, tremunt*

Timidus

HISTOR. CONTINVAT

AB V. C. *Eodem*

EOdem tempore contentio orta eſt inter liberos Philippi Perſeum & Demetrium. Hunc ille, criminibus Parricidij, Adfectati regni, alijs confictis, apud Patrem accuſat. Credulus nimium Philippus Didae dat mandatum de occidendo filio. Dida Demetrio ad Sacrificium, ſeu inſtitutum, ſeu ſimulatum, invitato porrigit in coena venenum: id Demetrius, epoto poculo, extemplo ſentit: mox coortis doloribus, relicto convivio, in cubiculum ſe recipit. Torquetur ibi, & toto corpore manat ſudor

INTEREA

Macrobius lib. VI. cap. IV: *Et quod dixit* Virgilius:

. . . . . . *nec lucidus aethra*
Syderea polus . . . . . .

Ennius prior dixerat in XVI:

. . . . *interea fax*
Occidit, Oceanumque rubra tracti obruit aethra:

Ennio rectius

Lego *tractim*, quod exponitur in Gloſſar. *jugiter, cõtinuatim*

HISTOR. CONTINVAT

AB V. C. *Eodem*

PAullo poſt intromiſſi Thyrſis quidam, Stubereus, & Berreus Alexander, injectis in caput fauceſque tapetibus, ſpiritum intercludunt

NOX QUANDO XXX

Feſtus lib. XV. ubi de voce *Quando*. Vide huc Hieronymum Columnam, qui quid *praecincta nox* docte docet

HISTOR.

HISTOR. CONTINVAT

ITa intempeſta nocte innoxius adoleſcens, quum in eo ne ſimplici quidem genere mortis contẽti inimici fuiſſent, interficitur AB V. C. *Eodem*

SPERO XXX

Feſtus lib. xvII. de verb. ſignif. ubi *Speres* pluraliter antiquos dixiſſe notat

HISTOR. CONTINVAT

EOdem anno L. Aimilius Paullus Proc. ab Liguribus Ingaunis cum exercitu, induciarum tempore, contra jus gentium obſeſſus, per litteras ſubſidia rogat ab Conſule M. Baebio. Tardius illa, imo non parantur. Spe interim ſuos confirmat; &, ne animis cadant, quamtum in ſe eſt, hortatur AB V. C. *Eodem*

POTESSINT 32.) Alij legendum cenſent unica voce *Potiſſunt:* ſed Latinos veteres ita loquutos, nemo facile mihi perſuadebit. *Potiſſum* quidem dicebatur, non tamen *potiſſumus* vel *potiſſunt*; ſed *poteſſumus* & *poteſſunt*, ſervata in priore compoſitae vocis parte analogia numeri, quaſi *ſum potis, ſumus* & *ſunt potes.* Quamquam autem non dubitem, quin omnia a *Potiſſum* dirivata, non minus in uſu fuerint, quam quae a *Poſſum* naſcuntur: haec tamen *Poteſſunt, Potiſſit, Poteſſint* & *Poteſſe* antiquis reperio potiſſimum uſurpata. *Poteſſunt,* ſunt potes: Ennius hoc loco; & Plautus in Poenulo: Potiſſum Poteſſunt.

Apageſis negoci in muliere quamtum una eſt, ſi vero duae,
Sat ſcio, maxumo uni popolo, quoi lubet, plus ſatis dare
Poteſſunt . . . .

Potissit *Potissit*, sit potis. Catullus:

Quur non divitijs Croesum superare potissit.

Lucilius Satyr. lib. 1. apud Charisium, in *Amplius:*

Quo pacto popolum atque urbem servare potissit
Amplius Romanam . . . . .

Idem libro XXX. apud Nonium cap. VIII. §. 12:

Quid dare, quid sumti facere ac praebere potisset.

Lucilio correctius In Veteri Codice *potius esset*. Emendand. *potissit*. Idem lib. V. apud Nonium cap. V. §. 98:

Nam si quod satis est homini, id satis esse potesset:
Hoc sat erat nunc quom hoc nō est, qui credimus porro
Divitias ullas animum mi explere potesse?

Iterum Quamquam *potesset* videri possit positum, quasi *pote esset*: scriptum tamen arbitror a Lucilio. *Potissit*, quasi *sit potis*.

Potis communi genere *Potis* enim communi genere Veteribus enunciatum. Lucretius lib. V:

Nec potis est cerni, quod cassum lumine fertur.

Et lib. 1:

Conjunctum est id, quod numquam sine perniciali
Discidio potis est sejungi, seque gregari:

ut & Pote quemadmodum etiam *Pote*. Catullus:

Quamtum qui pote plurimum perire.

Propertius:

Qua pote quisque in ea conterat arte diem.

Potessint *Potessint*, sint potes. Lucilius lib. 1. apud Noniũ cap. IX. §. 4:

Munus tamen fungi & muros servare potuissent:

Repo-

Lucilius emendatus

Potesse

Possum

Repono, ſubfragante pervetuſto Codice, *poteſint*. Iam vero *Poteſſe* pro *Pote eſſe* vel *Potes eſſe* mille locis occurrit apud Plautum, Lucilium, Lucretium, Terentium & alios. A *Potis* igitur & *ſum*, *Potiſſum*; hinc *Poſſum* contractum. *Pos* enim in *Poſſum*, quod unius, *potis* eſt: in *Poſumus* vero, quod plurium, *potes*; & ſic deinceps. Sed relinquendae nuces pueris

NON IN SPERANDO XXX

Feſtus lib. XIV: *Prodit, memoriae porro dat; & fallit; item ex interiore loco procedit; item perdit, ut Ennius:*

Non in ſperando cupidi rem prodere ſummam

Videtur pertinere, quo praecedens: nihil tamen, ut nec de multis, pertinacius adfirmo

CUPIDEI 34.) In alijs libris *cupide*

PRODERE 34.) Sic Martialis, quod mihi indicavit V. N. Ianus Duza:

. . . *& a te prodita cauſſa eſt*

INSIDIANTES XXX

Iunius Philargyrius ad IIII. Georgic. Virgili: *Ore fave: cum religione*, inquit, *ac ſilentio accede. in* XVI. *Ennius:*

Hic inſidiantes vigilant, partim requieſcunt
Tecti gladijs ſub ſcutis ore faventes

Ennio caſtigatius

ut verſui priori melius eſſet, primas voces tranſpoſui; ut poſteriori, pro prima voce *Contecti* ſcripſi; cujus prima ſyllaba in praecedētis vocis ultima perierat ob ſimilitudinem

HISTOR. CONTINVAT

AB V. C. Eodem

AImilius nihil uſquam auxilij videns, interceptas credens litteras, fortunam tentandam ratus, ad quatuor portas exercitum inſtruit; ut, ſigno dato,

dato, ſimul ex omnibus partibus irruptionem facerent: quidam in ſubſidijs locati, conтecti ſub ſcutis, taciti & ore faventes

PARTIM 36.) Pars. Agellius lib.x.cap.XIII

SUB SCUTEIS 37.) Lucem his pete ab ijs, quae ſcribit Godeſcalcus Stevvechius ad Veget. de re milit. lib. II. cap.XVI

ORE FAUENTES 37.) Adludit ad formulam illam, qua in rebus divinis, quae publice fiebant, ut ore & linguis faverent, imperabatur: videndus Barnab. Briſſonius lib.I. de formul. Antiq. Rom

QUI CLAMOS XXXI

Feſtus libro ultimo, ubi *Vagorem* poſitum notat pro *Vagitu*

HISTOR. CONTINVAT

AB V. C. *Eodem*

BIna quum caſtra Ligurum eſſent, exſatiati cibo vinoque adſperſi, & inordinati inde exeunt. Ita impetiti ab Conſule, clamore pariter omnium, qui in caſtris erant, Calonum quoque & Lixarum ſublato, in caſtra trepida fuga cōpelluntur: quibus paullo poſt exuti, obſidibus datis, in deditionem veniūt

VAGORE 2.) In alijs libris eſt *Vigore*, inemendate: Nonius etiam de hac voce cap.II: *Vagor*, inquit, *dictum pro Vagitus. Lucretius lib.II:*

Et ſuperantur item, miſcetur funere vagor.

In Veteri Codice lego: *Lucilius lib.II:*

Et ſuperant urnae, miſcetur funere vagor.

Nonnihil

Nonnihil latet. Ab *Vagore* autem *Vagulatio* apud Feſtum, monente Duza

NAVORUM XXXI

Feſtus lib. de verb. ſignif. XII. *Navum celerem ac ſtrenuum* interpretans & *a navium velocitate* dirivans

HISTOR. CONTINVAT

ANno ſequenti Ligures improviſo oppreſſi a P. Cornelio & M. Baebio coss. ad duodecim millia dediti, ex montibus in agros campeſtres procul ab domo ſunt deducti. Celtiberi Romanum exercitum in ſaltu Manliano invadunt. Exortos tumultus Flaccus magna dexteritate ſedat: arma jubet expedire; copias ſine ulla trepidatione inſtructas ad pugnam hortatur. Ingerunt ſe hoſtes; concurrunt acies; atrox ubique, varia fortuna, praelium. Celtiberi cuneo impreſſionem facientes, turbant Legiones. Flaccus equo advectus ad Legionarios equites, ecquid auxilij in illis eſſet, rogat. Adclamāt undique; ederet, quid fieri vellet, non ſegniter imperium ſe exſequuturos *(quod canit hic Ennius)* Iubet ille, duplicarent turmas duarum Legionum, & equos permitterent in cuneum hoſtium. Dicto parent: bis ultro citroque tranſcurrentes, cuneum diſſipant; hoſteſque partim caedunt, partim in fugam conjiciunt

AB V. C. IↃLXXIII

ENDOPERANTUM 4.) In Vulgatis Feſti exemplaribus *Inſuperantum*, pro *Induperantum*

Ennio rectius

Aistatem xxxi

Exstat apud Priscianum lib.v

HISTOR. CONTINVAT

ab V.C. IↃLXXIV — Anno IↃLXXIV. in Hispania L. Postumius Albinus Propr. in Vacceos per Lusitaniam proficiscitur. Ti. Sempronius Gracchus, itidem Propr. in ultima Celtiberiae penetrat. Munda vi capta, & Celtiberis fusis caesisque; CIII. oppida in deditionem accepta. Hiems eo anno acris, nive saeva & omni tempestatum genere fuit: arbores, quae obnoxiae frigoribus, deussit cunctas (*Livius libro* XL)

Ennio plenius — Post acer hiems 6.) V.CL. Hieronymus Columna supplet:

. . . . . *post acrem Hiemem Ver*

Virosque xxxi

Priscianus lib.x. docens penultimam in *Contudit* ab Ennio productam. Ne fragmentum hoc certa sede careret, huc audacius adscripsi

HISTOR. CONTINVAT

ab V.C. *Eodem* — Ea Hiems tum aliquanto, quam alias, longior fuit: itaque Latinas mox subito coorta & intolerabilis tempestas in monte turbavit; instauratae que sunt ex decreto Pontificum. Eadem tempestas & in Capitolio aliquot signa constravit; fulminibusque complura loca deformavit, &c. (*inquit Livius lib.* XL)

IↃLXXV — Anno sequenti Ti. Sempronius Gracchus

chus Propraetor (*sic enim legendum in Epitoma Liviana* XLI.) Celtiberos victos in deditionem accipit. A. Postumio Albino Proconsuli Vaccei ac Lusitani subiguntur

VIROSQUE VALENTEIS 9.) Alij legunt *Vireisque calenteis.* non male

POSTREMAI XXXI

Agellius lib.IX.Noct.Attic. cap.XIIII: *Ab eo quod est hic dies, inquit, tam hujus dii; & ab eo quod est haec fames, tam hujus famii dixerunt. Q.Ennius in* XVI. *Annali dies scripsit pro diei, in hoc versu:*

Postremae longinqua dies confecerit aetas

Penultimam vocem in duas distractam feci *quom fecerit.* Certam sedem huic fragmento, ut & sequenti, reperire nondum potui *Ennio emendatus*

HEBEM XXXI

Sosipater Charisius Instit. Grammat. lib.I: *Hebem. Caecilius in* ὑποβολιμαίῳ,

. . . *subito recte reddent Hebem;*

Ennius XVI. *ubi Fl. Caper: non ut adjunctive, sed appellative est loquutus*

PAVLLI G. F. P. N. MERVLAE COMMENTARIA IN

Q. ENNI

POETAE ANTIQVISSIMI FRAGMENTA ANNALIUM LIBRI XVII

GRUMAREI XXXI

NOnius Marcellus cap. I. §.316: *Grumae sunt loca media, in quae directae quatuor congregantur & conveniunt viae. Est autem gruma mensura quaedam, qua flexae viae ad lineam diriguntur, ut est agrimensorum & talium. Ennius lib.XVIII. Grumam dirigere dixit degrumari ferrum. Lucilius lib.III:*

. . . . . . viamque
Vis degrumari, ut castris mensor facit olim

In Antiquo Codice ubique *Grumma* duplici *m* scribitur, male; pro *flexae* autem exaratum est *fixae*. In alio veteri Exemplari *XVII*. Annalium laudatur, verius. Integrior mihi scriptura: *Grumae sunt loca media, in quae directae quatuor congregantur & conveniunt viae. Est item Gruma mensura quaedam; qua fixa, viae ad lineam diriguntur; ut est Agrimensorum & talium. Ennius lib.XVII*, Grumari *dirigere dixit:* Degrumari *vero Lucilius lib.III:*

Nonius correctus

Ennius sanatus

. . . . . . viamque
Degrumaris, ut in castreis mensor facit olim.

Lucilio antiqua scriptura reposita

Τὸ Graecorum Γνῶμα vel Γνώμων peperit Latinis *Gromam*, mutata ν in r; quemadmodum a Κνισᾶν natum *Crissare*; a Μονά, *Mora*; a Κνέφας, *Crepus*; a Κνίσος, *Crispus*; a φονία *Furia*, & similia; docente magno Galliarum Mithradate ad Catalecta. Festus lib. VII: *Groma appellatur genus machinulae* (ambigo,

bigo, utrum hic ex Nonio ſit ſcribendum *menſurae*; an vero hinc apud Nonium *machinula quaedam*: neutrum temere rejiciendum; pro Feſto ſtare poteſt Plinius lib. natur. hiſt. XVIII. cap. XXXIV. ubi hujuſmodi machina depingitur: Nonium tuetur Gloſſarium, in quo: *Grumat* μετρεῖ, ἐξισοῖ) *cujuſdam, qua regiones agri cujuſque cognoſci poſſunt*; *quod genus Graeci dicunt* Γνώμονα. A *Groma* autem verſo *o* in *u* factum *Gruma*. Gloſſar. *Gruma*, γνώμων; &, *Gruma*, βασιλικὴ γνώμη: inde *Grumi* apud Soſipatrum lib. I. οἱ τῶν ὅρων λίθοι: & in Gloſſario Graeco-Latino. ὅρων λίθοι, *Grumi*: quae vox corrupta legitur in eodem Gloſſario Latino Graeco: *Grimini* οἱ διορίζοντες τοὺς ὅρυς λίθοι; legendum enim *Grumi*. Hinc igitur *Grumari* Ennianum, quod apud Nonium exponitur *Dirigere*, ſuſpecta mihi voce. Auſim adfirmare ſcriptum ab Nonio *Diruere*, & ea notione uſurpatum *Grumari* illud ab Ennio: ad quem reſpicit mea mente Gloſſarium illud, magiſtellulorum manibus non terendum, *Grumari*, καταςρέψαι, Δορωται. Poſtrema hic vox & vitioſa & alieni loci. Scribenda enim Διόπτρα, & adlocanda ſequenti ordini, hoc modo: *Gruma*, Διόπτρα, βασιλικὴ γνώμη. Recte, monente Gloſſographo, Ennio *Grumari*, καταςρέψαι, id eſt, ut idem interpretatur, *Diruere*, *Evertere*, *Demoliri*, & in Grumos quaſi redigere. *Grumi* enim inter alia τύμβοι, in Gloſſario: & *Grumus*, inquit Paullus ex Feſto, *terrae collectio, minor tumulo*; pro quo *Grumus* etiam Caeſari, Vitruvio & rei ruſticae ſcriptoribus notus

Dubitatū de recta apud Nonium & Feſtum ſcriptura

Gloſſario medicina

Nonius veriſsime emēdatus

Gloſſarium vere correctum

HISTOR. CONTINVAT

ANno ꟾↃ LXXVI. (*in quo deſijt, & Annales ſuos finivit Ennius*) Ti. Sempronio Graccho Cos. Sardinia, eo tempore provincia Conſularis, ſortitione facta, obvenit; ibique, re proſpere geſta, ne ſemper rebellandi & defectionis haberent occaſionem

AB V.C. ꟾↃ LXXVI

 Inſu-

Insulani, loca aliquot munitiora demolitur, diruit & in grumos quasi redigit *(hoc notat Ennius, si nostra emendatio certa, & indubitati juris; ut scilicet* Grumari *poetae sit* diruere, *quod videtur velle Nonius, &* καταςρέψαι, *quemadmodum interpretatur Glossarium)* C. vero Claudius Pulcer ejus conlega Istriam est sortitus. Hic; praemissis in provinciae suae fines, Duumviro navali C.Furio, cum multo commeatu navibus; sequitur cum Legionibus; & quinque fere millia passuum ab mari, castra metatus loca maxime sibi opportuna capit. *(huc referat EnnI fragmentum per me licet; qui, monstrata medicina rejecta, mordicus vulgatam illam retinendā censet. Nam* Grumari *etiam erat, indicante Lucilio,* Mensorum. Mensores *autem Vegetio, qui in Castris ad podismum dimetiuntur loca, in quibus milites tentoria figant*

Concava xxxi

Auctores hic aliquot, quibus hoc EnnI citatur, committam, & alios ex alijs emendatiores sistam. Nonius Marcellus cap.III. §.194: *Specus genere masculino. Varro rerum divinarum libro* IV: *Ibi quum amissam capram desiderarēt, animadvertissentque quemdam specum tenebricosum* (In Veneto libro est *adamissam*, ex eo probarim *adamatam*, quod non eget luce: idem codex habet *desiderarem*; quod germanum, si & *animadvertissem* recipiatur) *Ennius Lutris:*

Varro apud Nonium forsassean correctus

. . . . *Inferum vastos specus.*

Feminino. Ennius Annalium libro XVII:

Concava sub montis late specus intus patebat

(Frute-

(Fruterius,ut mihi ſcripſit V.N.Ianus Duza, legit:

Concava ſub montis latere ſpecus intu' patebat)

Attius Niptris:

Inde advenio montem Oetam ſcrupoſam ſpecum;

(Verius arbitror *Pacuvius*.Ejus enim *Niptra*,nō *AttI*.Gloſſema autem ſapit τὸ *Montem* : quod adſcripſit ille, qui Lectorem putabat ignoraturum Οἴτην Ptolomaeo Macedoniae eſſe montem; juxta Maliacum ſinum; cujus anguſtiae apud Strabonem lib. IX. Θερμοπύλαι, quas tamen pro toto monte accipit Livius lib.XXXVI.) Sic Priſcianus lib.VI: *Specus, quod tam maſculinum quam neutrum invenitur. Horat. Carminum libro III:*

PacuvI nomen apud Nonium repoſitum. Gloſſema ejectum ex Pacuvio

Quo me, Bacche, rapis tui
Plenum? quae in nemora aut quos agor in ſpecus.

Sed hoc Specus melius dici in ſingulari numero, in plurali hi ſpecus, Servio placet. Femininum tamen hoc quoque nomen invenitur. A. Gellius(*Agellius* ubique vetus Codex)*noctium Atticarum VI: Sole medio inquit & arido & flagranti ſpecum quamdam nactus remotam, latebroſamque penetro & recondo. Ennius in XVI. Annalium:*

Tum cava ſub monte late ſpecus intus patebat

Ennio apud Priſcianum rectius & Pacuvio

(reſtituenda haec, una cum numero libri indice, ex Nonio) *Pacuvius in Nuptijs* (legendum *Niptris:* unde, praeter Nonium in *Inſabre, Facies, Betite* & *Pariter*; Agelliū lib.XIII. cap.XXVIII.& Feſtum in *Serilla* & *Subſcudis*, ubi tamē etiam male *Nuptijs*, in quibuſdam libris: non pauca deſcribit M. Tullius Tuſc.Diſp.lib.II.)

Advenio in ſcrupuloſam ſpecum.

(totus mons perijt in poſtrema primae vocis littera & voce ſequente: emendandum:

Adve-

Advenio Oetam ſcrupoſam ſpecum.

Scrupoſus, quo uſus Lucretius; *Scrupuloſus*, quo M. Tullius; & *Scrupeus*, quo Virgilius; Graecis πολυψήφος, λιθακώδης, λιθινος: eorum probo hoc loco *Scrupoſum*, quae antiqua magis & poetis uſitata vox) *Dicebant tamen & hoc Specum & haec Speca*, &c. Eodem fere modo Feſtus lib. XVI: *Specus feminino genere pronunciabant antiqui; ut Metus, & Nepos: tam Hercules, quam maſculino Stirps aut Frons. ut Ennius:*

Tum caſu ſub monte altae ſpecus intus patebant.

Ennio iterũ apud Feſtum (reſtitue & huic:

Concava ſub montis late ſpecus intu' patebant;

poſſet tamẽ & *alte*: alij alio modo. Sequitur apud Feſtum) *Pacuvius in Chryſe*, quem vide apud magnum Virum. Addam Servium ad illud VirgilI Aeneid. VI:

Hic ſpecus horrendum ſaevique ſpiracula Ditis.

(eo vide Iſidorum lib. XIIII. cap. IX.) *Hoc nomen*, inquit Servius de Speco, *apud majores trium generum fuit. Ennius feminino poſuit:*

Sub monte ſpecus altae

vocem *concava*, quae generis index apud alios, non adſcripſit Servius, qui videtur eam ponere in *altae*: ut fortean Epitheton duplex, Ennio haud inſolẽter, in hoc verſu fuerit, tali modo; ut quid ſentiam, ſemel dicam:

& apud Servium atque adeo omnes

Concava ſub monteis alta ſpecus intu' patebat.

non pugnabo, ſi cui placet magis *lata ſpecus*

HISTOR. CONTINVAT

AB V. C. Eodem

IN portu emporium brevi perfrequens factum; (*inquit Livius lib.* XL.) omniaque hinc in caſtra ſuppor-

ſupportabantur: & quo id tutius fieret, ſtationes ab omnibus caſtrorum partibus circumdatae ſunt: in Iſtriamque ſuum praeſidium ſtativum repentina cohors Placentina oppoſita inter mare & caſtra: & ut idem Aquatoribus ad fluvium eſſet praeſidium, M. Aebutius Tribunus militum ſecundae legionis duos manipulos militum adjicere juſſus eſt. T. & C. Aelij Tribuni militum Legionem tertiam, quae Pabulatores & Lignatores tueretur, via, quae Aquileiam fert, duxerant. Ab eadem regione mille ferme paſſuum caſtra erant Gallorum: Carmelus pro regulo erat tribus aut amplius millibus armatorum. Iſtri, ut primum ad lacum Timavi caſtra ſunt Romana mota, ipſi poſt collem occulto loco *(hoc velit fragmentum EnnI)* conſederunt: & inde obliquis itineribus agmen ſequebantur, in omnem occaſionem intenti *Ennio lux*

POTES XXXI

Nonius Marcellus cap. III. §. 170: *Pigne. Ennius lib. XVII:*

. . . poteſtate pigne ſufferre laborem

Attius Clytemneſtra:

Omnes gaudent facere recte mali pignem.

Femininum Pigritia. In MSS. teſtantur nonnulli eſſe: *Pigre Ennius lib. XVII:* *Nonio emendatius*

. . . poſt aetate pigret ſufferre laborem:

& paullo poſt AttI illud, *mali pigrent.* Multo rectius; ſed

contra NonI mentem: cui si fuisset animus non nomē sed verbum indicare; cui bono adjecisset illa: *Femininum Pigritia?* quae indicant; ejusdem quidem classis, alius tamen generis vocem praemissam. Germanissimam scripturam arbitror horum & praecidentium ibi, revocatis ad suam sedem paucis: *Pigror generis masculini. Lucilius Satyr. lib. x:*

emendatissime mea mente

Lucilius correctus

> *Languor eum oppressit, pigror, torporque quietem.*

Quies, Inquies

(In Vulgatis legitur *et* pro *eum*, & *quietis*, in cujus locum *quietem* subfeci. Tò *Quies* Lucilianum rarēter alibi obvium pro quieto & tranquillo: cui contrarium *Inquies*. Scimus autem, quotidiana id experientia docente; hominem tranquillitati addictiorem, & nullibi occupatum, plerumque nauseare; homini, inquam, quieti & ocioso oboriri plurimum languorem & pigrorem; eumque talem ab torpore facile opprimi. Pergit mihi Nonius:) *Femininum, Pigres, ut Pigritia* (vel *Femininū. Pigritia & Pigres*) *Ennius lib. XVII:*

> . . . *potes apte pigre subferre laborem*

Attio melius

Attius Clytemnestra:

> . . *omnes gaudent facere recte: mali*
> *Pigrem* . . . .

& forte plenius

(Plenior AttI versus & sententia videtur fuisse talis:

> *Omnes boni gaudent facere recte: mali*
> *Pigrem sequuntur* . . . . .)

Docet enim ibi Nonius plurium generum, nō unius finis, voces: ut τò *Pigrere* nequaquam habeat locum

HISTOR. CONTINVAT

ABV. C. *Eodem*

NEque multo post invalidiores stationes adgressi, ceteros in castra fugant; quibus cum ignomi-

ignominia relictis, a plerisque, magno metu concussis, ad mare decurritur. unus remanet M. Licinius Strabo, Tribunus militum tertiae legionis, cum tribus signis; quem cum reliquis Istri, impetu in vacua fere castra facto, post atrox praeliũ interficiunt. Trepidatione aliquamtum sedata, referũtur ab mari hostes vorsum signa; instigant se invicem: Castra recipi facile esse, si in praeda occupati barbari opprimantur; sicut ceperint, posse capi (*Additum fortassean in mutuis cohortationibus Istros non* potes apte *& commode* pigre *atque ignavia* sufferre laborem *militarem; non esse propter segnitiem & torporem, quem ex nimio vino ciboque contraxerant, idoneos ad manus conserendas. Scribit enim Livius lib.* XLI. *quum Istri Romanorum castra cepissent; ibique omnium rerum paratam & expositam copiam & stratos lectos invenissent; regulum accubantem epulari coepisse, mox idem ceteros omnes armorum hostiumque oblitos, fecisse; &, ut quibus insuetus liberalior victus esset, avidius vino ciboque corpora onerasse* *Ennius illustratus*

NON POSSUNT XXXI

Iunius Philargyrius in IIII. Georg. Virg. ad vocem *Mussant. Hic,* inquit, *murmurant: quae vox ponitur & in tacendi significatione, ut apud Ennium in* XVII:

Non possunt mussare boni, qui factam labore
Enixi militiam peperere . . . .

Felicissime Ianus Duza, vir antiqua nobilitate & multa

eruditione inluſtris, in Plaut. Explic. lib. IV. cap. XIV. quem ſequor:

Ennius apud Philargyriū ſanatus

Non poßunt mußare boni, qui facta labore
Nixi militiae peperere . . . .

HISTOR. CONTINVAT

AB V. C. Eodem

INdecorum eſſe addunt: muſſare & cum ignavia quadam atque preſſa voce hoſtem timere bonos, fortes & ſtrenuos milites, quos jam ſua militiae geſta nobilitarunt

MUSSARE 26.) Neſcio an idem velit Paullus ad Feſti lib. XI: *Muſſare*, inquit, *murmurare. Ennius:*

. . . . in occulto mußabant

(collocatum hoc libro VI.) *Vulgo vero pro Tacere dicitur; ut idem Ennius:*

Non decet mußare bonos . . .

Ennius emēdatus

niſi illud; legendum ſaltem:

Non decet & mußare bonos . . .

τὸ *Et* perierat in poſteriore τῦ *Decet* ſyllaba. Plura de hac voce alibi. Videndus & Nonius cap. V. in *Muſſare*

SEI LUCEI XXXI

Priſcianus lib. VI: *Frux etiam frugis facit genitivum: quia ἀπὸ τῦ φρύγω verbo graeco naſcitur. Ennius in XVII. Annalium:*

Si luci, ſi nox, ſi mox, ſi jam data ſit frux

HISTOR. CONTINVAT

AB V. C. Eodem

OMnibus momentis; ſive die, ſive noctu, ſive mox, ſive quum res tandem invitat; captandam eſſe hoſtes invadendi occaſionem

Nox

NOX 29.) id eſt noctu, ut in XII. tabulis: QVEI NOX FORTOM FAXSIT; SEI IM ALIQVIPS OCCISIT, JOVRE CAISOS ESTO: SEI LOVCEI FORTOM FAXSIT, TELOQVE SE PREHENDIER PROHIBESIT; SEI IM ALIQVIPS OCCISIT, JOVRE CAISOS ESTOD. AST SEI LOVCEI FORTOM FAXSIT, &c. Vide Agellium lib. XI. cap. XVIII. & Macrobium lib. I. Sat. cap. IV *Nox, noctu*

IT EQUES XXXI

Macrobius lib. VI. cap. I. Sic Virgilius:

Quadrupedante putrem ſonitu quatit ungula campũ

HISTOR. CONTINVAT

SVmma militum alacritate adhortatio audita eſt. Hinc L. Atius Tribunus legionis ſecundae primus ſuos ad certamen contra vino ſomnoque merſos ineundum exſtimulat. Inde T. & C. AelI Tribuni militum legionis tertiae cum equitatu adveniunt *AB V.C. Eodem*

PLOSU 31.) Sic ſcripſi pro Vulg. *Plauſu*, praeeunte Gloſſario FornerI, quod ita diſtinguit: *Plauſus*, ὁ τῆς φωνῆς βόμβος κυριος. Legend. κυρίως. *Ploſus*, τίναγμα καὶ σύγκρουσις τῶν χειρῶν, ποδῶν, πτερῶν, ῥάμφων καὶ ἄλλων. Quae diſtinctio ſi vera; emendanda, cum PlinI illa de Gallinaceis: *Diem venientem nunciant cantu, ipſum vero cantum ploſu laterum, hoc eſt alarum concuſſu*; Vulg. *Plauſu:* Et OvidI; *Plinius forſitan correctus*

. . . numeruſque ex agmine major *& Ovidius*
Subvolat, & remos ploſis circumvolat alis;

Editi libri, *plauſis*, τὰς πτέρυγας κροτοῦντες: tum infinita alia auctorum loca. Sed nolim hic temerarius eſſe

Concutit ungula terram 31.) Simile Hemiſtichium libro Annalium VI:

. . . . . *totam quatit ungula terram*

Tollitur xxxi

Macrobius lib.VI.cap.I.ubi Virgilius Ennium imitatus:

Tollitur in coelum clamor, cunctique Latini

HISTOR. CONTINVAT

AB V. C. *Eodem*

SEquitur Atium & Aelios cum toto exercitu Conſul. Ventum ubi eſt ad capta caſtra, tollitur utrimque in coelum clamor

Concurrunt xxxi

Macrobius lib.VI.cap.II.ubi Virgilius:

Diverſi magno ceu quomdam turbine venti
Confligunt Zephyruſque Notuſque & laetus Eois
Eurus equis

Priora Virgilii in Vulgatis editionibus cōcepta hoc modo:

Adverſi rupto ceu quomdam, &c

HISTOR. CONTINVAT

AB V. C. *Eodem*

COncurrunt, & manus inter ſe conſerunt Romani caſtris foede pulſi, & Galli iiſdem foedius pellendi

Imbricitor

Imbricitor xxxii. I.) τὸν ὄμβρον κινέων, ὀμβροφόρος. Talem Auſtrum eſſe nemo non novit, & a multis traditum. Eleganter Plautus in Mercatore, Sc. *Divom atque hominum:*

Hic

Hic Favonius serenus est, istic Auster imbricus;
Hic facit tranquillitatem, istic omnes fluctus conciet

Imbricus Plauto, & *fluctus conciens*, qui Ennio *Imbricitor.* Glossarl auctor: *Imbricitur*, inquit, ὀμβροῦται, βρέχεται: an pro *Imbricitor* apud Ennium legerit *Imbricitur?* vix credo: latet tamen quid. Vide huc Vitruvium lib. I. cap. VI. Vegetium lib. IV. cap. XXXVIII. & alios

Imbricus — *Dubitatum de Ennl scriptura*

ENDO MARI 2) Legebatur *inde mari.* De hac voce saepe dixi

Ennio rectius

MARI MAGNO 2.) De *Mari Magno* differunt docte magni Duzae: pater in Praecidaneis pro Q. Valerio Catullo, cap. VI. filius in notis ad eumdem, cap. III. Adponam ex Adversarijs meis pauca. Livius Andronicus apud Festum lib. XIII. ubi ex Antiquis, apud Ateium Philologum, *Ocrem* interpretatur *montem confragosum:*

Mare magnum

Celsos ocris, arvaque petrita, & mare magnum.

Nam sic legendum monet Iosephus Scaliger pro *patria.* Quisquis sit, cujus illa apud veterrimum Poetam verba, cōqueritur de acerba sibi fortuna; ingemit nusquam quid sibi esse benignum, omnia ubique dura, aspera, exoratu difficilia: si montes ascendat, eos esse confragosos & praeruptos; si plana pervagetur, & arva perambulet, omnia ibi esse petrosa; si ad mare se cōferat, illud magnum esse, procellosum & inmanibus undis saevum. Lucilius lib. XXX. apud Nonium cap. IV. §. 312. ubi *Metiri*, *transmeare*

Livius Andronicus castigatus explicatus

Vir mare metitur magnum, se fluctibu' tradit

Sic enim supplendus hic versus ex M.S. codic. Caussas, unde *mare* illud *magnum* factum *majus* videtur describere idem poeta eodem libro:

Lucilius plenior

Conti-

Continuo simulac paullo vehementius aura
Inflarit, fluctus erexerit, extuleritque:

Lucili fragmenta collocata

exstant apud Nonium in Referre; quibus inmediate fere subjecit:

Omnia tum endo mari videas fervente micare.

correcta

Sic emendo quae apud Nonium in *Micare. Fervens mare* non *magnum* solum, sed *majus*, quod aestu & fluctibus immensum quamtum agitatur. *Micari* autem *moveri*, ut apud Virgilium, Ciceronem & alios. Ad *mare* illud *magnum* plenius depingẽdum refero ejusdem illud LuciII, quod apud Nonium, cap.xv.§.18:

Tertius hic mali superat carchesia summa

Eidem levicula medicina & lux

Mallem *summi*. Fluctuum inmanitatem notat. Patrem aemulatus fratremque in quaerendo *Magno Mari* nobilis adolescens Franciscus Duza admonuit me elegantissimi loci LucretI lib.II:

Sed quasi naufragiis magnis molteisque coorteis
Disjectare solet magnum mare, transtra, guberna,
Antennas, proram, malos, tonsasque natantis,
Per terrarum omnis oras fluitantia aplustra
Ut videantur & indicium mortalibus edant
Infidi maris insidias, viresque, dolumque.
Ut vitare velint, &c.

Livio Andronico sui versus vindicati & correcti

Non modo nominatur hic *Mare Magnum*, sed idem etiam vivis coloribus depingitur ab docto, quique rite litavit rerum naturae, poeta. Describit etiam mare, quod *Magnum* alijs, περιφραστικῶς Livius Andronicus, Saturnijs versibus, in Veteri Odyssea:

Namque

Namque neillum peius macerat hemonem,
Quamde mare ſaevum. VIres quoi ſunt magnai;
Topper confringunt importunai undai.

Exſtant apud Feſtum libro de Verb. ſignif. penult. Male autem adſcribi Naevio vel Neleo, notat V. N. Scaliger. Perſuaderer facile *magnas* illas *vires mari ſaevo* adtribuendas, ut volunt nonnulli; niſi *hominem magnarum virium* deſcribi docerent Homeri illa Odyſſ. θ. unde, monente Scaligero, ſua Livius expreſſit:

Livius Andronicus Homerum exprimit ad verbum

Οὐ γὰρ ἔγωγέ τι φημὶ κακώτερον ἄλλο θαλάσσης
Ἄνδρά τε συγχεῦαι; εἰ καὶ μάλα καρτερὸς εἴη.

Magnum igitur *mare*, ſaevum & procelloſum. Memini etiam Gallos admarinos de mari fluctuoſo dicere, *La mer eſt grande*. *Magnus* item alijs in rebus *ſaevus*. Lucilius apud Varronem lib. VI. de LL:

Magnus, ſaevus

Nequam & magnus homo, laniorũ immani', canes ut

Laniorum immanis, laniorum immaniſſimus, ut ſaepe cum aliis noſter loquitur poeta. Non indicat Varro librum: petitum cenſeo ex Satyrarum tertio, & adſcriptum proxime ijs, quae apud Nonium cap. I. §. 102:

Lucilio lux

Ejus tabulae cõpoſitae

Broncus novit lanius, dente adverſo eminulo hic eſt
Rhinoceros . . . .

In antiquo apud me Codice *Bruncus* ſcribitur. In Gloſſario *Brochus*, eſt, ὁ τὸ ἄνω χεῖλος ὠδηκώς. Lego voce Graeci fontis; & conjungo:

Brouchus

Lucilio ſanius

Brouchu', novus lanius, dente adverſo eminulo, hic eſt
Rhinoceros . . . .
Nequam, & magnus homo, laniorum immani', canes ut.

Lucilius illustratus

Lucilius nihil injuriarum omittit in Lanium, a quo fortean male erat acceptus, quum ad fretum Siculum, vel, ut alij volunt, Brundisium proficisceretur; comparationes mutuatus, ad exaggerandas injurias, ab Rhinocerote, ab Cane, ab alijs fors fuat. Vice versa *Saevus, Magnus*: quod ex Ennio, Virgilio, Servio, alijs, notarunt alij. Alioquin *magnum mare*; Mediterraneum multis appellatur: Orosio tribus locis libro I. cap. II. qui inter alia diserte, ubi de Asia: *a sinistra autem*, inquit, *Africam dimittit, sub Aegypto vero & Syria mare nostrum, quod Magnū generaliter dicimus, habet*. Alios praetereo. De *Hellespōti angustijs* intellegit Lucretius lib. III:

Saevus, *magnus*

Magnum mare *de Mediterraneo*

De Hellespōti angustiis

Ille quoque ipse viam qui quondā per mare magnum
Stravit . . . . . .

Ionio mari

Ionium mare, magnum etiam nominat Virgilius I. Aeneidos apud Sosipatrum lib. I. Eidem Virgilio lib. V. *mare magnum* potest esse & *procellosum* & *mediterraneum*, quum inquit:

Magnum mare *Virgilio vel*

. . . . *dum per mare magnum*
Italiam sequimur fugientem, & volvimur undis.

procellosum

Procellosum quidem; sic enim interpretatur Servius, quem erroris inmerito notari ab magnis viris, multis probari posset argumentis: *Mediterraneum* vero; illud enim tranavit Aeneas, quum Italiam peteret. In tali bivio est item *Mare Magnum* Lucano lib. V. belli Pharsal.

vel mediterraneum

. . . . *non ullo littore surgunt*
Tam validi fluctus, alioque ex orbe voluti
A magno venere mari . . . .

Mare magnum *Lucano*

Lucanus illustratus

Malim tamen intellegere de mari *Mediterraneo*. Dicit enim poeta, fluctus ab Euro & Noto motos ex mari mediterraneo (*alio ex orbe*) venisse, & volutos in Ionium pelagus; quod summo cum periculo navigabat intempesta nocte

Caesar,

Caesar; quodque saevitatem, adjutum aliunde, induerat. Nam Caesarem paullo post reversum rogant inter alia sui;

. . visum est committere quemquam
Tam saevo crudele mari?

Ionium hic mare *magnum*; a *magno* mari: *saevum*, inquam, & *procellosum* ab *mediterraneo* vel *interno*. Utrum autem de mari *procelloso*, an de *mediterraneo* sit capiendũ Veteris Poetae illud, apud M. Tullium 1. de Divinatione; etiam nunc ambigo: huc tamen magis inclinarem:

Mare magnum *antiquo apud Tullium poetae*

Iamque marI magno classis cita
Texitur: exitium examen rapit:
Advenit & fera velivolantibus
Navibu' complevit manu' littora

UNDIQUE XXXII

Exstat hae tabulae apud Macrobium lib. VI. Sat. cap. III. qui eas ex Homero monstrat expressas. Recitatis enim poetarum principis ex Iliados π versibus subscribit: *Hunc locum Ennius in XV. ad pugnam CoelI Tribuni his versibus transfert:*

Undique conveniunt, velut imber, tela Tribuno
Configunt parmam, tinnit hastilibus umbo,
Aerato sonitu galeae; sed nec pote quisquam
Undique nitendo corpus discerpere ferro:
Semper abundantes hastas frangitque quatitque,
Totum sudor habet corpus, multumque laborat.
Nec respirandi fit copia, praepete ferro
Istri tela manu jacientes sollicitabant.

Haec omnia pertinere docet postremus versus ad bellum

Ennio melius

Iſtricum: quod quia ab Ennio deſcriptũ libro Annalium ultimo; numerum vitioſum eſſe, certum; & pro XV. reſtituendum XVII. Alijs citatur ex XII. *Coelij* etiam apud Macrobium nomine ad hiſtoriae fidem expuncto, ſubſtituo *C. AelI*; cujus jam feci in hiſtoria enarranda mentionem, praeeunte Livio

Macrobius omnino correctus

HISTOR. CONTINVAT

AB V. C. Eodem

VNdique conveniunt; crebrae quatiuntur & franguntur haſtae; parmae configuntur; tinniunt haſtilibus umbones. Prae ceterorum autem clara fuit C. AelI Tribuni pugna;

Ennio inſignis lux

. . . . objectis is undique telis
Obruitur, ſtrepit adſiduo cava tempora circum
Tinnitu galea, & ſaxis ſolida aera fatiſcunt.

(&c. ut inter alia exprimit hunc locum Ennij Virgilius apud Macrobium. Si aliquod, certe hoc poetae noſtri fragmentum certiſſimã invenit ſedem. Nam Tribunus apud Ennium eſt, quem C. Aelium *nominat Livius; quique corrupte Macrobio* Coelius *vocatur)*

Parma

PARMAM 5.) Gloſſar. *Parma*, θρακικὸν ὅπλον. Sudas: Πάρμαι, δερμάτινοι θυρεοὶ παρὰ Καρχηδονίοις. Feſtus etiam libro penultimo *Thraciae* adſcribit *Parmas*. *Threces gladiatores*, inquit, *a ſimilitudine parmularum Thraciarum*. Sic enim legendum non *palmularum* vel *parvularum*. Sunt qui obſtinate volunt eſſe breve ſcutum & rotundum, quo ſoli pedites utebantur; quum tamen in Gloſſis Benedicti, Ἀσπὶς ἱππικὴ *Parma* exponatur; quum *Parmam equeſtrem* nominet Salluſtius Hiſtor. lib. IV. Alios non addam. Parmae igitur non Peditum ſolum, ſed & Equitum; his tamen longiores, il-

Feſtus emẽdatus

lis

lis breviores, docet aliquot locis Livius, praecipue libro XXVI. Idem indicat Velitum Parmam fuisse tripedalem. *Parmulis pugnare*, inquit Festus, *milites soliti sunt: quarum usus sustulit C. Marius; datis in vicem earum Brutianis*

VMBO 5.) Glossarium Benedicti: ὀμφαλὸς ἀσπίδος *vmmo: ὀμφαλὸς ἀνθρώπου, vmmilicus*

ABUNDANTEIS 8.) Castricomius meus: *Adundantes; adfluentes, adventantes*

PRAEPETE FERRO 10) Legendus Agellius lib. VI. Noct. Attic. cap. VI. Adjiciam quae de hoc EnnI loco ad me V. N. Ianus Duza: *Praepes ferrum, & Volatile telum eadem sunt. Videtur hoc loco Ablativus pro Dativo positus esse: nisi si potius verba illa,* praepete ferro, *ad Istrorum tela, quae sequuntur, referendum sit, id quod suspicor*

In Enn. conjectura

Ennio lux

SOLLICITABANT 11.) Vide Ianum Gulielmium in Stichum Plautinam

MAGNA XXXII

Macrobius lib. VI. cap. I. ubi Virgilius Ennium exprimens:

. . . . : *magna ossa lacertosque*
Extulit . . . .

HISTOR. CONTINVAT

PVgnatur non diu. Istri, qui modice vinosi erant, fugiunt; alijs somno mors continuatur; ibi magna hostium corpora, magni cum admiratione lacerti, adparebant

AB V. C. *Eodem*

NEQUE CORPORA XXXII

Citat Nonius Marcellus cap. II. in *Logiscere*. Videtur poeta *Iterum*

Romanos cum Gallis comparare: illorum corpora, quod firmioris compagis & ſolidioris, non facile longiſcere: ſecus fieri in Gallorum, quae ab cute laxiora. De Gallorum & Germanorum ſpecie & amplitudine multi multa.

HISTOR. CONTINVAT

AB V. C. *Eodem*

ROmani ſua omnia integra, praeterquā quod vini cibique abſumtū erat, recipiunt. Ad octo millia Iſtrorum ſunt caeſa; captus nemo. Rex Carmelus temulentus ex convivio raptim a ſuis in equū impoſitus, fugit. Iſtri, poſtquam alterum Conſulem cum novo exercitu adveniſſe audirent, paſſim in civitates ſunt dilapſi

PAVLLI G. F. P. N. MERVLAE
COMMENTARIA IN
Q. ENNI
POETAE ANTIQVISSIMI
FRAGMENTA ANNALIUM
LIBRI XIIX

QVVM XXXII.

SCribit apud Agellium libro Noct. Attic. XVII. cap. XXI. M. Terentius Varro primo de Poetis libro Ennium poetam natum Q. Valerio & C. Manilio Coss. eumque, quum ſeptimum & ſexageſimum annum ageret, duodecimum Annalem addidiſſe; idque ipſum Ennium in eodem libro dicere. Locus ille AgellI me vehementer turbavit in conquirendis EnnI fragmentis; & componendis, quae ſaevo naufragio ſupererāt, operis antiqui tabulis. Non abſurdum habebam, Auctorem dici librum addidiſſe duodeci-

Obſcurus AgellI locus diſcuſſus

decimum ſuo operi, quod ipſe auctor continenti ſcriptura & unico volumine abſolverat, quodque multo poſt tempore Vargunteius in certos primus libros erat partitus. Nam veriſimile erat mihi Varronem apud Agellium velle illa, quae poſtea, duce Vargunteio, conjecta in librum XII. ab Ennio ſeptuagenario, triennio deficiente, ſcripta. Non illa, inquam, mihi erant crucia; haec vero; quod nullus viderem, quo conſilio, ſerie narrationis interrupta, addiderit tam multa aetate duodecimum, quum decimus tertius & reliqui jam eſſent ſcripti. Aliud deinde ſuccurrebat hoc libro poſtremum addito, nihil praeterea ab Ennio ſcriptũ, in duodecimo ſubſtitiſſe, ceterorum autem numeros vitioſos eſſe. Quis enim non facile in eam ſententiam duceretur? Nam quid *Addere*, niſi ceteris in fine quaſi & poſtremo loco adjicere? Haec talia erant, ut Commentarium adfectum feredum interrupiſſent, niſi litterarum quadriga remedium attuliſſet. Pro *duodecimo* ſcribendum duxi *emendatus* *duodeviceſimum*. Hujus continentiam poteſt recte dici addidiſſe ad ceterum opus triennio ante mortem; quum ſeptimum & ſexageſimum aetatis annũ ageret. Haec emendatio omnes difficultatum nodos ſolvit; & ſtabilit ſcripturam, quae in nonnullis Diomedis exemplaribus lib. III: *Diomedi ſanius* *Epos Latine primus digne ſcripſit Ennius, is, qui Romanorum geſta decem & octo complexus eſt libris, qui & Annales inſcribuntur, quod fere ſingulorum annorum actus cõtineant*, &c. Diſertis verbis octodecim nominantur libri. Alij Codices *Livium* ſubſtituunt; male dubio procul. Ait autem *Ennius is*, δεικτικῶς, *Lucilius* ut diſtinguat ab eo, cujus *duo libri de Litteris, ſyllabiſque, item de Metris & Augurandi diſciplina volumina feruntur*, teſte Suetonio de Claris Grammaticis. Hoc amplius. Quum abſoluto ad aevum ſuũ opere, ſubſequentibus annis, ut fieri ſolet, alia (fortean quæ cõjecta a Vargunteio in lib. XVII.) prout ſeſe obferebant res a S. P. Q. R. geſtae, addiderit;

rit; ea vero, quae concinnarunt librum XIIX. quum jam esset LXVII. annorum: hinc factum arbitror, quod nonnulli antiquiores, & qui superstite Ennio scripti, codices habuerint ex distributione Varguntei pauciores Annalium libros, quam qui postremo, & Ennio jam mortuo, scripti. Sedecim tamtum libros videtur habuisse volumen illud, quod M. Pompilius millibus nummum cuidam vendidit.

De adfectiore quodam SuetonI loco judicium

Suetonius de Claris Grammaticis: *Ibique* (Cumis) *in otio vixit, & multa composuit: verum adeo inops, atque egens; ut coactus sit praecipuum illud opusculum Annalium EnnI librorum sexdecim millibus cuidam vendere, quos libros Orbilius suppressos redemisse se dixit, vulgandosque curasse nomine auctoris.* In Vulgatis legitur; *praecipuum illud opusculum Annalium Elenchorum sexdecim millibus*, &c. Sed de loco illo timidius meum esto judicium. Sunt enim ibi non pauca, quae clamant ab M. Pompilio suum quid propter summam egestatem venditum; quod suppressum ab emtore, redemtum postea ab Orbilio & nomine auctoris PompilI vulgatum: ut annales Elenchi fortean fuerint argumenta, quae varijs de rebus, singulis annis, collegerat. Exempli gratia, Elenchi anni IↃCXLII, IↃCXLIII. & sequentium (nam ijs temporibus floruit Cumis M. Pompilius) id est, argumenta isto vel isto anno collecta. Quae autem lib. XIIX. fuerit continentia, incertum. Ego hoc ausim adfirmare, non tam res ab populo Ro. gestas inibi, quam vitam suam descripsisse Ennium: quae caussa quod eo referam, quae sequuntur

Elenchi annales

SICUT XXXII

M. Tullius de Senectute: *Sua enim vitia insipientes & suam culpam in senectutem conferunt, quod non faciebat is, cujus modo mentionem feci, Ennius:*

Sicut fortis equus spatio qui forte supremo
Vicit Olympia, nunc senio confectus quiescit.

Equi

Equi fortis & victoris Senectuti comparat suam. In alijs libris pro *supremo* exaratum reperio *remenso.* Vide quae ad haec EnnI notat V. N. Hieronymus Columna Neapolit. Adde Gifanium ad Lucretium voce *Fortis*

OMNES XXXII

Augustinus libro XIII. de Trinitate, ubi male legitur:

Omnes mortales sese laudari exoptant;

Emendandum *laudarier optant,* retracta syllaba ab capite sequentis ad finem praecedentis vocis. Excusat poeta Laudis sitim, non se solum ea laborare; sed communẽ omnibus hominibus esse morbum, gloriae inhiare & ventosae plebis suffragia venari, ut ait Horatius. Sequentia his optimo sensu adhaerent

ADSECTAREI XXXII

Priscianus, ubi notat Adsectari passive accipi, ἀκολουθεῖσθαι

NOS SUMUS XXXII

Exstat apud M. Tullium lib. III. de Oratore: ubi inemendate nonnulli *Rutuli*; alij *Rutilli*; quidam scribunt *Rudii*, non procul ab vera scriptura. Magnus vir *Rudaei*; vere. Ροδαίων πόλις patria EnnI apud Strabonem lib. VI. Meminerunt Ausonius, Silius, Pomponius Mela, alij. Inde *Rudium hominem* Cicero eum appellat pro Archia poeta. Adi poetae vitam. Loquitur de se Ennius, praedicans acceptae civitatis Romanae benificium, quod cõsequutus opera Q. FulvI Nobilioris. Alio dixi loco. Illud benificium fortean excitavit poetam ad res populi Romani describendas: vel descriptis jam ijs, laborum praemium tulit, & ne ejus memoria periret, postremis adscripsit. Potest & videri Ennius indicare suam in Graeca & Romana linguis peritiã: quasi diceret, quum Semigraecus esset natione, se Romam deductũ, Romane ita addidicisse, ut ea lingua res ab Romanis gestas ausus fuerit non solum describere, interpretari,

Ennio melius

Lux

& praelegere; ſed etiam in lucem dare & Romanorum judicijs exponere. Videndus Suetonius de Claris Grammaticis, initio

ALIEI XXXIII

Feſto plenius Feſtus libro de verb.ſig.pen.ubi L.Aelius Stilo (nam ejus nomen videtur in litura eſſe) *Tongere,* ait, *noſcere eſſe, quod Praeneſtini Tongitionem dicant pro notione.* V.N. Ioſephus Scaliger in Conjectaneis ad Varronis IIII.& ſuis ad me litteris, putat haec eſſe ex Sotadico EnnI, ſubnectens alij verſui, qui legitur eodem Feſti libro, *Tonſam* exponentis *remum,* hoc modo:

Aliuſque in marei volt magno tenere tonſam;
Aliei Rhetorica tongent . . . .

Retuli tamen ego ad librum XVIII.quum animadverterem *Ennio nonnihil lucis* ſcriptum ab FornerI Gloſſographo: *Tongere, εἰδεῖν. Ennius in XVIII.Lucilius in XXIII.* Ennius vitam ſuam deſcribens, fortaſſis etiam varia hominem ſtudia hoc libro indicabat; alios alio ab ſua trahi voluptate; ſibi Carmina curae eſſe & cordi

SANCTOSQUE XXXIII

M.Tullius oratione pro Archia poeta notat Ennium *Sanctos* appellare Poetas, quod quaſi Deorum aliquo dono *Iterum* atque munere commendati nobis eſſe videantur: Rationē videtur Ennius aperuiſſe, quā ob ſibi Poeſis placeat, Poetas Deorum immortalium dona eſſe & munera; ideoque Sanctos apud omnes habitos & dictos, admirandaſque eorumdem eſſe vires. Meditari enim id, quo tenella aetas ad omnem diſciplinam informetur; quo provectior ad Virtutes inflammetur; quo ſenilis in optimo & ſano ſtatu retineatur; quo populus mira cum voluptate erudiatur; quo denique omnes quo libet rapiantur, unde libet abducantur

AIRE

AIRE XXXIII

Agellius lib.XIII. cap.XIX: *Contra vero idem Ennius in Annali XVIII.* aere fulva *dicit, non* fulvo, *non ob id ſolum quod Homerus* Ἀέρα βαθεῖαν *dicit, ſed quod hic ſonus opinor vocalior eſt viſus & amoenior.* Idem lib.II.cap.XXVI: *Sic Q. Ennius* (ita enim emendo, pro *Sicque Ennius) in Annalibus* fulvo aere *dixit.* Legendum ex priore loco *aere fulva.* Quid velit haec tabella, nondum video

Agellius emendatus & apud eum Ennius

PAULLI G. F. P. N. MERULAE COMMENTARIA IN Q. ENNI POETAE ANTIQUISSIMI FRAGMENTA ANNALIUM, QUAE AD CERTAM SEDEM, ILLIUS CERTE DUCTU, VENIRE NEQUIERUNT

INTEREA XXXIII

PArcior erit ad ſequentia meus Commentarius. Ceſſat enim finis, qui ad XVIII. Annalium libros ſcribenti fuerat propoſitus, Hiſtoriae ad EnnI fragmenta inveſtigatio. Viſitur haec tabula apud Priſcianum lib. V, qui *Iubar* Maſculinum obſervat. *Albus jubar,* Luna. Dixi CCX.14

HYPERIONI' 18.) Solis, cujus Pater *Hyperion,* Coeli Terraeque filius. Homerus in hymno Soli dicato:

Hyperion Solis pater

ἥλιον ὑμνεῖν αὖτε Διὸς τέκος ἄρχεο μοῦσα
Καλλιόπη φαέθοντα, τὸν εὐρυφάεσσα βοῶπις
Γείνατο γαίης παιδὶ, καὶ οὐρανοῦ ἀστερόεντος.
Γῆμε γὰρ εὐρυφάεσσαν ἀγακλειτὴν ὑπερίων
Αὐτοκασιγνήτην, ἥ οἱ τέκε κάλλιμα τέκνα,

Ἠῶτε ῥοδόπηχυν, ἐυπλόκαμόν τε σηλήνην,
Ἠέλιόντ' ἀκάμαντα . . .

Hesiodus in Theogonia:

Θεία δ' ἠέλιόντε μέγαν, λαμπράντε σελήνην,
Ἠῶθ', ἣ πάντεσσιν ἐπιχθονίησι φαείνει,
Ἀθανάτοισί τε θεοῖς, τὸν οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσι
Γείνατ' ὑποδμηθεῖσα ὑπερίονος ἐν φιλότητι

De Matre variatur

Homerus *Euryphaessam* Hyperionis conjugem, matrem Solis; Hesiodus vero *Thiam* facit. Ὑπερίων autem, ut vult Plutarchus libro de Poeta Graeco, ὅτι ἀεὶ ὑπὲρ ὑμᾶς ἰὼν

ATQUE XXXIII

Agellius lib.x. cap. XXIX. docens particulam *Atque*, si gemina fiat, augere & intendere rem, qua de agitur. Nonius Marcellus cap.XII.§.44. *Atque* exponens festine & intrepidanter. Videndus doctissimus Vir, cujus olim in Galliis familiaritas & consuetudo me multarum rerum fecit peritiorem, Ludovicus Carrio libro secundo Emendationum cap.XII

Ennius tentatus

ACCEDIT 20.) Apud Nonium scriptum est *adscendit*, quod non displicet. Major enim militum virtus in hac, quam in illa voce

HISPANE XXXIIII

Sosipater Charisius lib.II: *Hispane. Ennius Annalium libro:*

Hispane nostro manno memoretis loqui me

Iterum

Legendum ex veteri Codice, qui apud V.N. Ianũ Duzam:

Hispane non Romane memoreti' loqui me.

Festus illustratus

Hujus versus vestigia deprehendi apud Festũ lib.XVI. quod etiam monuit Duza, cujus ad me scribentis haec sunt verba: *Etiam Festus hunc versum citasse videtur in* Regium; *sed nunc in litura est: nihil enim praeter tria verba comparent, nec tamen tota*

SICU-

SICUTI XXXIII

Agellius lib.III. cap.XIIII. apud quem Varro differit ac dividit subtilissime, quid *Dimidium Dimidiato* intersit

TERRAI XXXIII

Charisius lib. I. ubi de antiquo primae Inflexionis Dativo. Hunc EnnI locum, vel in his Ennium potius designat Martialis lib.XI.epigr.XCI:

Carmina nulla probas, molli quae limite currunt;
Sed quae per salebras altaque saxa cadunt.
Et tibi Maeonio quod carmine majus habetur
Lucilli columella hic situ' Metrophanes.
Attonitusque legis, Terrai frugiferai;
Attius & quidquid Pacuviusque vomunt.

Martiali lux

Fortean & Papirianus apud Cassiodorum, de Orthographia cap.IIII, τὸ *Frugiferai* hoc Ennianum nominans. Vide & M.ClaudI Sacerdotis artem Grammaticam apud Hieronymum Columnam

PARS XXXIII

Nonius Marcellus cap. II. §.505: *Licitari, congredi, pugnare,*&c. Laudatur ibidem ab hac voce & Caecilius Hymnide: *Quae narrare inepti est scitras ferventis, quin machaera licitari adversum cum coepisti sciens.* In antiquissimo exemplari est: *Quae narrare inepti est si transferetis quin machaera licitari adversum eum coepisti sciens.* Indico, ut medendi hinc petant occasionem feliciores adfectiorum Scriptorum medici. Describit forte poeta meditationes, ad imaginem bellicam, militares: de quibus multa Vegetius libro I. passim, & lib.II.cap.XXIII. Nonnihil etiam apud M. Tullium lib. I. Tuscul. Disput

Caecilij morbus indicatus, non sanatus

Ennius explicatus

LUDICRE 33.) Meditatio enim militaris tamquam ludicra pugna

IACTANT SAXA 33.) Romanos milites meditatos fuisse manu sola libralia saxa jactare docet Vegetius indicato a me loco

LICITANTUR 33.) Paullus Diaconus ex Festi lib.x: *Licitati, in mercando sive pugnando contendentes*

NEI METUS XXXIV

Nonius cap. III. §. 141. indicans τὸ *Metus* etiam foeminino genere fuisse Veteribus enunciatum

METUS ULLA 1.) Legendus item Festus in *Corius, Masculino genere, Metus*, & *Recto fronte*

TENET 1.) Alij Codices habent *teneri virtute*

PAUSAM XXXIV

M. Terentius Varro lib. VI. de LL. voces notans ab Animalibus in Homines translatas

PAUSAM 3.) Utuntur hac voce, quae Graecae originis, multi alij primae classis auctores

SAGAS XXXIV

Deploratus Enni locus

Charisius lib. I. ostendens τὰ *Sagus, Saga, Sagum* Antiquis usitata. Locus adfectissimus, nec quidquā ei sanando medicinae suppeditat vetustissimus ille & optimae notae liber, qui apud V. N. Ianum Duzam. Quid *Geminare* docte explicat V.N. Hieronymus Columna

COINACOLA XXXIV

Septimius Tertullianus adversus Valentinan. Vide & N. V. Iosephum Scaligerum ad Festi lib. III. in *Coenaculum*

UNUS XXXIV

Festus lib. de verbor. signific. XVI. post *Rigido*; & libro sequenti in *Surus:* Locus alter ex altero sanandus

OMNES XXXIV

Interpres ad Terent. Phormionem in Actus I. Scenam IX.

Nescio

Neſcio an lateat quid ejus hiſtoriae, vel potius fabulae, quae apud Feſtum in *Sexagenarios:* poſt Vrbem a Gallis liberatam, decretũ fuiſſe ab Iunioribus, ut ob cibatus inopiam homines ſexaginta annorum jacerentur in Tiberim; ex eorum autem numero unum, filij pietate occultatum, ſaepe profuiſſe patriae ſuo conſilio ſub perſona filij: quod ubi eſſet cognitum; juveni fuiſſe ignotum, & ſexagenario iſti vitam conceſſam. Si trahendum eo fragmentum, collocandum ſuadet annus CCCLXIII, quo Galli virtute Camilli Roma ejecti, folio XIII. poſt illud;

Ennio fortean lux

Anſeris & tutum voce fuiſſe Iovem

CIRCUMFUSUM 14.) Alij legunt *Circumfunduntur*

INDIGNAS XXXIV

Servius ad Eclogã Virgilii x. *indignas* interpretatus *magnas*

DIVOM XXXIV

Auſonius Grammaticomaſtige

ALTISONUM 18.) Vide Somnium Scipionis & ad illud Macrobium lib. II. cap. IV

CAIL 18.) Oſci quorum linguam callebat Ennius, Dores ſequuti, extremas vocum partes abſcindebant, vel dimidiatas voces uſurpabant pro Totis, ut ait magnus vir. Αἴαν, Απόλλω, Ποσειδῶ, Δῶ, Κάρα, Δαΐ, Ἱδρῶ, Αλφι, Σκέπα, Κρί, Κρῖ, Ερι, Γλάφυ, Ὕφα & ſimilia: quae Communibus Αἴαντος, Απόλλωνα, Ποσειδῶνα, Δῶμα, Κάρινον, Δαΐδι, Ἱδρῶτα, Αλφιτον, Σκέπασμα, Κρίμνον, Κριθὴ, Ερίον: Γλαφυρὸν, Ὕφασμα. Adi V. CL. Iuſtũ Lipſium I. Epiſtol. Quaeſt. XIX. apud quem vide Strabonem. Illud addo, Servium ad V. & VIII. Aeneidos notare viciosum eſſe in Monoſyllabum finiri verſum, niſi forte ipſo monoſyllabo minora explicentur Animalia, ut:

Oſcorũ mos in truncandis vocabulis

Parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus.

Non

Non praetereundum illa Hermogenis : Καὶ γὰρ τῶν ἐπῶν τὰ εἰς μονοσύλλαβόν τι μέρος τοῦ λόγου ἱστάμενα, εὐειδέστερά πως καὶ κρουστικότερα εἰσὶν, ἀλλ' οὐ σεμνότερα. οἷον, Ἀμβροσίη νύξ: καὶ, Ἀλλότριος φὼς

PROTERVITER XXXIV

Priſcianus lib.xv.de Adverbiis, quibus, quamvis praeeant Pomponius, Titinnius, Plautus, Novius, Lucillius, Varro, Ennius & alij, non eſt utendum. Dixerit hoc ſuo aevo Grammaticus; ſane noſtro ſaeculo aliter ſe res habet. Majeſtatem enim ſuis monimẽtis concinnant, hodie qui ſcribunt, ſi dexteritate quadam & judicio adhibito, antiquas illas gemmas ab magnis Patribus mutuantur, & ſuarum chartarum palis quaſi ad ornamentum inſerunt

Antiquis verbis cum judicio utendum

CONTRA XXXIV

Tranſcripſerat hoc cum alijs & EnnI & aliorum veterum ſcriptorum fragmentis V. N. Ioſephus Scaliger ex Schidis Servianis, quae apud V. CL. Petrum Danielem. Pro *Atque* reponendum cenſet non tam eleganter, quam vere meus Caſtricomius *aique*. Quid *Carinari* dixi ad librum I

Ennius correctus

NEC DICO XXXIV

Interpres TerentI ad illud DavI in Andria, Act.III.Sc.II:

. . . *itaque hercle nihil jam mutire audeo.*

Locus & EnnI & Interpretis, meo judicio, adfectior. Ennium docte ſupplet Hieronym. Columna

Locus EnnI corruptior

. . . . *Nec dico, nec facio mu*

RIGIDO XXXIV

Feſtus lib.XVI. Locus hic tamen EnnI (ſi ſit ejus) in conſilij trivio mihi

De EnnI fragmento dubitatum

AD ILLA XXXIV

Tabulam hanc Ennianam ſervat apud V. CL. Petrum Danielem Servius VirgilI interpres manu exaratus, qui impreſſo locupletior

IN

IN TEMPLEIS XXXIV

M. Tullius in Oratore his verbis probat *Isdem* probatum Ennio, quum verius esset *eisdem*

AUT PERMACERET XXXIV

Paullus ad Festi librum de verbor. sig. penult. apud quem, *Trifax telum longitudinis trium cubitorum, quod catapulta mittitur*

Trifax

AUT PERMACERET 32.) Scripserat forsitan Ennius *Aut*, pro quo posteriores, adspiratione praejecta, *Haut*. *Permaceret* autem, debilitaretur, elegante translatione

Ennio emẽdatius

NEC RETRAHEI

Diomedes libro I. docens *Potestur* apud Ennium reperiri. Vtuntur eadem voce Plautus in Mercatore, Sc. *Tandem impetr.* item apud Festum Scipio Africanus in ea, quae est de imperio D. Bruti; & apud Nonium Pacuvius Chryse, & Quadrigarius Annalium lib. III. Sic *Poteratur* usurpatũ, apud Festum quidem C. Sempronio Graccho in ea, qua usus est, quum circum conciliabula iret; apud Nonium vero Caelio Annalium lib. I. & Diomedem lib. I. Scauro de Vita sua libro III. *Possetur* rursum Quadrigario, Annalium lib. I. *Possitur* iterum Scauro apud eumdem Diomedem, pro quo alij etiam *Queatur*. Ita lusum varie Antiquis in hoc verbo. Hominis autem hic vel Equi Refractarij descriptio. Si integra mihi esset fragmentorum collocatio, subscripsissem facile isti tabulae, quae fol. XI. 19. *Debil homo:* interpretatus de M. Minutio Rufo, Magistro Equitum; qui nimis suae sententiae tenax, nullis rationum, quibus pugnam cõtra Annibalem dissuadebat Q. Fabius Maxumus, claustris cohiberi se patiebatur, nullo retrahi potis Dictatoris imperio

Potestur

Poteratur

Possetur

Possitur

Queatur

Certus forte locus fragmẽto Enni inventus

FRUNDE XXXIV

Varrõ lib. VI. de LL. vocũ, quae ab Animalibus ad Homi-

nes tranſlatae, faciẽs indicium: *Et a frendice, Frunde frutini ſuaviter*. In veteri, qui apud me, Codice: *Sueta frendici*, &c. In alio: *Ne ſueta frendice*. Locum alijs deploratiſſimum fe- *Ennius optime ſanatus* liciſſime ſanat V.N. Ioſephus Scaliger, hoc modo: *Ejuſdem ab Hirundine*:

. . . . . nefrende fritinni
Suaviter . . . . . .

Nefrendis *Nefrendis* & *Nefrendus* puer, vel ſenex, ὁ νωδὸς, qui dentibus Fritinnire frendere non poteſt, id eſt frangere. *Fritinnire*, τὸ ψιθυρίζειν: propriũ Hirundinum. Ergo *Nefrende fritinni*, ὦ νωδὲ ψιθύριζε. Plura magnus Aeſculapius, adhibitae medicinae reddens cauſſas

IRACUNDITER XXXIV

Priſcianus libro xv. qui teſtatur exploſum hoc eſſe ab uſu Adverbium, ut & quae ſequuntur xxxv, 12, 38: xxxvi, 29. xxxvii, 25. xxxviii, 14, 32. quod monuiſſe ſemel ſufficiat. At dixerit hoc alijs, non mihi, Priſcianus

INDE XXXIV

Feſtus lib. xvi. haec & quaedam alia ab cenſu litterae R. *Ennius ſuppletus* aliena ſubjicit voci *Rigido*. CL. V. Fulvius Vrſinus ſupplet quae deſperatiſſima:

Inde Parum per caerola navibus ambullabant.

Naves ambulant *Navibus* etiam *Ambulare* tribuit Cato de re ruſtica titulo 1: & M. Tullius, Xenophontem imitatus, *Xerxem navibus maria ambulaviſſe*, dixit. Paros inſula *Paros* autem apud Ptolemaeum una eſt ex Cycladibus: eadẽ Plinio appellatur *Pactija* & *Minoia*. Alia ejuſdem nomina recitãtur Stephano: Δημητριὰς, Ζάκυνθος, Υρία, Υλήεσσα & Κάβαρνις. *Pario* hodieque dicitur

TOPPER XXXV

Topper Sex. Pompeius Feſtus lib. xviii. de verb. ſignif. ubi *Topper*; *Cito*, Neleo, C. Naevio & Livio Andronico; *Fortaſſe*, Cae-

lio

lio lib. II, Attio in Io, Ennio & Pacuvio; *Celeriter*, in Antiquissimis scriptis; *Mature* (priore tamen loco in harum vocum enumeratione dixerat *Temere*, alterutra admittenda) denique Odysseae veteri. Nos etiam nostra lingua dicimus *Tapper*, vel variante Dialecto *Dapper*, *Cito*, *celeriter*, *fortiter*. Novit & hanc vocem Quintilianus lib. I. Orat. Instit. cap. XI. V. N. Iosephus Scaliger putat haec promta non ex Annalibus, sed aliunde

Festus castigatus

Dapper *Belgis*

FLORENS XXXV

Laudat Servius ad finem VII. Aeneidos: apud quem Ennio & Lucretio, *Florens, omne quod nitidum*. Eam vocem legerat forte Servius Annalium lib. I. ubi somnium poeta narrat. Facit haec vox, ut credam ex Ennio expressum totum illum LucretI locum lib. I:

Certum domicilium Ennio fortean repertū

Unde sibi in somneis semperflorentis Homeri.

& quae sequuntur, paucis mutatis. Vide omnino CL. V. Hieronymum Columnam ad librum Annalium I. Idem Servius ad XII. Aeneidos, ubi Virgilius:

Filia prima manu floreos Lavinia crines

Antiqua lectio, inquit, *floreos habuit, id est florulentos, pulcros: & est Ennianum:* nescio an eadem EnnI tabula indicetur

Servius explicatus

OLLEI XXXV

Servius XII. Aeneid. ad illud VirgilI:

Inter se coiisse viro' & decernere ferro

CUM LEGIONIBU' XXXV

L. Caecilius Vindex apud Cassiodorum, de Orthographia cap. XI

AMBACTUS XXXV

Paullus Diaconus ad Festi librum I. dubio procul docti scriptoris, quem castrandum sumserat, mentem non adsequutus: quamquam, qui Festus scripserit, ignoretur. *Am-*

Paullus Diaconus notatus.

bactus, inquit mutilator, *apud Ennium lingua Gallica actus dicitur*. Quid velit τὸ *Actus*, non video. Certe, *Ambactus* Ennio erat ſervus mercenarius: indicat Gloſſarium; *Ambactus*, δοῦλος μισθωτὸς, ὡς Ἔννιος. Recte Paullus ex Feſto, *lingua Gallica*. Nam Belgis (apud quos relliquiae veteris Linguae Gallicae, ut docti viri conſentiunt) hodieque ſalva ſervatur haec vox. *Ambachtſman* enim ijs homo mercenarius, qui quotidie locat operas ſuas, ut inde rem quaerat

Ambachtſman

IAMQUE XXXV

Soſipater Chariſius lib. I. ubi de Analogia, in Claſſe Vocum, quibus R. princeps littera

SOSPITE XXXV

Feſtus de Verb. ſignif. XVII. *Soſpes, ſervator*

INDE XXXV

Idem lib. X. *Lituus, Buccinae genus incurvae*. Gloſſar. *Lituus*, χαλαύροψ, Καμπύλη, Βακτηρία, καὶ εἶδος σάλπιγγος. Agellius lib. V. cap. VIII: *utitur autem vocabulo iſto* (loquitur de Lituo) *Virgilius & pro Tuba*. *Inde loci* quid, alibi dixi. Gloſſar. *Inde loci*, τότε, ἔπειτα, ἀπὸ τόπου

BIPATENTIBUS XXXV

Servius ad illud Virgilii X. Aeneidos:

Conſidunt tectis bipatentibus, &c.

Sermonem Ennianum eſſe notat, tractum ab oſtiis, quae ex utraque parte aperiuntur. Vocem, in quam digitum quaſi intendit Servius, ex Virgilio tranſpoſui in EnnI fragmenta: quamvis plura ibi mei poetae eſſe, facile probari poſſit

ILLI XXXV

Ennio melius

Feſtus libro XVI. in *Naucum*, ubi ſcribēdum hoc EnnI, vel:

Illic nugator nihili, non nauci homo.

vel:

Illi eſt nugator nihili, non nauci homo.

Illic

Illic ἀρχαικῶς *Ille*. Plautus Asinaria, Act.II.Sc.II: Illic *pro ille*

Illic homo aedis compilavit, more si fecit suo.

Illi autem vetuste pro *Illic* saepissime apud eumdem Plautum. *Nugae* hebraicae sunt originis. Legendi Hieronymus in cap.III. Sophoniae,& Isidorus lib.x. N.saepe hoc versu repetitum. Nec hoc Scaligero ad Annales videtur referendum Illi *pro Illic* Nugae

QUEM XXXV

Servius VirgilI illud XI. Aeneidos:

. . . *quem non virtutis egentem*
Abstulit atra dies . . . .

EnnI versum esse notat

SURREMSIT XXXV

Videtur haec vox EnnI esse apud Festum FulvI Ursini

PROPTER XXXV

Citat Sex.Pompeius Festus lib.III.de Verb.sign.in *Cyprio.* Mallem tamen haec referre ad Sotadicum EnnI: quod videntur velle quae Festus huic versui praemittit *EnnI fragmentum alio tractum*

ARMENTAS XXXV

Festus lib.I. in *Armentum*. Plenius apud Nonium cap.III. §.3.ubi sic scribendum: *Ennius:* *Nonius castigatus*

. . . *ad armentas ipsius easdem,*

ad armenta Pacuvius:

Tu curvifrontes pascere armentas soles.

Hieronymus Columna refert haec ad historiã Caci Herculis boves abigentis

REDINUNT XXXV

Festus lib. XVI. Sic *Prodinunt* alibi. Nonnullis plenius hoc fragmentum citatur

. . . . . . *redinunt*
In patriam . . . . . .

CLAMORE XXXVI

M. Terentius Varro lib. VI. de LL. Gloſſarium: *Bobantes*, βοῶντες. *Βουα*νόσος βοῶν

DICO XXXVI

Idem V. de LL. Notans τὸ *Dico* originem habere Graecam. Neſcio an hoc EnnI lateat apud Feſtum lib. XI. *Mutari caſtra:* vix ejus ego mentis

INLUSTRIS XXXVI

Diomedes lib. I. de verbis Iterativis vel Frequentativis. N. V. Ioſephus Scaliger ad me ſcribens inducenda haec cenſet: non enim eſſe ex Annalibus

TORRUS

Servius ad XII. Aeneidos docens illud EnnI & PacuvI penitus de uſu receſſiſſe, ut *hic Torrus, hujus Torri*, dicamus

CLODIU' XXXVI

Servatur haec tabula in Schidis Servianis. Cui Ennianae navis parti ſit adlocanda, non potui (quamvis propria nomina facile viam aperire ſolent) divinare. Fuerunt alii *Clodii Tuſci*. Senecae Suaſoria II. nominatur *Clodius Tuſcus*, qui Mam. Aemilium Scaurum accuſavit majeſtatis, hiſtoricus fatuus, & homo quam improbi animi, tam infelicis ingenii. Eſt item *Clodius Tuſcus* apud Agelliũ lib. V. cap. XX. ad quem litterae citantur ibi AſinI Capitonis, viri doctiſſimi

Clodii Tuſci

SEPTEMTRIO XXXVI

Hanc vocem Ennio repoſui ex mutilatiſſimis Feſti, quibus Septemtrionum ſydus deſcriptum

QUOM XXXVI

Obſidium

Nonius Marcellus cap. III. §. 154. indicans *Obſidium* neutro genere uſurpatum Ennio. Eadem vox, ſcribente Feſto, apud C. Laelium, oratione pro ſe ad populum, & Salluſtiũ Hiſtor. lib. I. Alios cum Varrone IV. de LL. praetereo.

Obſidio-

Obſidionem tamen potius, quam *Obſidium* dicendum eſſe probat ex EnnI Telamone & alio loco Feſtus

SAIVO 15.) In Vulgatis legitur *ſuo:* quod etiam retineri poteſt, ſi ſcribatur *ſouvo,* antique *In Ennio varians lectio*

TITANA 15.) Alii *Titanum,* quod metri ratio adſpernatur. Videtur autem deſcribi bellum Titanum adverſus Saturnum. Fingitur *Caelus* habuiſſe filios *Titana* & *Saturnum:* *Ennio lux* quorum ille, ut major natu, quum regnare cuperet; Veſtae matris, Opis & Cereris ſororum precibus, Saturno fratri ceſſit; pactus tamen, ut ſi quid liberum virilis ſexus ei natum eſſet, ne educaret, ſed quamprimum necaret; ejus ergo, ut ſaltē, fratre defuncto, regni jura ad ſe redirent. Interpoſitum etiam juramētum fuiſſe notant verſus Sibyllini:

ὅρκους δ' αὖτε Κρόνῳ μεγάλους Τιτᾶν ἐπέθηκε,
Μὴ θρέψ' ἄρσενα, καὶ παιδῶν γένος, ὡς βασιλεύσῃ
Αὐτὸς ὅταν γῆράς τε Κρόνῳ καὶ μοῖρα πέληται.
Ὁππότε κεν δὲ Ῥεὴ τίκτεν, παρὰ τὴν δ' ἐκάθηντο
Τιτῆνες, καὶ τέκνα διέσπων ἄρρενα πάντα

Titania pubes

Hic teneros marium lacerat crudeliter artus:

Lycophron cum alijs multis ipſum Saturnum ex lege mares ex ſe natos voraſſe ſcribit:

Τὴν πρόσθ' ἄνασσαν ἐμβαλοῦσα ταρτάρῳ,
Ὠδῖνας ἐξέλυσε λαθραίας γονῆς.
Τὰς παιδοβρώτους ἐκφυγοῦσ' ὁμευγέτου
Θοίνας ἀσέπτους, οὐδ' ἐπίανεν βορᾷ
Νηδὺν τὸν ἀντίποινον ἐκλάψας πέτρον
Ἐν γυοκόλλοις σπαργάνοις εἱλημένον,
Τύμβος γεγὼς κένταυρος ὠμόφρων σπορᾶς.

Necatus certe primo natus. Secundo geniti *Iuppiter* & *Iuno*; abdito

abdito Iove, Iuno in conſpectum data. Tertio loco in lucem editus *Neptunus* clam. Quarto partu nati gemini *Pluto* & *Glauca*; celato mare, foemina oſtenſa. Titan poſtquam reſcivit Saturno virilem ſexum procreatū atque educatum eſſe clam: filios ſuos contra fratrem ejuſque conjugem armat & comprehenſos muro circumagit, cuſtodia adpoſita. Iuppiter adultus, quum audiviſſet parentes cuſtodiis circumſeptos atque in vincula conjectos, magnam Cretenſium multitudinem adducit cōtra Titanum ejuſque filios, quibus pugnando victis, parentes vinculis eximit & patri regnum reddit. Hiſtoria vel fabula eſt apud Lactantium lib. I. de falſa religione cap. XIIII. Verſus igitur hic Ennianus vel exaudiendus de incluſis muro Saturno & Ope, & legendus:

Ennius varie correctus & illuſtratus

Quom ſaivo obſidio magnum Titanu' premebat
Saturnum . . . .

ut *Saevum Obſidium* ſit murus ille circumactus: vel intellegendus de Titano, quem & filios obſidione cinxerat Iuppiter, & ſcribendus:

Quom ſaivo obſidio magnus Titana premebat
Iuppiter . . . .

Scripſerat fortean illa Ennius libro I. ubi indicans ab prima origine Regum Albanorum progenitores, ſenſim delabitur ad res, priore loco Albanorum, poſteriore Romanorum deſcribendas. Adlocanda igitur fuerat haec tabula iſti, quae folio III:

. . . *Saturno quem Coilu' genuvit.*

Poteſt etiam videri in hoc carmine latere ſimilitudo quaedam. Dicis gratia: Capto ab Karthaginienſibus M. Attilio Regulo Romanorum Conſule, omnes Romae inmane quamtū fuiſſe attonitos & animis conſternatos, omnia contur-

conturbata sursumque ac deorsum mista: talem fuisse rerum faciem in Deorum olim republica;

Quom saivo obsidio magnum Titanu' premebat
Saturnum . . . . . .

Nam *saevum* illud *obsidium* Saturni & Opis, & *Reguli captivitas* comparata

CREBRISURO XXXVI

Festus de Verbor.signif.III, *Crebrisurum* ponens *vallum, crebris suris, id est palis munitum*

INCEDIT XXXVI

Idem libro XVII. *Sicilices* etiam inter tela apud Agellium lib. X. cap. XXV. Videndi Turnebus lib. Adversar. XXVI. cap. II. & Ioseph. Scalig. in Castigation. ad Catullum. Notavi aliquando in meis Adversariis hunc versum ita emendandum: *Ennius nescio an correctus*

Incidit miles volgam sicilicibu' lateis.

Quid *Vulga* exponit Nonius cap. II. §. 908. Dicitur & *Bulga* Lucilio & Varroni apud eumdem Nonium cap. I. §. 76

STIPES XXXVI

Videtur hanc vocem notasse, nescio cui probando, Festus lib. XVII. Omnino enim ibi in litura

QUEI, XXXVI

Servianae schidae apud Petr. Danielem. Adi V.N. Ioseph. Scalig. ad Festi librum VIII. in *Herbam do*

OPTUMA XXXVI

Donatus in Phormionem Terentl. Act. III. Sc. I. Nescio an haec referenda ad annum CCCLXXIII. quo Tribuni militum Cos. potestate M. Furius Camillus VI, L. Furius Sp. F. L. N. Medullinus, A. Postumius Albinus Regillensis, L. Postumius Albinus Regillensis, L. Lucretius Tricipitinus III, M. Fabius K. F. M. N. Ambustus. Eo anno ob Satri-

cum vi ab Volscis expugnatum, bellum contra illos extra ordinem decretum M. Furio, & L. Furio sorte. Camillus rem temeritate Collegae prolapsam restituit & sua virtute Volscos vicit. Inter alia sic Livius lib. VI: *Optimum visum est in fluctuantem aciem tradi equos & pedestri pugna invadere hostem: eunt insignes armis animisque, qua premi parte maxime peditum copias vident*

CUM POLCREIS ANIMEIS 25.) Vide Obertum Gifanium ad Lucretium in *Cum*

IAM XXXVI

Ennius emend M. Terentius Varro lib. VI. de LL. *Cata, acuta. Fere* τολμηρῶς, θρασέως. In Vulgatis erant *ferae*, quae locum turbabant

DECEM XXXVI

Idem eodem libro: *Apud Ennium*, inquit;

. . Decem Coclites, quos montibus summis
Ripeis fodere . . . .

Iterum Legit Vir imcomparabilis, qui nonnisi honorifice appellandus, (ut ille loquitur de Adriano Turnebo)

. . decem coclites, quos montibu' summeis
Ripeis fodere . . . . . .

Tertium fortassean Nescio, an petierit Varro hoc fragmentum ex libro Annalium x, & scripserit: *Apud Ennium decimo*;

. . . coclites, quos montibus summeis
Ripeeis fodere . . . . . .

Arimaspi COCLITES 31.) Arimaspi, qui unoculi, Ripeos Scythiae montes habitātes, & metalla ibi fodientes. Adrianus Turnebus lib. XXIII. Adversl. cap. XXVI. Ioseph. Scaliger ad Varr. lib. VI. Muretus lib. Variar. Lect. XII. cap. VIII. & plene

Servius notatus Columna. Servius ad IX. Aeneid. distinguit inter *Ripaeos* & *Ri-*

& *Riphaeos:* hos Scythiae, illos Arabiae ſcribens eſſe. Ille videat

VORTUNT XXXVI

Servius, quo dixi, loco, Ennianum Hemiſtichium notat Virgili illud:

. . . . . *Vortunt crateras aenos*

SIMIA XXXVI

M.Tullius Cicero lib.I. de Natur. Deorum. Imitatur Q. Serenus apud V.N.Hieronymum Columnam *Q. Serenus Enni ſimia*

CONSILUERE XXXVI

Sex. Pompeius Feſtus lib.III

QUOM XXXVII

Nonius Marcellus cap.II. §.506.Eſt fortean ex libro XVII. quem Nonius ante hoc fragmentum citabat *Ennio certa ſedes fortean inventa*

INDE XXXVII

Iſidorus lib.XVIII. cap.XXXVI. *Rota candida*, Sol; cui forma globoſa, ut plerique volunt Philoſophi, quorum opiniones vide apud Clementem, Theodoretum, Iuſtinum, alios Sol rotundus

ENDO XXXVII

Auſonius Grammaticomaſtige. Legerat idem apud Ennium Soſipater Chariſius lib.IV.ubi ἀποκοπὴν ait eſſe, *quum ex ultima parte loquelae detrahitur vel littera vel ſyllaba.* Enni (cujus tamen nomen ab erudito Grammatico non additur) verba ibi corrupta, *ut Tendo ſuam hoc eſt domum.* Legendum, *ut* *Ennio apud Soſipatrum melius*

. . . . *endo ſuam do,*

hoc eſt domum. T. littera praejecta imprudenter ſecundae voci, ab fine primae repetita. *Do* autem propter inſolentiam periit in *hoc*. Legerat & Victorinus, ubi agit de Verſu: locus tamen corruptus, credo: *& apud Victorinum*

endo ſua do

id est, in sua domo. Meum Commentarium inspice folio ccccxxcIIx. Vide & Probum apud Nobilissimum virum Hieronymum Columnam

& Probum

DO 6.) Oscorum illud Dores imitatorum. Dixi ad illud

. . . *Divom domus altisonum coel*

PATREM XXXVII

M. Tullius Cicero lib II. de Nat. Deor. Tale illud. lib. I:

. . *Divomque Hominumque pater, rex.*

Quater lego apud Virgilium:

. . . *Divom pater atque Hominum rex*

QUAI XXXVII

Nonius Marcellus cap. II. §. 875. *Vulgare* explicans *in Vulgus dare & quasi multis audientibus ac non tacituris dicere*

Paronomasiae

ARTEM INERTEM II.) Eleganter *Ars iners*. Sic Latini: *Mens amens, Insepulta sepultura, Innuptae nuptiae, Injusta Justa.* Sic Graeci: Ἄγαμοι γάμοι, Ἄδωρα δῶρα, & id genus alia

SALSUM XXXVII

Servius in Schidis Petri Danielis. *Salsus humor*, Mare. *Mare Salsum* est apud Ennium lib II. Annalium in fine

IDEM XXXVII

Textrinū

Eaedem Servii Membranae. Priora citat etiam M. Tullius de Oratore. *Textrinum* locus ubi naves texebantur, μεταφορικῶς. *Texere Naves* Latinis eleganter dici notavit ad Catullum vir magnus

BONA XXXVII

Porphyrio ad illud HoratI lib. I. Serm. Sat. I:

At bona pars hominum, &c.

Bonus, *magnus*

Notat *bonam, magnam, ut saepe apud Ennium & alios Veteres. Bene* pro Valde alibi notatum

POPO-

POPOLEA XXXVII

Auſonius Grammaticomaſt. ubi Elias Vinetus. *Frus* etiam abſque N ſcribitur apud Chariſium, ut ad librum VII. monui. *Frus, fruns, frons*; *u* pro *o*; quemadmodum *Cumes, Humo, Funs*, & ſimilia apud alios

V pro O

QUOM XXXVII

Interpres StatI (ſive *Lutatius* ſive *Lactantius* ſit nominandus: nam

Interpres StatI incertoris nominis

. . . . *adhuc ſub judice lis eſt*;

quaſi ibi periclitaretur reſp. litteraria) ad VI. Thebaidos

PILAM XXXVII

Scaliger in Caſtigationibus ad Feſtum lib. III. ſcribit ſe hunc EnnI locum notaſſe in quadam veteri membrana. Eumdem fere (nam variat) reperiſſe ſe ait in antiquiſſimo libro CL. V. Henrici MemmI Turnebus lib. XX. cap. XXIX. *Pilam*, terram; *Cobum*, coelum eſſe alij docent

METARI XXXVII

Hanc vocem apud Ennium fuiſſe notant Feſti fragmenta

QUO TAM XXXVII

Debetur haec EnnI tabula Servio Petri Danielis membranaceo; elegans, ſi quae alia, quod indicat medicina, adplicata inmani vulneri ab V. N. Ioſepho Scaligero, ad me ſcribente:

Ennio vetus ſcriptura repoſita ab ingenio ſummi viri

. . . . *quo tam temere iti? citate*
Ac temere erratis?

Tres, addit vir magnus, *finales litterae vocis* temere *coaluerunt cum duabus initialibus ſequentis, propter ſcripturam veterem* temeratis, *pro* temere erratis. *Hoc frequentiſſimum eſt in Pandectis*

O PIETAS XXXVII

Donatus in TerentI Eunuchum Act. III. Sc. V. In M. S. V. CL. Rodolphi SnellI *O pietas amico* legitur

SOLVI XXXVII

Solui a soleo

M. Terentius Varro lib. VIII. notans *Solui* dixiſſe Ennium & Catonem a *Soleo*, non ut Vulgus *ſolitus ſum*

FUNDUNTQUE XXXVII

Servius ad illud VirgilI lib. XII. Aeneidos:

. . . lucemque elatis naribus efflant

Ennius apud Servium fortean emendatus

Ambigo num Ennius ſcripſerit *efflant*, an vero *fundunt*. Servius enim ordinem tantum verborum EnnI mutaſſe Virgilium notat: & Victorinus de Syllabis illud abſque auctore profert:

. . . efflantque elatis naribu' lucem.

quod VirgilI non eſſe, ſatis ibi Victorinus, quem dixi, docet: *Videtur*, inquit, *plurimis eſſe quintus communiũ ſyllabarum modus, qui apud Lucilium & Veteres multos eſt frequentatus, ut correpta vocalis deſinat in S, & excipiatur ab aliqua Conſonanti vel Vocali, loco Conſonantis poſita, ut eſt illud:*

Quare etiam atque etiã dico eſt communis voluptas.

Et item

. . . efflantque elatis naribus lucem

Victorino correctius

Emendandum cenſeo: *ut eſt illud LucilI* (ejus enim nomen abbreviatum, *Luc*, perierat in poſteriore τȣ̃ *Illud* ſyllaba)

Quare etiam atque etiam, &c.

Et id EnnI; quae latent in *Et item*

QUOM ILLUD XXXIIX

Feſtus ab Fulvio Urſino editus lib. ultimo, ubi quid *Venenum* explicatur

TELOQUE XXXIIX

Ennius tentatus

Servius Petri Danielis. Caſtricomius meus legit *trabali*

NON XXXIIX

Feſtus lib. XI. Idem fere cum eo, quod libro XVI:

Non poſſunt muſſare boni, &c

TERGUM XXXIIX

Nonius cap.III. §.201. ubi male *Tergius*

NOSTRI XXXIIX

Hirtius de bello Hispaniēsi: *Hic tamen,* inquit, *ut ait Ennius:*

. . . nostri cessere parumper.

Magnam vero rem, quod ita loquutus Ennius. Connivissem, si nervosum quid & sententiosum exscripsisset, quisquis fuerit iste auctor

Auctor de bello Hispaniensi taxatus

VORSAT XXXIIX

Exstat apud Servium Petri Danielis, viri doctissimi

SED SOLA XXXIIX

Sex. Pompeius Festus *Solum* interpretans *Terram.* Lambinus ad LucretI lib.1. *Terrai* legit

Ennius castigatus

SUCCINCTEI XXXIIX

Idem lib. de verbor. signif. III. *Cracentes, graciles*

FESTINUMQUE XXXIIX

Servius Danielis. Elegans illud, *Festinum festinare diem,* desiderio sequentis, qui fortean singulariae alicui rei erat destinatus. Festinus per se dies, ut daret locum sequenti, festinatur etiam; & hominū, qui sequentis ortum optabant, votis ad exitum quasi truditur

Ennio lux

QUOD XXXIIX

M. Terentius Varro lib.VI. de LL. Simile quid apud Sosipatrum Charisium: sed, ut videtur, ex Apuleio: *Mut,* inquit, *Mut non facere audet, ut apud Apuleium Platonicum,* &c. *Mu facere* autem pro *Mutire.* Lucilius Satyr.lib.XI. ut vetus liber Charisii apud N.V. Ianum Duzam:

Non laudare hominem quemquam, neque mu facere
umquam.

Ennius fortean emendandus

Videndus & Ianus Gulielmius in Truculentum Plauti cap.III

VOCI-

VOCIBU' XXXIIX

Citatur a M. Varrone lib.VI; non explicatur. Nam mutilatus ibi vir Romanorum doctissimus. In antiquo exemplari legitur: *Ennius: Vocibus concide faxim & obrutus*. Latent illa: *Vocibus concidere* & *saxis obruere*

Iterum

CONSIPTUM XXXIIX

Paullus Diaconus ex Festi lib. III. *Consiptum* pro *conseptum*, *quod clavis praefixum*

IRARUMQUE XXXIIX

Quemadmodum expressi, scriptum est in Servio, qui apud Petrum Danielem M. S. Paullo sequius vulgatus ad illud XII. Aeneidos:

irarumque omnes effundit habenas

Et hic, ait interpres, *moderate loquutus. Nam Ennius*;

effundit irarum quadrigas,

dixit. Qui versus Iambicus est Dimeter hypercatalecticus

QUAI XXXIIX

Nonius Marcellus cap.XVIII.§.20: *Falarica, telum maximum. Virgilius Aeneid lib.IX:*

Sed magnum stridens contorta falarica venit,
Fulminis acta modo.

Ennius:

Quae valide veniunt falarica missa.

Emendatum ab Virgilio, EnnI simia, suppleo:

Ennius correctus & suppletus

Quae valido venit contorta falarica missu.

Falaricae descriptionem vide apud Livium, Festum, Isidorum & alios. Gloss. *Falarica*, χειροβαλλίστρα

MILLE XXXIIX

Servius illud Virgilii VI. Aeneidos

. . . *ubi mille rotam volvere per annos,*

notat

notat esse sermonem EnnI

PANDITE XXXIIX

Laudatur hoc EnnI ab Festo duobus locis in *Genas* & *Sultis*

LEUESQUE XXXIIX

Restituit hanc tabulam Ennio, inmane naufragium passo, Servius manu exaratus, quem servant plutei V.CL. Petri Danielis

SPIRAS XXXIX

Festus lib. XVII, qui *Spiras* EnnI multitudinem appellat hominum

RUNATA XXXIX

Idem lib. XVI. ubi *Runatum* Ennio pilatum. In Vulgat. *recidit* bene. Castricomius *Runam* exponit telum longiorem habens cuspidem, quod Belgis een Runspeet

Ennio lux

IMPRIMITQUE XXXIX

Servius lib. VI. Aeneid. *Genis*, inquit, *palpebris. Ennius de dormiente:*

Imprimitque genae genam . . .

Iosephus Scal. negat esse ex Annalibus: cui lubens accedo. Est tale quid apud Isidorum lib. XI. cap. I. ubi *Genua* explicantur: si cum hoc idem, Servius ex Isidoro supplendus

Ennio mutatus locus

REMORBESCAT XXXIX

Festus in illa voce

QUIS TE XXXIX

Servius ille ereptus olim militum manibus ab CL.V. Petro Daniele, ut ipse mihi retulit

CONTEMSIT XXXIX

Testatur V.N. Hieronymus Columna hoc EnnI fragmentum se reperisse apud Veterem quemdam Grammaticum; qui, servatus Neapoli in Bibliotheca Carbonaria, adserit, *Eructo* verbum ab *Erugo* principe voce dirivari, eaque uti Ennium. *Erugere* etiam notum Festo. Pro *exerugit*

Ennius tentatus

reponendum censet meus Castricomius, veterum litterarum studiosissimus, *exaruvit*, id est *exaruit*, more antiquo, commodissimo sensu. Contemtui habentur fontes, quibus aqua exaruit. *Aquae vis*, μένος ὕδατος, ipsa aqua; quemadmodum alibi, *Ignis spiritus*, *Ignis vis*, μένος πυρὸς

Aquae vis

EQUITUM XXXIX

Barbarismum in his EnnI verbis notat Charisius lib. I. Sic Manilius in Iliade apud Priscianum:

. . . celerissimus advolat Hector

REPOSTUS XXXIX

Servius ad illud I. Aeneidos:

. . . manet alta mente repostum,

notat hanc vocem de Ennio translatam

FORTIS XXXIX

Nonius Marcellus cap. III. §. 44. Pro *quamquã*, quod apud Nonium, scriptum est apud Charisium lib. I. *quoque*, ita ut non EnnI, sed Charisii illud esse videatur: male. Reclamat enim vetus Codex V. N. Iani Duzae, in quo:

Ennio apud Sosipatrum melius

quamquam Coelus profundus . .

unius syllabae defectus turbat sententiam hujus versus: quid si

Ennio plenius

Forteis Romani sunt: quamquam Coelũ profundus

minaretur fortassean omnia adversa. *Profundus* autem sublimis, altus

VITA XXXIX

Citat hoc Hemistichium ex Ennio Victorinus in Commentario de Metrorum ratione. Imitatur Lucilius lib. IIII. Satyrar. teste Nonio cap. IV. §. 62. *Componere*; & eodem cap. §. 425. *Spurcus*. Legitur etiam versus Lucilij apud Tullium libro II. Tuscul. Utrum idem Tullius, hoc ἀκροτελεύτιον laudans

dans in Oratore, Ennium designet, an vero Lucilium, incertum est. Ennius certe illi fuit in delicijs

VIDEN XXXIX

Servius ad illud VI. Aeneidos:

. . *Viden' ut geminae stent vertice cristae?*

ORATORES XXXIX

M. Terentius Varro lib. VI. de LL

QUAIRUNT XXXIX

Sex. Pompeius Festus libro XVII. describens Scirpum id, *quod in palustribus locis nascitur, leve & procerum, unde Tegetes fiunt.* Citat & Isidorus lib. XVII. cap. IX: *Scirpus,* ait, *a quo segetes teguntur, sine nodo. de quo Ennius,* &c. Emendo: *Scirpus e quo tegetes texuntur, sine nodo.* Utuntur Proverbio Plautus in Menaechmis, Sc. *Nulla voluptas*; & Terentius in Andria, Act. V. Sc. IV. ubi interpres Lucilium etiam laudat

Isidoro medicina

EIA XXXIX

Servius Virgilii interpres ad IX. Aeneidos

PERQUE XXXIX

Idem ad III. Georgic. citat hoc fragmentum ex Ennio de Gruibus loquente. Scaliger ad me scribens adscribit alteri, quod libro I. a me positum:

. . *destituunt rivos, camposque remanant,*
Perque fabas repunt & mollia crura reponunt

Enni tabulae compositae

Dixi folio CLXXXVIII

ISTA XXXIX

Caper de Orthographia

FLUCTUSQUE XXXIX

Servius ad VI. Aeneidos, docens Virgilium ex Ennio dixisse:

Lethaeumque, domos placidas qui praenatat, amnem

Non enim *natare aquas*, ſed *in ipſis nos natare*. Reſtituit elegantiſſime

. . . . . *fluctuſque natantes*

Manilio melius Manilio ſuo V.CL. Ludovicus Carrio Antiquarum Lect. III. cap. XIX

PORGITE XL

Servius ad I. Aeneid. A *Porgo*, quo uſus etiā Lucretius lib. I:

Relligionum animos nodis exſolvere porgo.

& Lucretio Sic enim emendat ex Vett. libris Obertus Giſanius: Vulgat. *pergo*

PES XL

Hirtius de bello Hiſpanienſi: *Hic, ut ait Ennius, pes pede premitur, armis teruntur arma.* Mutatis paucis, verſum conſtitui

MASSILI XL

Donatus de Tropis

UNDE XL

Volunt nonnulli hunc verſum ex EnnI Annalibus tranſſcriptum ab Iuvenale in Satyram XIIII. Certe innotatum hoc abiit antiquo in Satyrographum Commentatori

EXSPOLIANTUR XL

Donatus de Schematibus

Sequi-

Sequitur nonnihil Fragmentorum, quae aliud agentis oculos effugerunt, superioribus adcensendum

*

Integros aivei DIvos . . . .

EXstat apud Servium VirgilI inlustratorē ad IX. Aeneidos. Ausim referre ad Concilium illud Deorum Dearumque, quod in fine lib. I. Annalium coactum ab Iove consulitur de Romulo in Deorum numerum referendo. Subscribendum nobilissimo isti Disticho fol. VIII. 12, hoc fortean modo:

Liber Annal. I. fragmento auctior

Juno, Vesta, Ceres, DIana, Menerva, Venus, Mars,
Mercurius, Jovi', Neptunus, Volcanus, Apollo;
DIvei aivI integri . . . . .

*

Clamor it ad coilum volitatque per aithera vagor

Laudat M. Terētius Varro lib. VI. de LL. apud quem hunc EnnI versum sic, ut expressi, doctissimus Scaliger emendat. V. N. Hieronymus Columna legit:

Liber Annalium VIII auctior

Clamor ad coelum volvendu' per aethera vagit;

& refert hoc carmē ad lib. VIII. Annalium, conjungens eleganter & commodo sensu cum aliis

*

Et melior navis, quam quae Stlataria portat

Vetus Commentator ad illud Iuvenalis Satyr. VII. lib. III:

Spondet enim Tyrio stlataria purpura filo

Stlataria, inquit, *illecebrosa*

*

Ausus es hoc ex ore tuo . . . .

Legitur hoc hemiſtichium apud M.Tullium Ciceronem lib.VI.ad Atticum,epiſtola 11

*

Inſidit currum Dictator ubei,oppidum ad uſque
Pervehitur . . . . .

M.Terentius Varro lib.IIII. de LL. quem vide omnino apud V.N.Hieronymum Columnam

*

. . popoloi Romanoi . . .

Victorinus de Orthograph. Antiquiſſimi Graeciae populi pro λόγῳ,λάῳ & ſimilibus, λογῷι,λαῷι et cetera ſcribebant

Haec etiam ab aliis Ennio adſcribuntur, quae, mihi certe, ſuſpecta

*

Buteo,Sanqualis,Immuſculus,Aqquila,Voltur

Parrhaſius, & ſequutus eum Vir Nobiliſſimus Hieronymus Columna ex Feſti lib.1.in *Alites*

*

Vt primum tenebreis abjectis inalbebat
Dies . . . .

Achilles Statius ad Catullum citat hunc verſum ex Annalium VI. Auctorem nõ nominans. Certe his verbis concipi video initium libri VII.ApuleI de Aſino aureo

*

Ad genua ſe proſternunt ſtatim lacrumantes

Hieronymus Columna,vir inluſtri ortus familia,hoc Ennio carmen eruit ex lib.XI.Iſidori,capite 1

*

O domus Ancei heu quam diſpari domino dominaris

Idem omnino legẽdus, ſequutus indicem Gabrielis Faerni,

ni,qui affirmat ſe in antiquo Ciceronis Officiorum exemplari ſcriptum inveniſſe:

O domus Anti quam diſpari domino dominaris:

ubi vulgati Codices,atque etiam quotquot ſunt fere manu ſcripti, habent:

O domus antiqua, &c

*

. . . . forum Putealque Libonis
Mandabo ſiccis, adimam cantare ſeveris

V. N. Hieronymus Columna ſententiam ſequitur Cruquii,ab Ennio putantis Horatium haec mutuatum

*

. . . hujus Nate auſpiciis illa incluta Roma.

Haec nequaquam Ennio eſſe adſcribēda, probavi ad lib.1. Annalium, fol.ccv

CommentarI in XVIII. Annalium EnnI libros

FINIS

Omiſſa, Commiſſa

Pag. IV 11. *conſpectum*) forte ſcripſit Ennius *in complexum*; quam vocem poſtulant, quae ſequuntur: *Quamqnam molta*, &c. ut hunc poetae locum videatur imitatus Virgilius lib. II. apud quem etiã Aeneas Creuſam ſuam, &c
V 31. *Exſpectant*) quid ſi, *Et ſpectant*
VI 8. *imperio*) *augurio*.
XVI 31. *telis*) Conjunge: *Dum quidem unus homo Roma tota ſupereſcit*
XXI 13. *Bello*) Delenda haec Servi verba
19. *Debil homo*) Poſtponendae voces duae ſequenti verſui
XXII 34. *ſommoque*) *ſomnoque*
XXVI 27. *Moulier*) Supple: *Moulier erubuit ceu lacte & purpura miſta*
LII 19. *Quae &*) Aliam vide interpretationem apud Petrum Crinitum lib. II. de honeſt. diſciplina cap. XI
LV 4. CCCCXCVI) CCCCXXCVI
LVII 24. *conlocaſtis*) Similem locum indicavit mihi ex Martialis lib. V. Epigr. LXVI. eruditus juvenis *Ianus VVouwerius*, ab Apolline Muſiſque tenerrime eductus edoctuſque; mihi vero ob ſecretiora, quae tractat diligenter ſtudia, amiciſſimus
LXXI 8. λιμήνα) λιμένα
14. ἱπατέρωθεν) ἑκατέρωθεν
LXXXV 32. *Sipare*) De hac voce videndus Ianus Gulielmius lib. III. Veriſim. cap. XI
XCVIII 2. *Cluvebat*) Turbatiora haec & quae, me abſente, depravatiora fecit aliena audacia, ſic reſtitue: *Cluvebant ſcribo pro Cluvebat; c. ſcr. cauſ. al. ap. Forte Naevium tacite taxans, ſeque laudans poeta hoc dixerat, dicteriis ubique operiens virum, qui tamen, ut temp. fer. non inf. bell. Pun. deſ. quod pot. ille, quum a quib. quae geſta probe ſc. Lat. inſ. Muſ. calleret; & ut qui max. amaret*, &c
CX 27. VII) XII
CXX 3. *ſpirtu*) *ſpiritu*
16. & 18.) *Beth* pro *Caph* ſcribendum
23. *Anthiſtenes*) *Antiſthenes*
CXL 21. *Scabit*) Adde ex Feſto: *Pedes legit*
CLXXVI 14. *Veſtales*) *Veſtalis*
19. in margine AB) ANT
CLXXXVII 15. *Latrones*) Hunc locum puto deſignari in Gloſſis Fornerl: *Latro* ληςὴς, ςρατιώτης, δορυφόρος. *Ennius in* I: In iiſdem erat: *Laterant*, δουλεύουσι. *Laterare* certe paucis notum ejus notionis
CCXLII 21. *Portu*) Citat & Servius ad I. Aeneidos
CCXLIV 10. *inverſo ſitu*) Teſtantur doctiſſimi Iuvenes Lindenbergii ſe in manuſcripto Apulei Exemplari ſcriptum vidiſſe: *numeroſitate nominum in duos verſus*
CCLXXIV 12. *dubium*) *dubiam*
CCCXIIX 10. *Hetruria*) *Etruria*
IOXVII 7. *humanae*) *humano*

INDEX SCRIPTORUM VETERUM,

non quidem quos in suo Commentario Merula citat (nam hoc infiniti esset, & laboris parum fructuosi indicare) sed quos emendat, inlustrat, & de quibus singulare quid notat

A

Inlustra-

p.187.

Refuta-

D. LABE-

L

M

Ejus

FINIS

INDEX

INDEX RECENTIORVM, QVORVM SCRIPTIS, DOCTRINA ET AMICA CONSVETVDINE AVCTOR SE PROFECISSE FATETVR

FINIS

INDEX RERUM ET VERBOBUM in PAULLI MERULAE Commentario memorabilium

Alecto:

B

C

Exan-

FINIS

LUGDUNI BATAVORUM,
Typis Ioannis Balduini.
Anno cIↃ IↃ xcv